BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. F 10
Pl. 2

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

CASUS CONSCIENTIAE

PROPOSITI

A CARD. DE LUGO

A P. BENIAMINO ELBEL A P. IOANNE PETRO GURY

ALIISQUE AUCTORIBUS

RESOLUTI

A P. IANUARIO BUCCERONI S. J.

ACCEDUNT

PLURES CASUS RESOLUTI A SS. ROM. CONGR.

VOLUMEN PRIMUM

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1894.

APPROBATIO

Cum Opus, cui titulus: *Casus conscientiae*, etc. P. Ianuarii Bucceroni S. J. aliqui e. S. Theologi recognoverint, et probaverint, facultatem concedimus, ut typis edatur.

Romae die 1 Nov. 1892.

EMMANUEL DE CARO S. J.
PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE

ABBREVIATIONES

G. 5. = Gury Cas. Consc. in eodem Tr. num. 5.
I. M. 5. = Institutiones Morales in eodem Tr. num. 5.
M. E. V. 7. P. 1. p. 5. = Monitore Ecclesiastico, Conversano, Vol. 7. Part. 1. pag. 5.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

DE ACTIBUS HUMANIS

1. — DE VOLUNTARIO

1°. Arnulfus *homo probus,* sed *indole petulans,* cum *inimico suo occurrisset,* ab eoque non solum verbis, sed et verberibus, *lacessitus* et *impetitus fuisset,* desiderio illum occidendi *inardescit,* et arrepto pugione in eum irruit. Verum, *irae impetu cohibito,* ab inimico aufugit. Subinde vero, *sui compos factus,* reformidat, ne lethalem culpam admiserit, ideoque, *nulla interiecta mora,* ad confessarii pedes peccatum accusaturus provolvitur.

2°. Idem, *licet ad pravam blasphemandi consuetudinem destruendam serios adhibuerat conatus,* in rixa cum adversario quodam habita, in blasphemias erumpit, ideoque ad diluendam hanc conscientiae noxam confessarium iterum requirit.

3°. Alias, sciens se in ebrietate solitum fuisse rixari, *sedulo attendit,* ne in bibendo sobrietatis limites excedat. Sed ecce a sociis ad bibendum ultra morem *impulsus,* ebrietate invaditur, *antequam ad illius periculum adverterit,* et furiosus cum aliis rixas miscet. Ad se autem reversus poenitentiam agere satagit, et iterum ad confessarium confugit.

Quaer. 1°. *Quid sit voluntarium?* — 2°. *An Arnulfus in illo triplici casu peccaverit?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 6.-8. — Ad 2^um^. Arnulfus non videtur peccasse, saltem graviter in ullo ex triplici casu proposito. Defuit enim perfecte voluntarium. Non in 1°. Nam dicitur et apparet vere *vir probus,* et vir probus non ita facile deliberate hominem occidere statuit. Dicitur praeterea *ad iracundiam pronus,* et *inimicum ei occurrisse;* unde ex eius praesentia statim potuit ad iram commoveri. Itemque dicitur, quod *fuerit verbis et verberibus lacessitus et impetitus,* adeoque multum ad iram potuit commoveri, ita ut caruerit saltem plena et perfecta cognitione malitiae, et animi deliberatione. Tandem dicitur, quod, *irae impetu cohibito, sui compos factus* timuerit, ne forte peccaverit, et confessarium statim adierit animi noxam, si forte admiserit, expiaturus; quod sane ostendit, Arnulfum saltem plena animi deliberatione non egisse.

Non in 2°. Nam, si graviter peccasset, id fuisset tantum, *in casu,* ob neglectam blasphemandi consuetudinem. Atqui ad eam extirpandam serias adhibuit conatus. Cum enim *pronus sit ad iracundiam* ex motu primo-primo egisse facile consendus est.

Non in 3°., siquidem sedulo attendit, ne in bibendo sobrietatis limites excederet, et deinde ad periculum non advertens ebrietatis ebrietate correptus est. — G. 1.

3429

2. — DE LIBERO

Elpidius, de more bibulus, et indole rixosus, in ebrietate furiosus, contentione cum Titio habita, statuit ab eo vindictam quaerere; propositum tamen ad aliud tempus remisit. Subinde in vicinam tendit cauponam, *ut iram in vino sedaret;* sed ecce! cum sub nocte de taberna *perfecte ebrius* egrederetur, infausto casu, in ipsum incidit Titium, eumque adeo graviter verberat, ut plurimis hebdomadis a consueto labore abstinere coactus fuerit, et damnum ingens pertulerit.

Quaer. 1°. *Quid sit liberum?* — 2°. *An damna, a Titio illata in ebrietate, sint ipsi imputanda, ideoque ad ea reparanda teneatur?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 10.-12. — Ad 2um. « Affirmative. Ratio est, quia damna sunt vere voluntaria, et sufficienter praevisa in ipsa causa, saltem *in confuso*. Voluit enim Elpidius Titio damnum inferre, et bibit cum periculo ebrietatis, cum esset de more bibulus. Insuper censetur praevidisse, implicite saltem, se in statu ebrietatis damna illaturum esse; siquidem ignorare non poterat, se in vino furiosum evadere, ac posse alicui nocere. Ergo Elpidius neque a peccato gravi contra iustitiam, neque ab obligatione damna reparandi excusandus est ». Ita G. 3.

Verum resolutio ista difficultate non caret. Nam Elpidius in vicinam intravit cauponam, non ad suum malum propositum tunc exequendum, sed e contra *ad iram sedandam,* adeoque non apparet, quod etiam in confuso praevidisset tunc Elpidius damnum Titio inferendum. Neque vero valet dicere, quod *censetur praevidisse,* implicite saltem, se in statu ebrietatis damna illaturum esse. Nam *si reapse* in casu non praevidit, generalis praesumptio haec cedere debet veritati. Et praesumptio *in casu,* contraria potius est; siquidem ira excitatus, *ad iram sedandam* cauponam intravit, unde potius videtur Elpidius voluisse pro *tunc* abstinere ab omni vindicta et damno inferendo. Quando autem Elpidius graviter verberavit Titium, iam Elpidius erat *perfecte ebrius,* adeoque defuit *tunc* omnino voluntarium, liberum et peccatum. — I. M. 288.

3. — DE NON-VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO

Blasius, *Caio inimico suo nocere volens,* eius asinum plumbo traiicere intendit. Sed heu! duplex ei accidit infortunium! Etenim asinus *globo non attingitur,* incolumis saltat et exilit, dum vacca Titii *amici sui,* quae post densam sepem quiete iacebat, *nec ab ipso cerni poterat,* infeliciter occiditur.

Quaer. 1°. *Quid sit non-voluntarium et involuntarium?* — 2°. *An Blasius ad restitutionem teneatur pro asino non damnificato, vel pro vacca occisa?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 8. 48. — Ad 2um. Negative ad utrumque. Ad restitutionem certe non tenetur pro asino, quippe qui illaesus evasit. Etenim ad peccatum sufficit sola voluntas damnificandi; sed ad restitu-

tionem ex damnificatione non sufficit sola voluntas damnifica. Requiritur etiam actio vere damnifica, et damnum vere illatum. Neque tenetur ad restitutionem pro vacca; siquidem damnum illud neque intendit neque potuit praevidere, adeoque *non* fuit *voluntarium;* immo fuit ipsi omnino *involuntarium.* Ad restitutionem enim ex damnificatione non sufficit actio reapse damnifica, et damnum reapse illatum; sed requiritur etiam, quod huiusmodi damnum procedat a voluntate et sit voluntarium, uti ipsi imputetur, et obligatio ipsi exoriatur reparationis. Ergo in foro conscientiae, seu ante iudicis sententiam, ad nullam damni reparationem urgeri potest. Quid vero, si asinus et vacca ad eundem Caium pertinuissent? In rigore principiorum, neque tunc Blasius de damno teneretur. Etenim licet non fuisset tunc *involuntarium,* adhuc tamen fuisset *non-voluntarium,* quia semper damnum istud impraevisum fuisset. G. 3., I. M. 1358. 1370.

4. — DE INTENTIONE PLURIUM

Titius sacerdos constituit sequenti die Missam celebrare pro Sempronio, qui eam *ad suam intentionem* celebrandam quaesivit, data eleemosyna, nullo tamen determinato tempore. Verum die sequenti Titius in sacristia requiritur a Caio, ut velit mox Missam celebrare, eamque *decantare pro patre suo, ea ipsa nocte, vitâ functo.* Immemor Titius prioris intentionis Missam celebrat et *decantat* pro patre Caii. Immemor adhuc Missae pro Sempronio celebrandae celebrat tertia die pro seipso, *cum nullam aliam habere putet obligationem,* cui satisfaciat. Sed ecce post aliquot dies idem Sempronius plures alias Missas a Titio requisivit, et tunc Titius recordatus est illius prioris Missae ad intentionem Sempronii celebrandae.

Quaer. 1°. *Quid sit intentio; an plura intendi possint?* — 2°. *Quaenam Titii intentio valuerit in casu?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 17.-19. — Ad 2^{um}. 1°. Missa, quam die sequenti Titius celebravit, et *decantavit,* pro patre defuncto Caii celebrata fuit. Haec enim erat intentio praedominans, quae praevalet prae altera incompossibili. Quod confirmari potest vel ex illa circumstantia, quod missam *decantaverit.*

2°. Missa, quam die tertia celebravit Titius, *secundum intentionem* Sempronii fuit celebrata. Haec enim intentio, licet *habitualis,* erat evidenter *praedominans* prae intentione celebrandi pro seipso; quamvis haec foret *actualis.* Intentio enim *praedominans* illa est, quae *actu* eligeretur, cognita eius impossibilitate cum alia. Atqui cognita utraque intentione, ea, quae a Titio fuisset electa, intentio fuisset celebrandi pro Sempronio, quia eatenus pro seipso celebravit, quatenus persuasus fuit nullam habere obligationem, cui deberet satisfacere. Ergo. Idque *a fortiori* asserendum, si nullam Titius *intentionem* ea die speciatim habuisset. « Si nulli applicetur, vel incapaci, fructus manet in thesauro Ecclesiae, vel cedit ipsi sacerdoti, vel illis, pro quibus tenetur specialiter offerre, quod ita implicite censeatur intendisse ». S. Alph. l. 6. n. 336. Cf. n. 335. q. 1. — Ceterum, in praxi, stante dubio, satius esset alia vice missam celebrare pro eo, pro quo non valuit applicatio. — G. 5. 6., Elbel 403.

5. — DE INTENTIONE ACTUALI ET VIRTUALI

Franciscus, ministrans sacramentum baptismi, repentino rumore in Ecclesia peracto, distrahitur, et baptismi formam pronuntiat, quin ad eam ullo modo attendat. Paulo post, confessionem audit, et, poenitentem parum dispositum reperiens, eum statuit non absolvere. Verum iterum distractus, causam cogitans illius rumoris, formam absolutionis *distractus* pronuntiat.

Quaer. 1°. *Quid sit intentio actualis et virtualis?* — 2°. *An valeat baptismus et absolutio in casu?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 17. 18. 41. 42. — Ad 2^um^. 1°. Franciscus baptismum *valide* et *licite* ministrat. *Valide,* quia, quamvis non habeatur intentio et voluntarium *actuale;* habetur tamen intentio et voluntarium *virtuale,* quod sufficit in administratione sacramentorum. *Licite,* quia illa distractio, quum neque *in se,* neque *in causa* fuerit voluntaria, nulli culpae Francisco tribui potest. S. Th. 3. p. q. 64. a. 8. ad 3.

2°. Absolutio data a Francisco *invalida* fuit, neque in ea danda Franciscus ullo modo peccavit. Fuit *invalida,* quia praevalet semper ex duabus intentionibus, simul incompossibilibus, intentio *praedominans,* et haec in casu est intentio non absolvendi. Immo unica fuit, cum *distractus* absolverit. Nullo autem modo peccavit Franciscus, quia illa mentis evagatio naturalis omnino et involuntaria fuit. — G. 5.

6. — DE VOLUNTARIO INDIRECTO

1°. Ricardus, caupo, ne magno hospitum concursu eius taberna privetur, copiosum vinum bibulis petentibus subministrat, licet horum plures inebriandos esse et rixandos praevideat. Is ratione consueti lucri, et quandoque impediendarum blasphemiarum, impellitur; nec putat, se in hoc delinquere. Facile etiam in hospitium suum admittit viros, sermones impios vel obscoenos proferentes, nec eos arguit, quia, ait, non tenetur ratione officii de eorum agendi ratione sollicitus esse.

2°. Nemesius die quadam 20. asses, mercedis gratia, Caio baiulo ad suum hospitium sarcinam quandam ferenti offert. Requirit baiulus 25. asses. Negat Nemesius, se quidquam amplius ei praestiturum esse, licet ille furiosus in imprecationes et blasphemias erumpat.

Quaer. 1°. *Quid sit voluntarium indirectum?* — 2°. *An Ricardus graviter peccet, vinum inebriandis ministrando, sola consueti lucri ratione defensus?* — 3°. *An graviter peccet, id agendo ad blasphemias bibulorum praecavendas?* — 4°. *An graviter peccet, impios et obscoenos sermones hospitum non impediendo?* — 5°. *An Nemesius in secundo casu praestare debuerit praefatos quinque asses, licet indebitas, ad blasphemias baiuli impediendas?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 32. 33. 34. — Ad 2^um^. Negative, generatim et *per se* loquendo. Ratio est, quia caupo non tenetur peccata ebrietatis et

rixarum, quae hospites admittere solent, impedire cum gravi suo damno; caritas enim cum tanto incommodo non urget. Atqui vix ulla invenitur taberna, in qua aliqui hospites non soleant se inebriare, et postea rixas miscere, etc. Quare, si caupo vinum deneget, hospites alias adibunt popinas, in quibus largus potus ipsis ministratur; et proinde magnum damnum, et inutiliter, ipse subibit. *Generatim* et *per se;* si enim non agatur de huiusmodi peccatis in confuso praevisis; sed agatur de casu aliquo particulari, nempe de bibulo quodam iam ebrietati proximo, qui potum largiorem postulet, ministrari hic non potest. Ratio, quia in casu particulari determinato et certo, non nisi leve damnum ipsi esset subeundum ad determinatum et certum peccatum reapse praecavendum. Excipe, nisi ex aliis extrinsecis circumstantiis grave adhuc esset ei damnum subeundum. Elbel 17., L. l. 2. n. 69.

Ad 3^{um}. Negative. Ratio, quia ex duobus malis maius est impediendum, cum utrumque impediri non possit.

Ad 4^{um}. Affirmative, si grave sit aliorum scandalum, et facile impedire posset. Ratio, quia non tenetur, nisi ex generali ratione caritatis, quae non obligat cum gravi damno.

Ad 5^{um}. Negative, si consuetum et iustum pretium tribuerit. Ratio, quia cum similes casus saepe occurrant, ansa daretur pravis hominibus magis magisque blasphemandi, et grave adesset piis hominibus damnum subeundum. — G. 7. 8. 9., I. M. 35. 36. 337. 434.

7. — INVOLUNTARIUM EX IGNORANTIA

Adalbertus sic confitetur: 1°. *volens* occidere Titium inimicum, occidi Caium amicum meum. 2°. Globo iaculando cervum, simul traieci inimicum, *alia vice* ad necem quaesitum, *in dumeto latenter stantem.* 3°. Ignorans esse vigiliam, manducavi carnes, sed ex pigritia die Dominica non adfueram Missae, in qua obligationes in hebdomada occurrentes denuntiari solent.

Quaer. 1°. *An ignorantia causet involuntarium?* — 2°. *Quid de Adalberto iudicandum?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 48. — Ad 2^{um}. In 1°. casu Adalbertus a peccato homicidii non excusatur, cum sciens volens hominem occiderit. Si vero debitam adhibuerit diligentiam, ut praecaveret alterius homicidium praeter Titium inimicum, cum eius externus actus non sit formaliter iniuriosus Caio, quem omnino involuntarie occidit, ad nullam erga eius haeredes obligandus est restitutionem. Secus vero, si debitam diligentiam omiserit, vel periculum Caium occidendi in confuso praeviderit. I. M. 1370. 1372. 1373.

In 2°. casu vel adhibuit debitam diligentiam ad alterius damnum praecavendum, vel non. Si prius, actus voluntarius non est, neque consequenter peccatum. Si posterius, reus est homicidii. Verum, cum inimicus *latenter in dumeto staret,* et Adalbertus *non nisi cervum occidere putaverit,* ab homicidio excusandus videtur. Elbel 46.

In 3°. casu, vel ei cogitatio occurrit de obligatione, forte intra hebdomadam eventura, vel nulla occurrit cogitatio. Si prius, ignorantia

fuit vincibilis, et peccavit contra Ecclesiae praeceptum, negligendo inquirere. Si posterius, licet peccaverit omittendo missam, non peccavit tamen ieiunii omissione. I. M. 8. 207. 288. — G. 12. 13. 14.

8. — PECCATUM EX IGNORANTIA

Abundius, sacerdos approbatus pro excipiendis fidelium confessionibus, experitur scientiam suam ad illud officium rite obeundum tenuem et insufficientem esse; pergit tamen audire confessiones, ex eo quod de idoneitate sua authenticum episcopi testimonium habeat. Hinc, defectu scientiae et studii, varios committit errores circa speciem peccatorum inquirendam, et praesertim circa restituendi obligationem. A confessario obiurgatus et ad restituendum pro poenitentibus obligatus, statuerat serio ad studia Theologiae Moralis incumbere, et interea sacrum ministerium intermittere, cum ecce repente advocatur ad Titium moribundum, variis restitutionibus, ut fama fert, obnoxium. Pergit anceps, miserum absolvit dubius, non valens implicatam discernere conscientiam, et revertitur tristis, mussitans se iterum restitutioni pro poenitente obnoxium fore.

Quaer. 1°. *An praedicti errores sint Abundio imputabiles?* — 2°. *An in singulis peccaverit graviter?* — 3°. *An restitutioni sit obnoxius?*

Ad 1^um^. Errores priores Abundio quidem per se imputandi sunt, quia *vincibili* et *crassa* laborat ignorantia, in eaque persistendo graviter peccabat. Minime vero imputandi sunt ei errores admissi in Titii moribundi confessione; quia, tali stante necessitate, bene poterat et *debebat* eius confessionem audire, non obstante defectu scientiae requisitae; adeoque errores, non voliti, sed permissi tantum, in casu, censentur. I. M. 35.

Ad 2^um^. Affirmative, *per se,* si nempe saltem in confuso suum scientiae defectum adverterit, excepto tamen Titii casu. Si vero inadvertenter omnino aliquando egerit, tum fuit utique peccatum *in causa,* sed defuit peccatum *actu.* I. M. 288.

Ad 3^um^. Ad nihil tenetur, si tacendo mere negative se habuit, omittendo urgere restitutionem. Tenetur vero ad restitutionem, si positive obligationem restitutionis poenitenti imposuerit, vel positive eam negaverit, contra iustitiam, sive erga poenitentem, sive erga alios damnificatos. I. M. 1405. et V. 2. 828. 829. — G. 15. 16., I. M. 50. 51.

9. — DE CONTRACTO HABITU

Antonius saepe saepius blasphemando, iurando, detrahendo famae proximi, habitum horum peccatorum contraxit. Ea saepe confitetur; et confessarius, magna cura et sollicitudine, de numero interrogat praedictorum peccatorum, et salutaria addit monita. Verum, cum Antonius eadem semper per integrum annum confessus fuerit peccata, licet minori semper frequentia, eius confessarius absolutionem ipsi denegare constituit.

Quaer. 1°. *An peccata ex contracto habitu et consuetudine sint revera voluntaria et imputabilia.* — 2°. *Quid ad casum?*

R. Ad 1um. Affirmative, si ea quis in se advertat, ut regulariter contingit. Verum, si reipsa debita advertentia et deliberatio desideretur, quando quis, e. g., ex contracto habitu blasphemat, iurat, etc. tunc peccatum non habetur *quando* quis blasphemat, vel iurat, etc.; sed tantum *in causa,* quando nempe causam ponit. Quare inutile tunc est interrogare in confessione numerum horum materialium actuum; quia cum totus reatus sit in causa, hic neque augetur neque imminuitur ex maiori vel minori numero sequentium actuum; sed ex praevisione prudenti pendet. Illa autem *causa* est, primo, ipsa actuum frequentia, ex qua habitus seu consuetudo gignitur. Attamen practice saepe non advertitur, per eam actuum repetitionem consuetudinem acquiri; imo saepe quis sperat, non amplius in posterum relapsurum. *Causa,* secundo, est negligentia in ea consuetudine, acquisita iam, tollenda; unde actus sunt *indirecte* voluntarii. Et sic, advertendo hanc contractam consuetudinem, et nihilominus negligendo eam extirpare, actus sequentes sunt *indirecte* voluntarii, etiamsi *actu* desit reatus defectu advertentiae, et eodem advertentiae defectu, reatus etiam defuerit in ipsa consuetudine contrahenda. Si quis vero contractam consuetudinem extirpare conetur, tunc reatus non est amplius in *causa,* licet forte adfuerit, siquidem causa est retractata. Neque vero habetur voluntarium saltem *indirecte,* si quis revera serio, ut supponitur, conetur consuetudini resistere. — Si, secluso *actuali* reatu, peccatum non nisi in *causa* vel *indirecte* habeatur; tunc, cum consuetudo ideo tollenda est, ut pravi actus sequentes impediantur, si isti sint graviter pravi, gravis erit obligatio consuetudinis tollendae; si sint leviter pravi, praedicta obligatio levis erit. Itemque, si actus sequentes graviter pravi sint, et non nisi *in causa* vel *indirecte* voluntarii sint, tunc grave utique aderit peccatum, si gravis sit negligentia in extirpanda consuetudine; erit autem leve tantum peccatum, si levis erit negligentia. — L. l. 3. n. 127., l. 5. n. 14., I. M. 35.-39.

Ad 2um. An Antonius blasphemando, iurando, detrahendo, *actu* semper saltem graviter peccaverit, in re gravi, ab actuali eius pendet advertentia, et tunc recte confessarius interrogat de numero horum peccatorum. Si vero actualis defuerit advertentia, quod practice difficile est, tunc non remanet nisi peccatum ex voluntario *in causa,* et ex *indirecte* voluntario. Sed tale voluntarium removendum in casu videtur ex eo quod Antonius *saepe confiteatur,* et *imminuere* etiam conetur de facto eorum peccatorum frequentiam. Hoc enim ostendit Antonium retractasse contractam peccandi consuetudinem, eamque efficaciter niti extirpare. Et tunc non est, cur confessarius sedulus et scrupulosus sit in interrogando de exacto numero peccatorum. Male autem agit confessarius constituens absolutionem Antonio denegare; Antonius enim non caret sufficienti dolore et proposito. — G. 2., I. M. 53. et V. 2. 809.

10. — DE CONCUPISCENTIA ET IRA

Titius, *fervens catholicus,* gravi accepta iniuria a Sempronio, ira excandescens secum animo reputat Sempronium interficere. Verum *animadvertens grave,* in tali facto, *peccatum,* talem a se removet cogitationem.

Sed ecce, Sempronium iterum *videns* propositum iterum efformat eum occidendi, et iam in mente sua media excogitat ad rem perficiendam, et in hac cogitatione diu versatur. Interim obviam ei fit funus, et mortis, iudicii, inferni cogitatio animum eius praeoccupat; et sic quasi *sponte* dimittit omnem iniuriae acceptae et vindictae memoriam.

Quaer. 1°. *An concupiscentia et ira actum involuntarium reddant?* — 2°. *Quid ad casum?*

R. Ad 1um. Concupiscentia et ira tunc tantum reddere possunt actum *involuntarium,* cum ita vehementes sint, ut usum omnino abripiant rationis. Tunc enim, et tunc tantum, verificari potest, quod actus sit contra voluntatem, contra rationalem nempe et deliberatam voluntatem. Enimvero, si totaliter rationis usus non abripiatur, tunc, cum concupiscentia et ira ad actum inclinant, *voluntarium* necessario habetur, licet in eo actu voluntarium imminuatur pro concupiscentiae et irae intensitate, si ea nempe sit antecedens; si enim consequens est, tunc e contra augetur. Hoc autem inter concupiscentiam et iram intercedit discrimen, quod longe facilius ira rationis usum abripere soleat, longe difficilius vero id efficiat concupiscentia. I. M. 54-57.

Ad 2um. *Fervens catholicus* non tam facile consentit in grave peccatum, et in peccatum tam grave ut homicidium. Cogitatio vero homicidii exoritur in Titio ex iniuria gravi accepta, et ex irae excandescentia. Quare praedicta cogitatio facile involuntaria censeri potest eo defectu advertentiae et deliberationis. Et sane, ut dicitur in casu, mox Titius, *grave peccatum animadvertens,* eam a se repulit cogitationem. Ergo antea non animadverterat, vel saltem non sufficienter animadverterat ad grave peccatum. Quod autem *iterum* voluntatem conceperit inimicum occidendi, haec quidem cogitatio naturaliter eius animum incessit ex inimici praesentia, qua perculsus efformatum propositum facile debita caruit deliberatione. Unde funus adspiciens *sponte* omnem acceptae iniuriae et vindictae memoriam dimisit. Neque vero difficultas est ex eo, quod diu in eo proposito versatus fuerit. Id enim forte factum est vel ex continuata inimici praesentia et adspectu in media via usque dum funus ei obviam fieret, vel ex ipsa irae passione vehementer excitata. Elbel 228.

11. — DE VOLUNTARIO EX METU

1°. Sempronius sacerdos, laicali veste indutus, transiens per loca haereticorum, catholicis et praesertim sacerdotibus infensissimorum, omittit breviarii recitationem, et carnes diebus prohibitis manducat, ne agnoscatur. Sed cum subinde recognitus fuisset, et ad manducandas carnes die veneris metu mortis adigeretur, obtemperat dictitando Ecclesiam, ut piam matrem, obligationem legis suae non urgere cum tanto incommodo.

2°. Liborius, famulus, domum, absente domino, custodiens, sub nocte invaditur a fure, qui districto pugione pecuniam ab eo requirit. Cum autem Liborius nullam propriam habeat, 100. libellas ad dominum pertinentes accipit et furi tradit, ut vitam incolumem servet. Sed ab an-

gustiis extremis nondum liberatur misellus. Tradita enim pecunia non sufficit furi, qui mortem famulo minatur, nisi locum, ubi arca nummaria domini reconditur, sibi patefaciat. Obtemperat iterum Liborius, ut mortem effugiat.

Quaer. 1°. *An metus causet involuntarium, et a peccato excuset?* — 2°. *An Sempronius possit in utroque casu excusari?* — 3°. *An Liborius item possit in utroque casu excusari a peccato et a restitutione?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 59. 62. — Ad 2^um^. Affirmative in primo casu, quia lex positiva non urget cum gravissimo incommodo. Negative in altero casu; quia lex negativa non cessat, etiam stante gravissimo incommodo. Porro agitur in casu de scandalo vitando et de contemptu Religionis.

Ad 2^um^. Affirmative in primo casu, quia rationabiliter praesumitur herum consentire, in tanto vitae discrimine. Affirmative etiam in secundo casu, quia cooperatio famuli in damnum domini est mere materialis, quae licet satis proxima sit, satis tamen excusatur, gravissima stante necessitate. — G. 17. 18., I. M. 59. 62. 1414.

12. — DE FINE AGENTIS

Caius, *ingenuus iuvenis,* saepius quidem confitetur, quia id suis moderatoribus peracceptum novit. Quotidie item solet audire missam, exemplo motus suorum consodalium, ne minus eis devotus videatur. Insuper pecuniam non raro a patre acceptam inter pauperes distribuit, sed quasi semper vanae gloriae desiderium in se experitur. Hinc, peractis exercitiis spiritualibus, valde timet, ne invalidae et sacrilegae fuerint eius confessiones, et nullum acquisierit meritum ex piis operibus, sed e contra demeritum admiserit et peccatum.

Quaer. 1°. *An humanae actiones speciem sumant ex fine?* — 2°. *An Caius invalide receperit sacramentum poenitentiae, et omne meritum piorum operum amiserit?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 79. — Ad 2^um^. Caii confessiones neque sacrilegae neque invalidae fuerunt. Ad confessionis enim validitatem requiritur, et sufficit, sincerus dolor et propositum. Atqui bene potuit habere Caius sincerum dolorem et propositum; etsi ad confessionem accederet, quia id suis moderatoribus gratum noverit. Neque vero, cum Caius *ingenuus iuvenis* sit, supponi potest, quod hunc finem principaliter intenderit; vel quod sine debito dolore et proposito confessus sit. Confessiones ergo Caii neque invalidae neque sacrilegae fuerunt; sed substantialiter bonae ac meritoriae, licet fortassis fuerit quodammodo vanae gloriae instinctu impulsus; quia talis impulsus non afficit intrinsece ipsam confessionis substantiam, sed ad eam mere concomitanter et extrinsece se habet. Quare esto, quod talis impulsus fuerit venialiter malus, confessio tamen, utpote ex bono fine intrinseco facta, se nempe Deo reconciliandi et gratiam peccatorum remissivam obtinendi, potuit bene permanere moraliter bona et sufficiens ad valorem et ad meritum. Et sic etiam, ma-

net bona substantialiter et sufficiens ad valorem, licet in confessione forte leviter mentiaris, aut proximum tuum sine causa leviter diffames. Quamvis enim tale mendacium et talis diffamatio sint moraliter mala, quia tamen in ordine ad confessionem per accidens se habent, et aliunde peccata venialia non obstant divinae gratiae et reconciliationi, confessionem in se relinquunt bonam, et sufficientem ad valorem et ad meritum. Hinc idem dicendum est de auditis missis et de erogatis eleemosynis. — Elbel 78. 79., G. 33. 34., I. M. 77. 78. 81.

13. — AGERE PROPTER VOLUPTATEM; PROPTER DEUM

Sebastianus scrupulosus, ut ab omni creatura se abstraheret, omni se privare constituit voluptate, non necessaria ad vitae sustentationem. Voluptatem vitae non necessariam, non nisi ex satisfactione naturalis propensionis quaeri posse opinabatur, cum voluptas ad Dei gloriam non referatur. Ut autem totus Deo viveret, et Dei gloriam in omnibus quaereret, statuit omnes suas actiones actu Deo offerre, antequam quidquam ageret. Hinc brevi factum est, ut graviter capite infirmus in amentium nosocomio moreretur.

Quaer. 1°. *An licitum sit propter voluptatem agere?* — 2°. *An omnes actiones in Deum sint referendae?* — 3°. *Quid ad casum?*

R. Ad 1^um^. et ad 2^um^. Cf. I. M. 75. 82. — Ad 3^um^. Decipitur Sebastianus, gravi suo detrimento corporis et animae. Ut quis totus Deo vivat, et in omnibus Dei gloriam quaerat, non ideo debet necessario se privari omni honesta voluptate, non omnino necessaria ad vitae sustentationem. Voluptas etiam tantum utilis ad vires corporales et spirituales, moderata delectatione et recreatione, reficiendas, honesta est, et natura sua ad ultimum etiam finem, seu ad Deum, implicite et mediate ordinatur. Hinc licet omnino agere propter voluptatem et delectationem, eamque intendere, modo honestus alius finis, ad quem ipsa natura sua refertur, non excludatur, ut nempe homo melius operetur, et diutius in honesta operatione perseverare possit; quo fine intermedio mediante, ad ipsum Deum refertur. Quapropter, semper ac quis honestum illum finem non excludat, quaesita voluptas seu delectatio ad Deum virtualiter refertur, neque opus est, ut actu quis eam offerat Deo, siquidem sufficit virtualis oblatio.

Enimvero honestae recreationes, et oblectamenta a Deo ipso condita sunt ad hominum usum. Quare naturaliter bona in se sunt et honesta. Ut ergo quis honestam aliam rem intendens, honeste agit, et virtualiter actio in Deum refertur, quin explicite et actu actionem illa Deo offerat; ita etiam honeste quis agit, honestam acceptans animi recreationem, honestumque oblectamentum, quin actu et formaliter Deo illa offerat. Hinc idem consequenter dicendum est de dolore et de incommodo, honestis mediis, vitandis et repellendis. Unde patet etiam, quod, ut honesta sit actio et in Dei gloriam referatur, necesse non est actu et explicite eam Deo offerre. Sufficit, quod quis honestam intendat actionem, et honeste agat. Sufficit, quod quis singulis diebus mane Deo offerat

omnes suas actiones, decurrente die, faciendas. « Hoc modo omnis actus etiam indifferens in specie, fit bonus et virtuosus in individuo ». L. Tr. De Act. hum. XLIV. — G. 29. 30. 35. 30.

14. — DE MORALITATIS OBIECTO

1°. Marianna ad impediendas rixas, iuramenta, blasphemias mariti sui, levia dicere solet mendacia, quae optimum habent successum familiae pacem constanter servandi.

2°. Monica confitetur de proximis suis nonnunquam fuisse male locutam, quia, ait, vere *mali sunt,* et *malum omnibus faciunt.*

3°. Aurelius confitetur se, gravi pressum necessitate, gravem pecuniae summam furatum fuisse; eamque tamen poenitentia ductum ante confessionem iam restituisse.

Quaer. 1°. *An humani actus moralitatem desumant ex obiecto?* — 2°. *Quid de variis casibus sentiendum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 84. — Ad 2^um^. Marianna, *per se* loquendo, peccavit; sed venialiter tantum, idque toties quoties mentita fuerit. Ratio est, quia mendacium, utpote intrinsece malum, nullo fine extrinseco, quantumvis bono, cohonestari potest, nisi forte fiat ex conscientia invincibiliter erronea. Neque enim facienda sunt mala, ut eveniant bona, ad Rom. 3., 8. Quare Mariannae suadendum est, ut a mendaciis omnino abstineat; et, urgente gravi necessitate, aliqua potius utatur tergiversatione et aequivocatione, cum non teneatur semper veritatem aperte manifestare. Elbel 74., G. 27. Cf. I. M. 86. 1523. seqq.

Monica, *per se* loquendo, declarare praeterea debet utrum male de proximis locuta fuerit in re levi, an in re gravi; et si in re gravi, quoties id contigerit, et utrum aliud, praeter damnificationem famae, damnum contigerit. *Per se,* secus enim est, si ex ipsa confessione intelligitur agi de re nota et publica, unde nulla famae damnificatio advenerit; quemadmodum iam satis erui videtur ex eius dictis, *quia vere mali sunt et omnibus malum faciunt.* Elbel 11. 102., G. 31.

Aurelius graviter quidem peccavit; gravis enim necessitas a furto non excusat. Sufficienter autem suum peccatum explicavit: varii enim gravis furti gradus speciem non mutant. L. l. 6. n. 47., G. 31., I. M. 1313.

15. — DE HUMANORUM ACTUUM CIRCUMSTANTIIS

1°. Henricus sic confitetur: 1°. peccata *carnalia* commisi; 2°. Actus graviter *immodestos* effeci; 3°. *Pravas* habui cogitationes; 4°. Famam laesi proximi; 5°. Praeter homicidium, omnia alia peccata commisi.

2°. Paschalis sacerdos sic confitetur: sacerdos sum et semel cum femina peccavi; omittens se curam animarum gerere, et suam parochianam in confessione antea sollicitasse.

Quaer. 1°. *An moralitas humanorum actuum ex circumstantiis desumatur?* — 2°. *An Henricus et Paschalis recte confiteantur?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 88. — Ad 2^um^. Henricus minime recte confitetur. Etenim 1°. praeter numerum, varias debet declarare species car-

nalium peccatorum, e. g., an peccaverit ipse solus, vel cum alia persona; et si cum hac, an soluta, an matrimonio ligata, etc. Necesse vero non est, *per se* loquendo, ut dicat an bis, ter, etc. cum eadem persona vel cum diversis fuerit fornicatus, Elbel 103., La-Croix l. c. P. 2. n. 1040., I. M. v. 2. 708.

In 2°. casu actus etiam graviter immodesti, nisi sint actu consummati, proprio numero, et propria specie sunt declarandi. Specie enim differunt etiam huiusmodi actus, ut puta, si quis misceat turpia colloquia, aut seipsum adspiciat; vel mulierem aut seipsum turpiter tangat, etc. I. M. 307, 310. 783.

In 3°. casu necesse etiam est declarare, praeter numerum internorum actuum, varia specie obiecta desideriorum, vel delectationum. Desideria enim et morosae delectationes ab obiectis speciem desumunt, Elbel 80. 102., et pravae illae cogitationes, voluntariae et deliberatae, ex casus contextu, apparent. Non enim Henricus vir videtur, qui soleat huiusmodi tentationibus resistere.

In 4°. casu explicare debet, an graviter famam laeserit proximi; et, si graviter, quoties famam laeserit proximi, et an aliud damnum proximo fuerit inde secutum. Declarare vero, *per se* loquendo, non tenetur, an simplici detractatione vel calumnia proximi famam laeserit. I. M. 1486.

In 5°. tandem casu patet, quod valde imperfecta est Henrici confessio; adeoque est a confessario directe interrogandus quoad alia specialia peccata contra Praecepta Decalogi et Ecclesiae, et contra obligationes proprii status, quae verosimiliter potuit Henricus committere. Cf. Elbel 96.

Neque recte confessus est Paschalis. Explicare enim debuisset circumstantiam sollicitationis in confessione, quae malitiam addit sacrilegii realis, et circumstantiam curae animarum, quae facit peccatum specialiter repugnare virtuti iustitiae. Elbel 97. 98. — G. 31. 32.

DE CONSCIENTIA

16. — DE CONSCIENTIA ERRONEA

Florus, confessionem instituens generalem, se accusat, quod adhuc puer semel vel bis pollutionem habuerit, idque numquam esse confessum, quia peccatum tunc non existimavit. Addit praeterea, quod iam adolescens turpiter aspexerit et tetigerit suam consobrinam, et quod id confessus sit tantum generatim omittens consobrinae circumstantiam , quam non putavit necessariam. Insuper ait, quod cogitationes saepe malas suo animo nutrivit, sed nec eas est confessus, putans per longum tempus peccatum adesse tantum in opere. Itemque fatetur, quod in iudicium vocatus, licet iuramentum praestiterit de dicenda veritate, mendacium dixerit, idque tamen reputavit omnino necessarium ad salvandum amicum a diuturno et duro carcere. Postremo confitetur, quod gravi laborans morbo per annum et amplius missam omiserit, et abstinentiam ac ieiunium non servaverit.

Quaer. 1°. *Quid sit conscientia erronea, et an eam quis sequi possit?* — 2°. *An et quomodo Florus peccaverit?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 98. seqq. — Ad 2^um^. Potuit absolute Florus, in puerili aetate, pollutionis malitiam initio ignorare. Quare, si bona fide peccatum illud confessus non est, quia peccati conscientiam non habuit, non videtur inquietandus. I. M. 110.

Inquietandus item non videtur ob omissam consobrinae circumstantiam, cuius specialem incestus malitiam facilius potuit invincibiliter ignorare. Haec autem circumstantia speciem per se mutat quoad tactus, minime vero quoad aspectus. I. M. 784.

Quoad pravas cogitationes difficilius bona fides et invincibilis ignorantia admittitur. Attamen, si Florus affirmet se hoc cogitationum peccatum ignorasse, a confessario quidem attendendum et indagandum est, *quales* fuerint illae *cogitationes,* et an Florus ex conscientia culpabiliter vel inculpabiliter erronea illud crediderit. Si enim, prudenti facta investigatione, ex Flori ruditate eius bona fides appareat, neque in hoc inquietandus videtur quoad praeteritas confessiones; sed tantum instruendus est, si adhuc in errore versetur. Illud enim est praeterea hic attendendum, quod bona fides et ignorantia esse etiam possit potius *in facto,* quam *in iure,* i. e. potius esse possit de praestito cogitationibus consensu, quam de ipsa pravarum cogitationum malitia, si illis consensus accedat. I. M. 108.

Ex eo quod reputaverit Florus necessarium mendacium ad salvandum amicum, non sequitur revera, quod bona fide et invincibili ignorantia

erraverit. Quare ulterius interrogandus est Florus, siquidem agitur de gravi periurio propter additum iuramentum; utrum reapse existimaverit posse se tunc mentiri, immo forte etiam debere, propter ingens periculum, quo amicus eius versabatur.

Postremo non peccavit Florus, missam omittendo, gravi detentus morbo, siquidem peccandi necessitas non datur. Idemque dicendum de non servata abstinentia et ieiunio propter eandem infirmitatis rationem; et quamvis forte missam et abstinentiam ac ieiunium omiserit, cum iam convalescere inciperet, difficile sane videtur, quod sibi vere persuaserit graviter hac in re peccare; si adhuc revera sufficienter non convaluerit. — Elbel 124.-133., G. 37.-42., I. M. 98. seqq.

17. — DE CONSCIENTIA PROBABILI

Clemens, doctus Theologus, existimat Probabilistas nimis favere libertati. Quare ait, in concursu opinionis *certe probabilioris* pro lege, non licet sequi opinionem minus probabilem pro libertate. Id enim constat 1°. auctoritate Clementis III. C. *Capellanus de feriis,* ubi declarat, eam sententiam esse sequendam, « quae *meliori* et *subtiliori* nitatur ratione ». Atqui ubi certe maior est probabilitas, ibi procul dubio est melior et subtilior ratio. Ergo. Consonat regula 45ª. Iuris in 6°: « Inspicimus in obscuris quod est *verisimilius* ». Idem constat 2°. auctoritate Probabilioristarum, et omnium melioris notae Probabilistarum, qui in substantialibus Aequiprobabilismum defendunt. Prae caeteris audiatur Suaresius De Leg. l. 8. C. 3. n. 19. « *Maior probabilitas* est quaedam certitudo moralis, si excessus probabilitatis *certus* sit ». Idem dicit Muzzarelli Opusc. de Regula moral. opin. ap. Migne, Curs. Theol. XI. 1309. « Aliquis excessus rationum pro una parte contra aliam, nisi sit *notabilis,* non aufert dubium. Cum autem fuerit *notabilis,* iam praeponderat gravitas pro una parte, iam determinamur ad unum et in eo sistimus ». Idem constat 3°. auctoritate S. Alphonsi l. 1. n. 56. « Quoties, inquit, intellectui *certe* apparet, veritatem *multo magis* stare pro lege, quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter et sine culpa, parti minus latae ahaerere: siquidem, eo casu, homo non proprio iudicio, seu propriae credulitati innixus operaretur; sed potius per quendam conatum, quem sua voluntate in intellectum inferret, ut a parte, quae *valde virisimilior* sibi apparet, removeretur, et ad partem, quae sibi vera non apparet, imo quae videtur nec certum fundamentum habere, quod possit esse vera, inflecteretur. Et huc facit illud Apostoli ad Rom. 14., 23.: *Omne quod non est ex fide peccatum est* ». Haec increduli audiunt Ioannes Petrus et Antonius et ipsi docti Theologi, sed probabilistae. Cf. Marc. Instit. Moral. Alphons. n. 100. 101.

Quaer. 1°. *Quid sit probabilismus?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1ᵘᵐ. Tota doctrina Probabilismi ad duas assertiones paucis reduci potest. Prima est, principium certum, ab omnibus admissum, praesertim a S. Alph., *Lex incerta non potest certam parere obligationem; Lex dubia non obligat.* Principium *certum,* quia lex non ligat voluntatem nisi *per scientiam* sui. Altera est, quod quando contra legem adest opinio

vere *probabilis,* lex evadit *incerta* et *dubia*. Principium item *certum,* quia *certitudo* incompossibilis est cum opposita *probabilitate*. Quare parum refert ad veram Probabilismi doctrinam, quod opinio pro lege sit *aeque probabilis,* vel *parum probabilior,* vel *multum probabilior,* vel simpliciter *probabilior*. Quaestio enim haec est, et non alia; an nempe opinio contra legem sit *vere probabilis;* tunc enim, quidquid sit de opinione pro lege, impossibile est, quod lex sit *certa* et *evidens,* voluntatem ligans per *scientiam*. I. M. 111. seqq.

Ad 2^um^. Rationes allatae pro probabiliorismo tenendo, nihil quidem probant. Etenim 1°. C. *Cappellanus* 4. *de Fer.* particularem Clemens III. pro sua auctoritate definit quaestionem, in qua duae erant sententiae, unam inter illas eligens. Agitur de tribus hebdomadis, quibus Canon prohibet fieri nuptias ante festum B. Ioannis Baptistae; et « quidam, ait Pontifex, hebdomadas illas *absque interpolatione* intelligunt. Alii vero, inter festum et ipsas volentes *facere intervallum,* illud intelligunt ob reverentiam festivitatis Pentecostes fuisse statutum, quae in septimanis illis solet intervenire quandoque; et sic a tribus diebus Rogationum ante Ascensionem Domini inchoantes usque ad octavum diem post Pentecostem (illis hebdomadis computatis) illo tantum spatio temporis celebrari nuptias non permittunt, earum celebrationem ab inde nullatenus inhibentes ». Sic posita quaestione, S. Pontifex eam, ita authentice Canonem interpretans, sua auctoritate resolvit: « Quia ergo consulti fuimus, utra istarum opinionum potior videatur, Nobis et Fratribus nostris apparuit: quod, licet ea sit Romanae Ecclesiae consuetudo, ut quocumque tempore matrimonium contrahatur, consensu interveniente legitimo de praesenti; quia tamen a septuagesima usque ad septimam diem post Pentecostem celebrari nuptiae non sinuntur, et postea etiam tribus septimanis vel pluribus ante festivitatem S. Ioannis sine differentia celebrantur; *posterior sententia meliori et subtiliori nititur ratione;* et sive secundum Canones a Septuagesima usque post octavas Paschae, sive iuxta consuetudinem Ecclesiae Romanae usque post septem dies festi Pentecostes, quod caret octavis, nuptiae suspendantur, in Dominica quae sequitur, et deinceps possunt licite celebrari ». Clemens III. ergo minime definit, ubi sunt duae *probabiles* opiniones, quarum altera sit *probabilis,* altera *probabilior,* vel *certe, multum probabilior,* haec sit omnino et semper tenenda; sed dicit tantum, quod ex duabus propositis sententiis, secunda sit *melior* et *subtilior*. Unde certe nihil eruitur pro probabiliorismo. Immo, quod caput est, rem Clemens III. definit non innixus *certe, multum, probabiliori* sententia, sed innixus *certo* Canone, *certaque consuetudine*.

2°. Reg. 45^a^. Iuris in 6°. non respicit proprie *probabilitatem,* sed *dubium;* quod est bene diversum. Cf. I. M. 137. 138. Unde ea Regula fere excluditur *probabilitas;* siquidem dicitur, quod inspicimus *verisimilius,* quod proprie non *probabilitatem,* sed *praesumptionem* prae se fert. Enimvero tota Regula est sequentis tenoris: *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit:* nempe, *In obscuris,* i. e. in quibus veritas *nec verisimiliter* apparet, quod profecto idem non est ac *In probabilibus, quod verisimilius,* videlicet quod, attentis omnibus rei ipsius adiunctis, praesumptionem in verisimilitudine fundatam habet. *Vel quod plerumque fieri consuevit,* scilicet, praedicta deficiente praesumptione, illud tenendum est, quod communiter et ordi-

narie fieri solet, pro eo enim stat tunc praesumptio. Inutile praeterea est advertere, quod Regula haec, ut aliae similes Regulae, ad forensia potius iudicia, et ad iudiciales sententias spectent. Cf. Reiffenst. in Reg. cit. Iam vero ex eo quod in illis, in quibus praesumptio etiam desideratur, verisimilitudine innixa, tenendum sit illud, et quidem in iudiciis et in rebus iustitiae, agitur enim *de Regula Iuris,* quod omnibus rei circumstantiis perpensis verisimilius apparet; vel quod, hac deficiente praesumptione, ex communiter et ordinarie contingentibus potius praesumitur; vel tandem, si neque hoc haberi potest, minimum sequendum et tenendum sit, ut habet Reg. 3o. in 6°; inde profecto non sequitur, quod, *probabili* et *probabiliori* stantibus opinionibus *contra* legem et *pro* lege, lex *certo* obliget. Et sane Ius Canonicum sibimetipsi non contradicit. Porro, reliquis nunc praetermissis, C. *Cum iure* 31. *De Off. et Pot. Iud. Deleg.* dicitur: « Nisi de mandato *certus* extiteris, exequi non cogeris quod mandatur ». Idem habetur in C. *Sicut quaedam* D. 14., ubi S. Leo haec scribit: « In his quae vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis SS. Patrum inveniatur adversum ». Et S. Alph. l. 3. post n. 130. Epist. Resp. par. *Adversarius in Dissertat.* hunc subiicit commentarium: « Hoc locum habet in quantum asseri potest, quod aliqua actio non sit graviter illicita. Sed, ut affirmetur absolute, aliquam actionem esse peccatum mortale, non sufficit opinio *probabilis;* nec etiam *probabilior* ».

3°. Suaresius certe probabiliorista non fuit, neque hoc necesse est demonstrare, siquidem ab ipsis adversariis conceditur. Cf. Marc. l. c. 92. Eius igitur dictum explicandum tantum est, et facile explicatur. Contingit sane aliquando, quod pro aliqua veritate maior *absolute* probabilitas habeatur, et excessus probabilitatis tam *certus* est, ut opposita sententia vix sit probabilis, seu non nisi tenui quadam gaudeat probabilitate, ita ut *incerta* et *dubia* sit probabilitas oppositae illius sententiae. In tali casu *maior* illa probabilitas, cum tali *certo* probabilitatis excessu, morali cuidam aequivalet certitudini. Sed in tali casu, uti patet, non agitur amplius de duabus sententiis *vere probabilibus,* licet altera sit alterâ probabilior. Nihil igitur ex Suaresii dicto eruitur pro probabiliorismo.

4°. Idem dicendum est de Muzzarelli affirmatione. Agit enim de tali probabilitatis *notabili excessu,* ut oppositae partis *dubium auferatur, ad unum determinemur, et in eo sistamus.* Porro in tali casu iam sumus extra limites verae probabilitatis, sed in certitudine saltem morali invenimur. Haec habet Muzzarelli cit. Opusc. Edit. Roman. 1807. pag. 19. « Si excessus sit *magni* aut *notabilis* momenti, tum dico, *quod in praxi ordinarie non subsistit apud intellectum suasio rationum pro contraria sententia;* ideoque iste casus *semper* mihi visus est *admodum rarus in praxi.* Magna enim aut notabilis praeponderantia rationum pro una sententia *aufert* apud intellectum *gravitatem* pro altera, et eam efficit apud ipsum non solum *minus gravem,* sed etiam LEVEM *et* IMPROBABILEM ». Quod autem Muzzarelli, non probabiliorista sed simpliciter reapse probabilista sit, patet ex *Regula agendi,* quam post Benedictum XIV. constituit in praedicto Opusculo. Ea enim haec generatim est, scilicet ut in rebus obscuris et difficilioribus eam amplectamur sententiam, *quam ratio suadet, ac firmat auctoritas.* « Quam *ratio suadet,* scilicet quam ratio

veluti veram *aut verisimilem* ita proponit, ut inducat hominem *prudentem* ad praebendum sibi assensum. In hoc enim stat rationabilis suasionis vis; unde fit ut *opinio, in qua ratio prudentis viri quiescere nequit, quamvis interdum aliquam apparentem veritatem* aut *verisimilitudinem praeseferat, omnino tamen sit refutanda.* Sequitur: *ac firmat auctoritas.* Est enim doctorum hominum auctoritas maximus cardo, a quo regitur humani intellectus imbecillitas, ita ut ignaris et indoctis huiusmodi auctoritas stet fere semper pro ratione..... Deus a nobis non exigit, ut operemur semper cum metaphysica, aut physica evidentia de honestate materiali actionis nostrae: hoc enim est supra naturae humanae vires pro hoc vitae statu; sed solum a nobis exigit, ut nunquam operemur sine firma et prudenti persuasione, quod actio nostra hic et nunc ponenda non sit peccaminosa, sed licita..... Atqui is, qui in obscuris et disputabilibus tandem exequitur id, quod, omnibus serio expensis, *ratio sibi suadet, et auctoritas firmat,* sequitur illud, *quod sibi apparet prudenter verum et honestum....* Statim ac in rebus controversis post diligens examen, et omnibus serio expensis, inveniam opinionem, quam recta ratio mihi suadet, et plures classici auctores confirmant, iam non est mihi opus ulterius inquirere, et doctores omnes perscrutari, *singulas eorum rationes et auctoritates conferre et iudicare de eorum inaequalitate et praeponderantia,* quod esset onus moraliter intolerabile, utpote innumeris scrupulis perplexum, et periculis errandi obnoxium ». Atque hinc satis superque patet, non solum quod Muzzarelli re ipsa simpliciter probabilismum tueatur, sed etiam quod aequiprobabilismum et probabiliorismum excludat; unde inferius adhuc clarius asserat: « Si autem id aliquando accidat, ut adsit simul maior notabilis suasio pro contradictoria respective sententia, non auderem quidem aliquid addere Benedicti XIV. regulae, qui *simpliciter* id sequi consulit, quod ratio suadet, *non id quod magis suadet.....* Prudentissime Pontifex Benedictus XIV. ab his comparativis praeeminentiis abstinuit, et ad sententiam nos descendere unice praescripsit, *quam ratio suadet, et firmat auctoritas* ». Et haec quidem sententia, in rebus obscuris et disputatis, sententia quidem est, quae sit *vere probabilis;* quilibet sit eius probabilitatis gradus, de quo iudicare res adeo difficilis est; ut, quemadmodum ait idem Muzzarelli, « praesumendum non est, quod voluerit Deus, quum agitur de legis observantia ad salutem necessaria, nos coniicere in tot difficultates et ambages, unde extricari non possimus, et a quibus fere in desperationem impellamur ».

5°. Eadem etiam est mens S. Alphonsi; siquidem aperte ait S. D., quod stante sententia *certe multo magis probabili* pro lege, voluntas nequit *prudenter* parti minus tutae adhaerere. Haec ergo pars, si talis est, ut ipsi voluntas *prudenter* adhaerere non possit, iam vere probabilis non est, et opposita iam est moraliter certa. Idque sane S. D. constituit ad Probabilismum retinendum intra limites verae probabilitatis, et ad removendum consequenter ab illo *tenuem et dubiam* probabilitatem. Hinc in textu allato in Casu S. D. non loquitur de quavis probabilitate; sed de ea quae *intellectui iudicantis diserte apparet,* qui consequenter, si ab hac probabilitate discederet, a proprio iudicio *per quendam conatum voluntatis discederet,* et contra suam conscientiam ageret, cui proinde aptat illud Apostoli, Rom. 14., 23.: *Quod non est*

ex fide peccatum est. Hinc S. D. constantissime docuit: « Ut non sit peccatum grave, sufficit ut *vera probabilitas* habeatur, intelligo illam, *quae fundamento* NON TENUI nititur, ut tuto, iuxta communem sententiam, *seposita quaestione de probabiliori et minus probabili,* possit teneri et doceri ». Op. Mor. l. 3. post n. 130. Epist. Resp. par. *Adversarius in Dissertat.* Eamque vero sententiam S. D. oppugnat, et laxam appellat, quae etiam *minus probabilem* pro libertate tuetur SINE ULLA DISTINCTIONE, inter gravem et tenuem, inter certam et dubiam probabilitatem. Apol. cont. il P. Patuzzi an. 1765. Cf. I. M. 131. seqq. Ac l. 3. n. 547. hanc S. Alph. statuit et evolvit assertionem: « Imponenda sub culpa gravi non sunt praecepta, *nisi evidens ratio id suadeat* ». Et hoc ad nos quod attinet revera est Probabilismus, quem defendimus, omni sepósita quaestione de probabiliori et minus probabili, de multo magis, et parum probabiliori, et aeque probabili. Probabilioristae simpliciter asserunt standum pro probabiliori, relicta minus probabili. Aequeprobabilistae affirmant standum pro multo magis probabili, relicta multo minus probabili; concedunt vero posse quempiam tenere probabilem, relicta altera aeque probabili vel parum probabiliori. Probabilistae dicunt licere sequi opinionem simpliciter probabilem, dummodo sit vere probabilis, relicta altera licet probabiliori et multo probabiliori. Nos igitur hoc tuemur systema cum S. Alphonso, et cum S. Thoma et non aliud: « Imponenda sub culpa gravi non sunt praecepta, *nisi evidens ratio id suadeat* ». l. 3. n. 547. « Nullus ligatur per praeceptum aliquod, *nisi mediante scientia illius praecepti* ». Quodl. 14. De Verit. a. 3. — G. 46. 47. 56.–64.

18. — DE PROBABILISMI EXTENSIONE

Titius confessarius et probabilista dicit: aut Probabilismus verus est, et in omni casu verus est; aut, si vel in uno casu falsus est, semper falsus est. Hinc non dubitat asserere, Probabilismum deberi consequenter extendi ad sigillum etiam sacramentale. Verum subdit Titius: quod speculative verum est, practice etiam verum est. Quare absque ullo scrupulo liberiori quadam ratione loqui solet de auditis in confessione. Et, si quando alii mirantur hunc loquendi modum; ait, ignorantes sunt, tanto peius pro ipsis.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Verum est, quod Titius affirmat: aut Probabilismus verus est, et in omni casu verus est; aut, si vel in uno casu falsus est, semper falsus est. Ratio est, 1°. quia veritas propositionis universalis debet verificari in omni alia propositione particulari sub illa contenta. 2°. Quia in omni vero casu probabilismi valet axioma, quo probabilismus innititur: *Lex dubia non obligat.* Si ergo hoc alioma semel falsum est, destruitur fundamentum totius Probabilismi. — Verum conclusio Titii de extensione Probabilismi ad sacramentale sigillum confessionis legitima non est. Ratio est, quia probabilitas hic non respicit *liceitatem* vel *illiceitatem subiectivam actionis,* quam Probabilismus dumtaxat attingit; sed respicit ipsam *obiectivam* rei *veritatem:* manifesteturne sacramentale

sigillum. Si enim *probabile* est, quod hoc vel illud loquendo vel agendo *manifestetur* sacramentale sigillum, iam non est *probabile,* quod hoc vel illud loqui vel agere liceat, sed *certum* est, quod non *liceat.* Ratio est, quia *certo* redditur odiosum sacramentum poenitentiae, et fideles ab eo removentur; et praeterea probabilitas illa non facit, ut, si revera illa locutione vel illa actione sacramentale sigillum violetur, poenitens inde non diffametur, ad quod ius *certum* habet in quocumque casu, quantum est *vi sacramentalis sigilli.* Ac ius *certum* habet, ne, *vi sacramentalis confessionis, periculo* etiam probabili infamiae exponatur. Utrumque, uti patet, locum habet tum in probabilitate *facti*, tum in probabilitate *iuris,* quam perperam hac in re plures distinguunt. G. Comp. V. 2. 650., Cas. V. 2. 749., I. M. 116. 120. 121. Quod autem subdit Titius, quod speculative verum est practice etiam verum est, veritatem continet *in abstracto,* non *in concreto.* In concreto enim circumstantiae extrinsecae superaddi possunt, quae rem *per se* licitam, quamvis *per accidens,* illicitam in praxi reddant. In casu vero Titii loquentis liberiore ratione de auditis in confessione, secundum eius de probabilismo doctrinam, res non tantum *extrinsece* ob aliorum admirationem et scandalum, sed etiam *intrinsece* illicita est. Quare non alii sed ipse Titius ignorans est, et pro ipso male omnino se res habet.

19. — DE USU PROBABILITATIS

Antoninus recordatur, se iam pridem, ad vitandos frequentissimos relapsus contra castitatem, firmissime induxisse in animum, quod deinceps vellet abstinere ab omni peccato contra angelicam virtutem, et hoc quidem saepius confessario promisisse antequam sacramentalem absolutionem reciperet, et eandem voluntatem renovasse saepe immediate post acceptam Communionem. Hinc anxius Antoninus est, an ex facto voto, ab ineundis nuptiis debeat abstinere. Recordatur vero, quod, ut facto impleret quod animo statuerat, die festo SSmi Cordis Iesu plura vovit ieiunia peragenda, et plura rosaria recitanda. Verum nescit modo, an id facere debeat singulis diebus veneris et sabbati, vel tantum prima veneris et sabbati die, singulis mensibus. Dubitat praeterea, an utrumque facere debeat die veneris et sabbati, vel die veneris ieiunare, die sabbati rosarium dicere, et an integrum rosarium, vel tantum coronam seu tertiam rosarii partem, cum inter unum et alterum non satis ipse distingueret.

Quaer. *An et quomodo Antoninus sit praedictis votis obligatus?*

R. Antoninus castitatis voto non tenetur; propositum enim, licet firmissimum, castitatis, quam servandam *firmissime induxit in animum,* votum non est. Neque votum est, promissio saepe facta confessario in confessione, et ante sacramentalem absolutionem. Votum enim est promissio soli Deo facta. Neque item valorem voti habet illa *propositi* et *promissionis renovatio,* immediate post communionem; *renovatio* enim est *eiusdem voluntatis,* quae nullum continebat votum. Ac, si vere votum castitatis emisisset Antoninus, ut bene nunc *recordatur* se ieiunia et rosaria vovisse; ita profecto bene etiam recordaretur, se vovisse ca-

stitatem. Ad ieiunia autem et rosaria quod attinet, re perpensa et dubio permanente, non nisi ad minimum obligatur. Quare ieiunare tantum debet et rosarium recitare prima die veneris et sabbati singulis mensibus; ieiunare nempe prima die veneris, et rosarium recitare prima sabbati die, quod verisimilius videtur, et si serium etiam sit dubium de integro rosario recitando, sufficit quod recitet coronam, si nempe non satis distinguens inter rosarium et coronam, rosarium in mente habuerit et voverit prout soleret in sua familia recitare, et prout communiter etiam recitari solet. — I. M. 570. 572. 577. 586. 592. 593., Elbel 156. seqq., G. 44.

20. — CONFESSARIUS OPINIONES IMPONENS

Leofridus confessarius, probabilem sequens opinionem, obligationem imposuit suo poenitenti restitutionis, a qua iam liberatus fuerat ab alio confessario, qui probabilem etiam amplexus fuerat opinionem in favorem sui poenitentis. Hinc, cum poenitens restituere renueret; agitur, inquit Leofridus, de iustitia, in qua probabilitas locum non habet. Iustitiae enim est servare aequalitatem; quare, stante dubio et probabilitate, pro rata saltem dubii et probabilitatis restituendum est. — Cum autem esset ipse certo persuasus de realitate ignis in inferno, et contrariam opinionem certo haberet ipse uti falsam et erroneam, non dubitavit tamen nobilem quemdam virum absolvere, qui e contra arbitrabatur ignem inferni metaphoricum esse. Nam non desunt, dicebat, theologi tum veteres tum etiam recentiores, qui rem existimant dubiam, et Ecclesia de hac re nihil adhuc definivit. Confessarius vero ius non habet imponendi poenitenti suas opiniones, cum alii sint, qui contrarium sentiant.

Quaer. 1°. *An Confessarius imponere possit poenitenti, saltem rudi et ignaro, propriam opinionem?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 119. — Ad 2^um^. 1°. Leofridus ad restitutionem, *per se,* tenetur erga suum poenitentem. Etenim cum poenitens habebat pro se opinionem vere probabilem Leofridus iniuste poenitentem obligavit ad restitutionem, adeoque causa fuit efficax et iniusta damni poenitentis. Falsa autem est eius generalis doctrina, quod probabilitas locum non habeat in iustitia, ut passim videre est apud Doctores, et praesertim apud S. Alph. Falsa item est eius ratio, nam iustitiae utique est servare aequalitatem, et hanc laesam restituere: sed restitutio facienda est, ex eadem iustitia, reddendo unicuique ius suum, ubi constet de tali iure. Porro ubi dubium est alterius ius, ipsa iustitiae servanda aequalitas exigit, ut ius praevaleat possidentis, et possessor bonae fidei re sua tunc non spolietur. G. 62. 70., L. l. 6. n. 547.

2°. Cum Leofridus *certo* esset persuasus de realitate ignis in inferno, et contrariam opinionem *certo* ipse haberet uti falsam et erroneam, non poterat absolutionem dare nobili viro aliter sentienti. Neque vero eius ratio valet, quod nempe non prodierit adhuc de ea re Ecclesiae definitio, neque aliqui desint theologi, qui realem inferni ignem non admittant, sed metaphoricum. Nam primo, si haec certitudinem eius intellectus non destruebant de veritate ignis inferni non poterat sibi efformare conscientiam principio aliquo reflexo ad absolvendum, impossibile enim

est, quod quis *directe certus* sit de aliqua veritate, *reflexe* vero de eadem *dubitet*. Deinde vero non agitur reapse hic de re quadam inter catholicos doctores disputata, sed de communi catholicorum doctorum sententia, quam Suarez *certam et catholicam* affirmat. Cf. Suarez De Angelis l. 8. C. 12. n. 9., Petavium De Angelis l. 3. C. 5. n. 7., Toletum in 1. p. q. 64. a. 3. etc., G. 71. Quod autem asserit Leofridus in sui excusationem, eum minime excusat. Nam ex eo quod Ecclesia nihil definierit, non sequitur, ideo haberi posse ut probabilem, vel saltem non improbabilem, oppositam opinionem. Itemque ex eo quod theologi non desint, qui contrariam teneant sententiam, non ideo haec sententia haberi potest, ut extrinsece probabilis, vel saltem non improbabilis. Extrinseca probabilitas invocari non potest, si nulla a theologis afferatur probabilis ratio; extrinseca enim probabilitas in intrinsecam resolvitur. Ac tunc tantum extrinseca probabilitas invocari potest, praescindendo ab intrinseca, cum agatur de re aliqua implexa, obscura, difficultatibus involuta, non satis reapse liquida inter doctores. Postremo verum est, quod confessarius non possit suis poenitentibus imponere proprias opiniones, cum opinio poenitentis probabilis sit, vel saltem certo improbabilis non apparet; sed approbare non potest, quod poenitens falsas et erroneas opiniones in re practica, quae ad fidem et mores pertineat, sequatur. L. l. 6. n. 604., G. 69. 71.–74. Confirmatur praesens resolutio ex Resp. S. Poenit. 30. Apr. 1890.

21. — OPINIONIS MUTATIO

Sigismundus testamentum admittit in suum favorem conditum; sed legalibus formalitatibus destitutum; quia, inquit, probabiliter valet. Recusat vero pia quaedam et profana legata in eo inscripta solvere; quia, ait, probabiliter sunt nulla. Idem Sigismundus iuridice postulat, ut aliud irritetur testamentum in favorem Caii sui consanguinei conditum, debitis formalitatibus destitutum. Irritationem huius testamenti obtinet. Recusat item profana quaedam legata in eo inscripta solvere, quia, ait iterum, nulla sunt, utpote inscripta in testamento nullo.

Quaer. 1°. *An possit quis mutare sententiam probabilem semel acceptam, agendo secundum oppositam sententiam probabilem?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 128. — Ad 2^{um}. Sigismundus primum admittens testamentum opinionem sequitur vere probabilem, et inquietari non potest. Cf. I. M. 1029. Sed non potest non solvere pia et profana legata in eo inscripta; siquidem testamentum acceptans ex probabali opinione uti *validum*, eo ipso, et ius acquirit, quoad commodum testamenti, et obligationem simul contrahit oneris legatorum, iuxta Reg. 55. Iur. in 6°. « Qui sentit commodum et onus sentire debet ».

Verum, si testamentum formalitatibus carens sit ad piam causam, certo quidem validum est, si aliunde *certo* constet de testatoris voluntate. I. M. 1030. 1031. An autem valida etiam sint legata profana in eo contenta, controvertitur. Ratio negandi est, quia huiusmodi testamentum non valet nisi ex voluntate Summi Pontificis et ex Iure Canonico,

quod non se immiscet profanis causis, adeoque legata profana non valent, sed ipsi causae piae consequenter iure accretionis spectabunt. Ratio affirmandi est, quia cum causa pia ex defectu solemnitatum nullum patiatur damnum, aequitas saltem exigit, ut ex eodem contra voluntatem defuncti emolumentum non capiat. Sed e contra cum haeres ipsa sit, quia certo constat de voluntate defuncti solo naturali iure; cum eodem naturali iure certo constet de defuncti voluntate quoad legata, necesse est, ut exequatur causa pia certam hanc testatoris voluntatem. — Lugo D. 22. n. 274., L. l. 3. n. 922.

Ad Iudicem recurrens Sigismundus quoad alterum testamentum, opinione innixus probabili de eius invaliditate, licite agit, et utitur iure suo, quod cuilibet civi lex iusta concedit. Declarata vero per iudicis sententiam testamenti nullitate, nulla consequenter sunt legata profana in eo inscripta. Lex enim talia testamenta debitis formalitatibus destituta, simpliciter nullitati reddit obnoxia, nulla facta distinctione inter ipsam dispositionem testamentariam et legatum. C. I. 804., C. G. 1007. — G. 75.-78., I. M. 936.

22. — DE CONSCIENTIA DUBIA

Ferdinandus, die quadam, dubius utrum post mediam noctem biberit, cum certo biberit ea nocte, sacram Communionem suscepit. In dubio, inquit, melior est conditio possidentis. Cum iterum alia die communionem esset recepturus, exiguum sacchari frustulum inadvertenter ad os admovit, sed, statim advertens ad Communionem recipiendam, quam citissime expuit quidquid erat in ore. Attamen dubius, an aliquid sacchari deglutierit; nihilominus ad sacram mensam accessit, inquiens iterum: in dubio melior est conditio possidentis.

Quaer. 1°. *Quid sit conscientia dubia, et an regula morum esse possit?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 137. seqq. — Ad 2^{um}. Si res involuntarie accidit, Ferdinandus ercte ratiocinatus est, et privari non potest iure, quod certo possidet accedendi ad sacram communionem in utroque casu. C. Lugo, De Sacr. Euch. D. 15. n. 43., casum a casu distinguit. Concedit in posteriori casu posse Communionem recipi, negat vero in priori. Eius ratio est, quia « ille qui fatetur comestionem, debet probare novam diem post comestionem, ut habeat ius ad communionem, interim enim reiicietur eo titulo, quod comedit, et non habet ius donec incipiat nova dies post comestionem. Quae ratio non procedit in casu, quando dubitatur de ipsa comestione; huic enim nihil potest opponi, per quod amiserit ius ad communicandum eadem die, cum non possit illi opponi comestio, de qua non constat ». Verum; si hic ius habet ad communicandum, quia non potest ipsi opponi comestio, etiam ille ius habet ad communicandum, quia non potest illi opponi comestio post mediam noctem. Iure enim ad communicandum privatur non comestione, sed comestione post mediam noctem. Ut autem privetur hoc iure, quod certo et legitime possidet, probandum est factum comestionis post mediam noctem. Apposite S. Alph. l. 1. n. 39. « Si ergo, ne ipsi communicare possint,

probandum est factum, quod aliquid sumpserint, probandum est etiam factum, quod sumpserint post mediam noctem ». Ita etiam G. 67. 68., La-Croix l. 6. P. 1. n. 565.-567., aliique plures. Cf. Gur.-Ball. Comp. T. 1. n. 79. q. 5°.

Si res voluntarie fiat, recte inquit Euseb. Amort, Tom. 2. Diss. 5. Quaestiunc. in fin. §. 4. q. 4. 5., « eum peccaturum saltem venialiter, qui solius compotationis voluptuariae causa sic mercaretur circa leges Ecclesiae, se exponendo periculo transgressionis saltem materialis; et, si ita faciat ex consuetudine, aut proposito, semper hoc modo operandi, nulla concurrente alia rationabili causa, v. g., sitis, infirmitatis, etc., peccabit etiam mortaliter. Quia tale propositum arguit contemptum interpretativum legum, et defectum caritatis erga Deum et Ecclesiam, cuius decorem conspurcat ». — Elbel 165. seqq.

23. — DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA

« Titius clericus sat longum confecerat iter animo suscipiendi Ordinem presbyteratus; at vero, dum ecclesiam ingressus est, eidem incidit haec cogitatio: Ecce tu nondum elicuisti intentionem formalem et sufficientem pro susceptione presbyteratus, nam illa nuper facta nondum valet. Hac de causa proposuit, quod vellet elicere intentionem actualem sub actuali collatione Ordinis; ast ubi ad actualem susceptionem perventum est, Titius, forte ex distractione, nullam amplius intentionem elicuit. Quare domum reversus pridie Primitiarum exagitatus scrupulis dixit, se tuta conscientia non posse celebrare, eo quod defectu intentionis non fuerit valide ordinatus ».

Quaer. 1°. *Quid sit conscientia scrupulosa, et an regula morum esse possit?* — 2°. *Quid iudicii de Titio?*

R. « Facile liquet, quod Titius nedum scrupulosus, sed propemodum stultus sit habendus, quippe qui ex nullo aut certe prorsus inani fundamento dubitat de sufficientia suae intentionis, et de valore Ordinis suscepti. Quid enim stultius videri possit, quam longas facere vias, subire examen, et, praemissa exhomologesi aliisque praeparatoriis, ad Ordinis susceptionem sese disponere, et nihilominus dubitare de sufficientia intentionis? » Elbel 220.

Idem videtur ferendum iudicium de ordinando, qui valde anxius est, an sit in statu gratiae, nolit, sacros Ordines in statu peccati recipere, eosque reapse recipit: siquidem voluntas tunc praedominans, voluntas est sacros Ordines secipiendi.

Idem etiam dicendum de scrupulosis illis sacerdotibus, « qui plus quam oportet anguntur de sufficientia intentionis circa administrationem sacramentorum. Enimvero compertum habemus, dari huiusmodi homines, qui ad infirmum vocati eundem visitant, et confessum absolvunt; item qui a parentibus rogati, baptizant prolem recens natam; item qui a poenitente sollicitati, ut confessionem velint excipere, subito confessionale ingrediuntur, sicque sine ulteriori expressa intentione administrant sacramenta postulata: postea vero scrupulis exagitati, incipiunt dubitare, an habuerint intentionem sufficientem, et utrum non teneantur huiusmodi

infantem denuo rebaptizare, etc. Notent, inquam, hanc sane communissimam theologorum doctrinam, quod ad validam administrationem sacramenti minime necessaria sit intentio formalis explicita, sed sufficiat virtualis, qualem certo convincuntur habere, quando petentibus administrationem illico obsequuntur; dum enim rogatus ab aliquo, v. g., ut confessionem ipsius excipias, illico confessionale ingrederis, confessionem excipis, poenitentiam iniungis et tandem dicis: Ego te absolvo, etc.; numquid non ipso facto monstras te habere animum administrandi sacramentum, nonne tu ipsusmet stultum reputares, quisquis de hoc ambigeret? » Elbel 222.

Tandem illi etiam sine ratione inquieti sunt circa peractas confessiones, quod caruerint sincero dolore et proposito, et integre confessi non sint, propterea quod spiritus ariditatem in se experti sint, vel etiam naturalem quandam confessionis repugnantiam dum confiterentur, ac species ignoraverint peccatorum. Dolor enim et propositum rationalis voluntatis actus sunt, qui bene esse possunt in voluntate sine ullo sensibili effectu et signo in corpore. Itemque naturalis repugnantia et verecundia in explicandis peccatis argumentum non est, quod quis integre confessus non sit. Ac illud hic notandum est, quod haec repugnantia et verecundia saepe est potius circa quasdam circumstantias non necessario declarandas, quam circa ipsa peccata. Neque vero invalide et sacrilege quis confessus est propterea quod varias ignoraverit peccatorum species. Si eas ignorabat cum confitebatur, easdem etiam ignorabat cum peccabat. Quare, si quis aliud non possit inquieti animi motivum afferre, a confessario iubeatur ut acquiescat, et in divinam confidat bonitatem et misericordiam. — Elbel 223. seqq., G. 48. seqq., I. M. 158. seqq.

DE LEGIBUS

24. — DE NATURA LEGIS

Episcopus, in synodo dioecesana, reservavit sibi in futurum aliqua peccata, et aliquas censuras. Mortuo episcopo, Capitulum, Sede Vacante, iussit imprimi hanc casuum reservationem, ut ad notitiam veniret omnium confessariorum. Hunc titulum apposuit Folio, edito et impresso: *Casus et Censurae in Synodo N. Dioecesis, habita anno 1637.* Dubitatum fuit, an ea reservatio vim sufficientem haberet.

Quaer. 1°. *Quid sit lex?* — 2°. *Quid ad casum?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 166. seqq. — Ad 2um. Card. De Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 21. ita casum hunc resolvit: « Ego magis inclinavi in sententiam, negantem valorem illius reservationis... Moveor..., quia scilicet Capitulum non visum est uti sua auctoritate ad reservationem illam promulgandam, et eius obligationem inducendam. Neque enim significavit Capitulum, se reservare Casuum illorum absolutionem, nec dixit, se supplere auctoritatem, quam, mortuo ante promulgationem episcopo, non habebat; sed solum fecit illos casus imprimi tanquam ab episcopo in synodo dioecesana reservatos, non interposita auctoritate propria Capituli, Sede vacante, sed solum commemorata synodi dioecesanae cum episcopo. Cum ergo episcopi auctoritas iam expirasset, non potuit obligatio legis incipere, quando legislator non potest iam praecipere et obligare. Suppono enim ante promulgationem legem non esse legem, nisi inchoative, nec esse promulgationem solam conditionem, seu applicationem legis iam praeexistentis, sed potius esse partem constitutivam ipsius legis, in ratione legis... Et quidquid sit de hoc, fatendum tamen est, promulgationem, ad legis obligationem requisitam, non esse promulgationem per notitiam privatam, quam singuli subditi habeant de lege iam facta, etiamsi maior subditorum pars eam notitiam haberet; sed debere esse notitiam publicam, h. e. ortam ex actu solemni, quo iussu Legislatoris lex publicetur, ut notant communiter Doctores. Ratio autem ex dictis est, quia actus praecipiendi, qualis est lex, includit locutionem, qua Princeps seu Legislator praecipit et manifestat subditis suam voluntatem, quod tunc fit quando lex promulgatur. Non potest autem promulgationem esse loquutionem Principis, nisi Principis iussu et auctoritate. Cum ergo episcopus mortuus non possit iam subditis loqui, aut praecipere, consequens est, ut promulgatio a Capitulo solo facta non possit fieri nomine episcopi, nec ab eodem episcopo auctoritatem accipiat; non est ergo promulgatio illa sufficiens ad obligationem inducendam, cum per

illam promulgationem nullus superior loquatur et praecipiat. Non etiam episcopus mortuus, qui iam nunc nec loqui potest, nec praecipere. Non etiam Capitulum, quod licet praecipere posset; non tamen significat, se praecipere, nec interponit suam auctoritatem, sed solius episcopi iam mortui. Defuit ergo promulgatio, requisita ad obligandum, nimirum promulgatio, facta ab ipso Superiore, per eandem promulgationem praecipiente ».

25. — DE PROMULGATIONE LEGIS

« Caius consiliarius magni nominis, nec minus opulentus, intellexerat, in ultimo consessu, decretum fuisse, ut ducatorum simul et frumenti valor diminueretur, e contra alterius cuiusdam monetae argenteae valor elevaretur. Quamobrem temporis et notitiae huius privatae occasione utendum sibi ratus, ante unum vel alterum diem priusquam praefata Constitutio solemniter promulgata fuit, petiit a quodam Iudaeo notabilem summam de illa specie monetae argenteae, cuius loco eidem reddidit ducatos et frumentum. Post aliquot dies, facta iam promulgatione praefatae Constitutionis, venit ad confessarium fassus ingenue, se aliquem Iudaeum insigniter decepisse, petiitque scire, an propterea peccaverit, vel obligationem restituendi incurrerit? »

Quaer. 1°. *An promulgatio legis necessaria sit ad eius obligationem?* — 2°. *Quid confessarius interroganti Caio respondebit?*

R. Ad 1^um^. Affirmative. Nam promulgatio est actus, quo lex subditis exhibetur et ostenditur. Unde patet etiam, quod licet promulgatio sit necessaria ad obligationem legis; ad eius tamen *essentiam* non pertinet. Essentia enim legis in hoc est, quod sit *regula morum,* et promulgatio *regulans* non est, sed *ostendens* tantum regulam. Cf. I. M. 166. 167.

Ad 2^um^. « Caius, vi huius facti, saltem *per se* loquendo, non peccavit, nec ullam obligationem restituendi contraxit... Ratio est, quia cum, tempore huius commutationis factae, ducati et frumentum revera fuerint in suo pristino valore, profecto liquet, quod Caius dando aurum et frumentum pro argento rependerit aequivalens. Esto etiam supponatur scivisse, frumentum post promulgationem illico minoris valiturum, quia tamen haec promulgatio nondum contigit, nec Caius aliunde fuit obligatus ad eam Iudaeo insinuandam, hinc nullam prorsus huic intulit iniuriam, sed sapienter usus fuit iure suo in ordine ad evadendum damnum, quod ex retentione ducatorum et frumenti sibi imminere praevidit.

Dixi tamen Caium in hoc facto, *per se loquendo,* non peccasse. Ex modo enim accusandi videtur satis liquido insinuasse, quod saltem ex conscientia erronea graviter deliquerit: deceptio quippe proximi in materia gravi non vacat gravi culpa. Ergo cum Caius putaverit, se decipere, immo voluerit graviter decipere Iudaeum, videtur practice certum, quod graviter peccaverit, tametsi non amplius teneatur rescindere contractum, nec quidquam restituere Iudaeo, eo quod, secundum mox dicta, contractus fuerit revera iustus ». Elbel 257. 258., G. 89. 90. Cf. I. M. 1147.

26. — DE PROMULGATIONE LEGIS CANONICAE

Epipodius theologus et Tiphonius canonista, inter se conferentes, acriter de promulgatione legis pontificiae disputant. *Prior* contendit, satis esse si eius promulgatio fiat Romae, seu in *urbe principe totius orbis terrarum,* ut vim omnes fideles obligandi habeat. *Posterior* vero contendit, promulgationem esse faciendam in singulis dioecesibus *ad notitiam earum omnibus manifestandam.* Roma enim valde distat a maiori parte dioecesum totius orbis.

Quaer. 1°. *Quomodo et ubinam leges sint promulgandae?* — 2°. *An leges Pontificiae, uti obligent, debeant promulgari non solum Romae; sed etiam in quavis dioecesi a proprio episcopo?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 168. 169. — Ad 2^um^. 1°. Negative, si agatur de Constitutionibus Pontificiis *de re fidei et morum.* Ratio est, quia non sunt *novae leges,* sed *merae declarationes* iuris naturalis et divini, iam ante sufficienter promulgati.

2°. Affirmative, si de *disciplinaribus legibus* agatur, et huiusmodi promulgatio constituatur in ipsa lege, ut Decretum Tridentinum S. 24. C. 1. de R. de nullitate matrimonii clandestini. Ratio est, quia modus promulgationis pendet omnino a voluntate legislatoris.

3°. Si de iisdem legibus agatur, et nihil in lege habeatur de speciali promulgatione facienda, « prima sententia affirmat, et hanc tenent plures graves auctores... Sed adhuc, iuxta hanc primam sententiam, excipi debent Bullae insertae in Bullario, quoniam hae sunt iam Corpus legum; et in hoc omnes conveniunt, ut testatur Card. Petra... Secunda vero sententia, valde communis et probabilior, id negat.... Sedes Apostolica, cum vult aliquam legem non obligare, nisi post publicationem factam in provinciis id exprimit... Cum Pontifex statuit, suas Bullas tantum Romae publicari, minime verisimile est, quod ipse non alias provincias, sed solam Romanam obligare intendat. Cum Papa tantum Romanos obstringere vult, solet peculiaria Edicta emanare.... Sed statuta per totam Ecclesiam condens, eaque solemniter promulgans cum clausulis obligatoriis, procul dubio praesumitur omnes fideles obligare velle statim ac ipsis notitia pervenerit..... Id clare deducitur ex C. 1. *Ad haec de Postulat. Praelat.....* Idem satis infertur ex C. *Quia cunctis* 1. §. *Nec obstaret de Concess. praeb.* in 6°.... Sed quod magis nostrae sententiae vim praebet sunt duae clausulae.... Altera clausula sic dicit: « Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas ad valvas etc. affigi, et publicari, sicque publicatas omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent ». Altera dicit: « Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur observantia, ac si unicuique forent exhibitae, vel ostensae ». Hae autem clausulae nimis diserte ostendunt, mentem Pontificis esse velle omnes fideles ob-

stringere ad huiusmodi Statuta independenter ab eorum publicatione in singulis Provinciis. Et Sylvius ac Roncaglia, quamvis admittant ut probabilem primam sententiam, habent tamen ut certum, quod omnes Bullae, cum praefatis clausulis Romae promulgatae, obligent per se absque alia promulgatione. Ceterum, recte ait Roncaglia, quod ex relatis verbis talium clausularum firmum adduci potest argumentum pro primae sententiae probabilitate respectu ad eas Bullas, ubi praedictae clausulae desunt; nihil enim in legibus frustra appositum supponendum, et clausulae illae omnino essent superfluae, si omnes Bullae, Romae publicatae etiam sine talibus clausulis, obligarent ante quamlibet aliam publicationem in Provinciis.... Praeterea probabiliter aiunt Suarez, etc., quod leges Pontificiae, quae infirmant aliquem contractum suapte natura validum..... vel quae iurisdictionem auferunt, v. g., in sacramento poenitentiae, circa has benigne interpretari possumus, mentem esse Pontificis, quod nolit eas effectum habere, nisi postquam fuerint in dioecesibus promulgatae; alioquin ipsae redundarent in detrimentum plurimorum, qui illas invincibiliter ignorarent ». Lig. l. 1. n. 96.

Posterior haec sententia omnino verior videtur ex quo responsum fuit a S. Poenit. 8. Nov. 1821. Const. *Ecclesiae* Pii VII., et 15. Iun. 1870. Const. *Apostolicae Sedis* Pii IX. obligare postridie eius publicationis Romae factae.

4°. « Non solum Constitutiones Pontificiae, quae solemniter sunt promulgatae, obligationem legis inducunt, sed etiam omnes aliae, quae, ex usu et consensu Ecclesiae universalis, iam a pluribus saeculis habentur pro sufficienter promulgatis et authenticis ». S. Alph. l. 1. n. 105. 106., Struggl Tr. 3. q. 1. n. 21. 22.

5°. « Speciale est in censuris, quod ad earum obligationem requiratur, ut non tantum Romae, sed etiam per Praelatos locorum publicentur. C. *Cum infirmitas* 13. *de Poenit. et Remiss.* ». Ita Engel l. 5. Tit. 39. n. 122. Verum dispositio, quae praefato Cap. continetur, haberi potest ut specialis dispositio pro speciali re. Agitur enim de medicis vocatis ad infirmos, qui debent ante omnia inducere infirmum ad confessionem. Ceterum in Const. Pii IX. *Apostolicae Sedis*, IV. Id. Oct. 1869., qua censurae constituuntur latae sententiae, in praesenti vigentes, specialis ista dispositio non habetur, et ea Constitutio ubique viget. — G. 92. seqq., Elbel 255. 256.

27. — DE OBIECTO LEGIS

Flavius, clericus, ob gravem in cura animarum commissam negligentiam, ad suum Ordinarium delatus, et inventus culpabilis, *condemnatus* fuit, ut per octiduum in quodam monasterio perageret exercitia spiritualia, et ut eidem monasterio daret quinquaginta libellas per modum eleemosynae. Hoc posterius Flavius nullatenus praestitit. Quoad prius vero, toto illo octiduo, ne unam quidem meditationem instituit, inquiens, quod oratio mentalis sit actus mere internus, qui praecipi non potest ab humano Superiore. Hinc alias omnes neglexit spirituales exercitationes, contentus habitare tantum in monasterio per octo dies, quos, profanos libros et ephemerides legendo, consumpsit.

1°. *An actus mere interni obiectum legis et praecepti esse possint?* — 2°. *Quid de Flavio?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 171. — Ad 2um. Episcopus legitime omnino Flavium condemnavit ad praefatam poenitentiam, supposita proportionata culpae gravitate. Licet autem verbis episcopus, in sua *sententia* vel *mandato*, non expresserit, quod voluerit Flavium graviter obligare, facto tamen id satis expressisse censeri debet ex eo quod quivis Superior, regulariter loquendo, praesumi debeat voluisse obligare iuxta capacitatem materiae. Hinc, omittens Flavius eleemosynam dare monasterio quinquaginta libellarum, graviter peccavit; quia quando materia, praecepta a Superiore, est divisibilis in plures partes, eaeque per se constituant materiam gravem, neglectus cuiusvis partis grave est peccatum. — Sed graviter praeterea peccavit Flavius ob omissa spiritualia exercitia, quae et ipsa gravem materiam constituunt. Neque vero Flavii ratio aliquid in casu valet; quia exercitia spiritualia non consistunt in meris actibus internis, aut in sola oratione mentali; sed in pluribus actibus simul internis et externis, in secessu ab omnibus saecularibus negotiis et profanis actionibus, in piis lectionibus, collationibus cum P. Spirituali, vel Confessario, vel Directore exercitiorum, in debita praeparatione ad meditationem, auditis vel perlectis prius variis punctis meditationum, in meditationibus et examinibus conscientiae, genibus flexis saltem per aliquod temporis spatium, in vocali precum recitatione, in visitationibus SSmi Sacramenti, etc., qui omnes, ut patet, actus mixti sunt, qui procul dubio praecipi possunt humana auctoritate. — Elbel 339.-341., G. 95. 96., Lugo Resp. Mor. l. 6. D. 7.

28. — DE AUCTORE LEGIS

Archiepiscopus quidam, cum tentatis variis mediis, et impositis aliis poenis, non posset extirpare abusum, qui in sua dioecesi nimium irrepserat, quo aliqui, variis de causis, occulte matrimonium contrahere volentes, sub praetextu infirmitatis, vel alio simili, parochum ad se vocabant, illoque praesente, et duobus testibus matrimonia repente contrahebant, antequam parochus effugere posset; ex quibus matrimoniis multa scandala et dissensiones oriebantur; idcirco, lege et edicto publico, non solum id prohibuit, sed abstulit facultatem parochis, et aliis sacerdotibus, de eorum licentia, assistendi eiusmodi matrimoniis, non praemissis denuntiationibus, eosque omnes, quoad hunc actum assistendi, suspendit, ac declaravit matrimonia, si quae deinceps hoc modo fierent fore invalida, ob defectum potestatis assistendi ex parte parochi, vel alterius sacerdotis, quae iam hac lege ablata fuerat.

Quaer. 1°. *An episcopi leges ferre possint?* — 2°. *An id archiepiscopus valide facere potuerit?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 181. — Ad 2um. Negative. Ratio 1°. est, quia, cum « Conc. Trid. ad valorem matrimonii solum requirat praesentiam parochi, et duorum testium, non potuit archiepiscopus irritare matrimonia coram parocho et testibus facta, qualia sunt ea, de quibus agitur, cum

ille revera adhuc maneat verus parochus, retinens titulum suae parochiae, praesertim, cum assistentia illa non sit actus iurisdictionis in parocho; quare, licet, ob excommunicationem vel aliam censuram suspensus esset ab omni iurisdictione, adhuc valide assisteret matrimonio, ut cum communi docet idem Sanchez l. 3. D. 21. n. 4. ». Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 45. n. 5. Ratio 2°. est, quia « quidquid sit de aliis materiis, in hac tamen materia non potest episcopus lege sua inducere impedimentum irritans matrimonii ultra illa, quae iure communi inducta sunt; hoc enim, utpote gravissimum negotium, et ex quo gravissima inconvenientia sequuntur, merito reservavit sibi uni Summus Pontifex, ut fatentur communiter doctores, quos sequuntur Thomas Sanchez l. 7. De Matr. D. 1. n. 9., Basilius Pontius, et alii omnes ». Lugo l. c. n. 6. Confirmatur ex Responsione S. C. C. apud eundem Lugonem l. c. n. 4.

29. — DE POTESTATE ABBATISSAE MONIALIUM

Cunegunda, monialium Abbatissa, suis monialibus professis et novitiis praecipit exteriora quaedam mortificationis et poenitentiae exercitia, eaque edicit in posterum servanda semper esse. Exterior mortificatio, ait, valde utilis est spirituali perfectioni; eaque praetermissa fuit in Constitutionibus a S. Sede approbatis, adeoque relicta est potestati et discretioni Abbatissae. Insuper omnibus pariter praecipit, ut singulae suas virtutes omnes, omniaque sua peccata in scriptis sibi exhibeant, singulis mensibus. Redditio conscientiae, inquit, semper in usu fuit apud Sanctos, et antiquos Monachos; eaque salutare et optimum medium est sanctitatis et perfectionis, omnibus quidem consulendum.

Quaer. 1°. *An Abbatissa vel Superiorissa monialium leges ferre possit?* — 2°. *Quid de Cunegunda sentiendum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 182. — Ad 2^um^. Potest quidem Abbatissa seu Superiorissa monialium, in casibus particularibus, et particularibus seu singulis monialibus professis, praecepta imponere in virtute sanctae obedientiae, vi voti obedientiae, graviter vel leviter obligantia, quoad ea quae pertinent ad regularem disciplinam, secundum Regulam et Constitutiones, a S. Sede approbatas. Secus enim frustra moniales obedientiam voto profiterentur. *Monialibus professis;* novitiis enim huiusmodi praecepta imponi non possunt, cum nondum obedientiae votum emiserint. Cum autem non habeat spiritualem et ecclesiasticam iurisdictionem, potestatem ferendi leges non habet, adeoque non potest Cunegunda toti Communitati, et in perpetuum, imponere exteriora illa mortificationis et poenitentiae exercitia. Ac cum in Constitutionibus, a S. Sede approbatis, praescripta non reperiantur, non *secundum* Constitutiones, sed *praeter* Constitutiones imponerentur; unde etiam ex hoc capite Cunegunda caret praedicta facultate. Non potest enim novam ipsa condere Constitutionem, praeter approbatas. — Verum, licet monialium Superiorissa, utpote femina, careat ecclesiastica iurisdictione, habet tamen oeconomicam potestatem, quae per se non dependet a Clavibus Ecclesiae, vel a sacris Ordinibus, sed est ex ipso naturali iure annexa cuilibet superioritati, et in qualibet communitate seu societate, quae Superiore aliquo regatur, repe-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ritur. Hinc, vi huius potestatis, Superiorissa potest etiam novitiis aliquid praecipere, easque corrigere, vel moderata aliqua poena coërcere; sed haec potestas, ut patet, valde limitata et restricta est. Primum igitur Cunegundae praeceptum nullius roboris est.

Idem dicendum est de altero Cunegundae praecepto; quod « non minus imprudens sit, quam iniquum. *Iniquum* ideo, quia vult adstringere subditas, ut se ipsas diffament de suis delictis, quantumvis occultis, et quidem coram femina, cui nec Deus nec ullus mortalium unquam voluit concredere potestatem discutiendi occultas conscientiarum latebras. *Imprudens* vero existimari debet ex eo, quia simplicioribus facile potest cedere in lapidem offensionis, et dare ansam innumeris sacrilegiis, dum sibi persuaserint, se teneri omnia sua quantumcumque occulta delicta in charta redigere, quod tamen verecundia praevalente non facient, nec etiam plus, quam scripto tenus annotarunt, confessario exponent. Quin immo tales Superiorissae, damnabili sua curiositate, semetipsas exponent periculis tentationum, dum tentant penetrare conscientiarum abdita, quae Deus sibi soli, suisque vicariis, sacerdotibus scilicet, voluit reservata ». Elbel 284. — Elbel 281.-284., G. 97. 98.

Confirmatur ex generali Decreto S. C. EE. et RR. 17. Dec. 1890., in quo huiusmodi redditio rationis conscientiae prohibetur, tum pro monasteriis monialium, etiam votorum solemnium, tum pro Institutis votorum simplicium utriusque sexus, iis dumtaxat virorum Institutis exceptis, natura ac regimine prorsus ecclesiasticis. Ac in eodem Decreto abusus declaratur, quod « aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerit, *ut facilius alumni arduam perfectionis viam* ab expertis superioribus, in dubiis, *addiscerent*, et contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, *quae unice sacramento poenitentiae reservata est,* inducta fuit ».

30. — DE SUBIECTO LEGIS

1°. Amalia filios habet quinquennem, septennem, novennem, quibus omnibus carnes die veneris dare solet, quia, ait, lege ieiunii non adstringuntur; et quia, cum carnes sint a die iovis residuae, commode conservari non possent usque in diem dominicam.

2°. Exuperius, summo mane, abit e loco sui domicilii, ubi speciale festum et obligatorium Patroni loci celebratur; et in vicinum venit locum, ubi etiam celebratur speciale et obligatorium Patroni loci festum. In neutro loco missam ea die audit Exuperius. In patriam redux post aliquot dies reperit ibi speciale ieiunium observari. Verum, cum ipse antequam iter ingrederetur, iam mane et meridie solido ientaculo et abundanti prandio, ac carnibus stomachum confortaverit, vespere in patria consueta integra coena et carnibus reficitur.

Quaer. 1°. *Quodnam sit legis subiectum?* — 2°. *Quid de Amalia et de Exuperio?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 192. seqq. — Ad 2^{um}. Amalia carnes dare potuit filio quinquenni, quia nondum habitualiter rationis compos est. Dare vero non potuit carnes filio septenni, expleto iam septennio, et filio

novenni; quia, licet hi lege ieiunii nondum teneantur, tenentur tamen lege abstinentiae. Hi enim tenentur servare illas leges ecclesiasticas, quorum observantia est eorundem viribus commensurata. Neque vero, per se loquendo, ratio excusans est, quod carnes sint diei iovis residuae, et usque ad dominicam diem conservari non possent.

Exuperius a gravi peccato eximitur, quod missam non audierit; quia a patria absens lege patriae teneri non poterat: neque lege loci, in quo versabatur, adstringebatur; quia eo in loco peregrinus erat. In patriam vero reversus, licet excusaretur a lege ieiunii ea die, qua in eam reversus erat, quia non erat iam amplius possibile ieiunium post plures refectiones factas; tenebatur tamen adhuc, reliqua diei parte, abstinentiam a carne servare. — G. 79.-87., Elbel 367.-372.

31. — DE OBLIGATIONE LEGIS IN PRAESUMPTIONE FUNDATAE

Caius Sempronii haereditatem simpliciter acceptavit, quin prius conficeret inventarium, videns eam constitui pluribus mobilibus et immobilibus bonis. Quare sperabat Caius non parum inde aucturum suam fortunam. Verum, cum debita defuncti excederent haereditatem, ipse, videns se illusum, renuit ea solvere. Res in iudicium fertur, et iudicis sententia in prima instantia et secunda, ac tertia appellatione condemnatur, iuxta legem, ad solutionem.

Quaer. 1°. *Quid lex in praesumptione fundata?* — 2°. *An Caius teneatur in conscientia ad ea debita solvenda?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 204. 205. 206. — Ad 2^{um}. « Si haeres, inquiunt Salmanticenses, non faciat inventarium intra terminum a iure praescriptum, tenetur ad omnia debita, et obligationes defuncti, etiam ultra vires haereditatis; quia praesumit ius, haeredem, adeundo haereditatem absque inventario, plura accepisse ad satisfaciendum sufficientia, et fraude occultasse aliqua. In foro autem conscientiae, si vere haereditas sit insufficiens ad omnia debita solvenda, an teneantur haeredes debita defuncti solvere? Disputant hic Doctores. Sed resolutio huius difficultatis pendet ex illa, quam dissolvimus: An scilicet leges fundatae in praesumptionibus obligent in conscientia, si deficiat praesumptio? Ubi partem negativam late probavimus. Quare cum dictae leges fundentur in praesumptione fraudis, et fallaciae, non tenetur haeres, qui absque inventario haereditatem adivit, solvere supra vires haereditatis debita defuncti in conscientia, ut in praesentiarum docent Sylvest., Gomez, Petrus Nav., Villal., Alvar., Martin. a S. Ioseph, Sanch., Sayr., Trull., Dian., Vasq., Bonac. Et hoc est etiam verum adhuc post iudicis sententiam; quia etiam talis sententia falsae nititur praesumptioni doli, aut fallaciae, ut tenent Sanch., Trull., Bon., et alii ». Tr. 14. C. 5. P. 11. n. 151.

S. Alph. Hom. Apost. Tr. 2. n. 26. « quaeritur, ait, an leges poenales fundatae in falsa praesumptione obligent in conscientia? Oportet distinguere praesumptionem dictam *praesuppositionis,* quae est praesuppositum facti, a praesumptione *definitionis,* quae est praesumptio iuris, quod iudicet secundum praesuppositum factum. Igitur, si facti praesuppositio est falsa, lex non obligat; v. g., si in iudicio falso probatum

fuerit tuum animal intulisse damnum, tunc non teneris solvere poenam, et, lata sententia ut solvas, licet externe, ut vitetur scandalum, tenearis solvere, tamen potes occulte tibi compensationem facere. Idem valet pro haeredibus, qui, ob neglectum inventarium, debita defuncti solvendo mulctantur ultra bona haereditaria, cum reapse credita excedant haereditatem. Secus vero dicendum, si falsa praesumptio, solum esset falsa *iuris;* v. g., si tuum animal certe fuerit causa damni; sed falsa est praesumptio, quod id acciderit tua culpa; quia tunc teneris solvere poenam (hoc intelligitur post sententiam); quia legis finis non solum est, ut puniat, sed et ut reddat homines diligentiores ad evitanda damna aliorum ».

Idem alii plures Theologi affirmant. Quare ad extrinsecam auctoritatem quod spectat, Caius obligari non potest in conscientia ad debita ultra haereditatem solvenda. Ad rationem autem quod attinet, dubium sane moveri potest, utrum ea lex et sententia fundetur in *praesumptione facti,* quod nempe haereditas reapse debita excedat (quum homines ordinarie loquendo non soleant in tali re esse negligentes et incauti, ita ut haereditatem adeant sine beneficio inventarii, quin prius certi sint de eius sufficientia et excessu respectu debitorum), et quod fraus et dolus vere intercedat; an potius *in praesumptione iuris,* communis nempe periculi doli et fraudis. Verum cum, ut iam dictum est, homines hac in re non soleant esse ita incauti, ut, non solum nullum lucrum inde capiant, verum etiam detrimentum patiantur, videtur ea lex et sententia fundari revera in praesumptione facti. Cum autem ista praesumptio sit falsa, Caius non potest in conscientia ea lege et sententia obligari; praesumptio enim cedit veritati. Insuper cum ad summum dubium sit, utrum ea lex et sententia fundetur in praesumptione facti an iuris, obligatio in conscientia imponi non potest; ea enim certo non constat. Iniustum quippe est, et contrarium axiomati, *Quod melior est conditio possidentis,* imponere solutionem debiti quando probabile est, nullam huius solutionis obligationem existere. — I. M. 1055., G. 105. 106., Comp. V. 1. n. 102. 823., Elbel 307.-310. 427.-430.

32. — DE ADIMPLETIONE LEGIS

Liborius, ex poenitentia a confessario ipsi iniuncta, duplex servare debebat ieiunium, duas audire missas, duo recitare rosaria. Libenter ieiunia servavit avaritiae ductus motivo; ac ut ieiunii incommodum imminueret, somno fere integra die indulsit, surgendo tantum ad matutinum frustulum sumendum, ad prandium et ad coenam. Duas autem missas, eodem tempore, audivit, recitans simul duo rosaria. Ac, cum ipse quotidie soleret rosarium recitare, omisit ea die tertium rosarium, ex devotione, recitare. Dum autem missas audiret graviter tentatus pravo consensit desiderio.

Quaer. 1°. *Quomodo lex sit observanda, eiusque obligationi satisfiat?* — 2°. *Quid sentiendum de Liborio?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 213. 214. 215. — Ad 2^{um}. Liborius satisfecit quidem obligationi duplicis ieiunii servandi, licet peccaverit venialiter ob avaritiam et pigritiam. Duo enim ieiunia sibi iniuncta reapse

servavit. Minime vero satisfecit obligationi duas missas audiendi; evidenter enim confessarii intentio erat, ut duas missas, diverso tempore, audiret, secus unam tantum missam audiendam ipsi imposuisset. Quare sufficit nunc, ut alteram audiat missam. Quod enim pravo adhaeserit desiderio, tempore missae; hoc quidem non impedivit, quominus missam revera audiret, si nullum saltem exteriorem actum posuerit insociabilem cum auditione sacri. Satisfecit etiam obligationi recitandi duo rosaria; licet ea, tempore missae, recitaverit; siquidem duae istae obligationes possunt simul impleri. Neque vero tenetur tertium rosarium recitare. Illud enim nulla lege, nullo praecepto, praescribitur, sed opus superogationis est. — G. 99.-102., Elbel 392.-396. 401. 402.

33. — DE MODO SATISFACIENDI LEGI

Pantaleo miles quendam rusticum damnificaverat praeter quidem intentionem, sed non sine aliqua negligentia. Ab eodem rustico Pantaleo accusatus ad compensandum damnum a suo militari duce condemnatus fuit. Verum, quia noluit damnum compensare, hinc fuit eidem subtractum militare stipendium 60. libellarum. Pantaleo ratus, se iniuste condemnatum et re sua spoliatum, hanc stipendii subtractionem occulte sibi compensavit 30. libellas a rustico subripiens, et alias 30. libellas subripiens a suo duce.

Quaer. 1°. *An iustitiae Pantaleo satisfecerit, nolens compensare praefatum damnum, et invitus patiens subtractionem sui salarii ad illud resarciendum?* — 2°. *An licite deinde egerit occulte se compensando?*

R. Ad 1^{um}. Quamvis Pantaleo non fuisset postea usus tacita compensatione, nihilominus invitus sustinens subtractionem salarii ad damnum resarciendum, iustitiae in conscientia non satisfecisset, quantum nempe ad internum animi affectum. Hic enim virtuti iustitiae opponitur, eaque in affectu laeditur, quamvis reapse in effectu nulla sit eius laesio. Cf. I. M. 213. — Ad 2^{um}. Illicite et iniuste egit Pantaleo, occulte se compensando, et tenetur ad restitutionem. Licet enim defuerit culpa theologica, culpa non defuit iuridica ob commissam negligentiam; adeoque ducis sententia legitima fuit et iusta. Quare illi, in foro conscientiae, omnino stare debet. — Elbel 397.-400., G. 105. 106.

34. — DE APPOSITIONE IMPEDIMENTORUM IN OBSERVANTIA LEGIS

Patritius pridie Quatuor Temporum totum diem venando consumit, *praevidens* fore, ut per lassitudinem sibi non liceat ieiunare. Die insuper festo summo mane vino paulo liberalius indulget, praevidens fore, ut interesse Sacro non possit.

Quaer. 1°. *An liceat impedimenta apponere in observantia legis?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 220. 221. 222. — Ad 2^{um}. Casum hunc ita resolvit Ithuriaga Cas. 32. n. 9. seqq. Patritius in 2°. casu peccavit et

contra temperantiam, et contra praeceptum Sacri audiendi. « Quid rationi conformius, quam praeceptum quodvis, cum urget, statim per se obligare et ad media ponenda, quae per se et proxime necessaria sunt, ut illud exequamur, et ad non ponenda impedimenta, quae proxime obesse possunt, quominus illud exequamur? Neget id qui negare audeat, eum qui tenetur ad finem, eo maxime teneri ad id omne, sine quo frustra finis intenderetur... Obligatus ad exequutionem legis vel hinc tenetur et adhibere media ordinaria per se ad observandam legem necessaria, et omne id, quoad fieri possit, removere, quod per se obstare possit, quominus lex, cum urget, observetur.... Nisi tamen agatur de impedimentis necessariis, aut sic utilibus, ut praestet illa non tolli, quam legem adimpleri. Tunc enim in explorato est humanas leges non adeo stricte urgere, ut obligent ad praetermittenda aut necesssaria, aut quae praestantiora sunt re praecepta, ut haec illis anteferatur. Quare, si necessitas urgeat, vel utilitas opitulandi aegroto, quo tempore urget missae praeceptum, missa potius omittenda est, quam aegroti subsidium. Si ieiunium servare quis vere non possit, et simul concionari, confessionesve excipere, ieiunium potius non servet, ut operibus his pietatis, ieiunio melioribus, incumbat. Neque enim hac ratione opus consilii operi praecepti anteponitur; sed res in tali statu constituitur, ut propter maius bonum cesset obligatio praecepti, ne maius bonum impedire videatur.

Nunc peccavit necne Patritius, pridie ante Quatuor Tempora venando, prout in casu? Equidem ducibus magno Suario, Sanchezio, Dicastillo, Gobat, Tamburinio, La-Croix, Palao, Sporer, Becano, Moia, et quotquot apud hunc contendunt, licere obicem ponere praecepti executioni, probabilius mihi est, ut per Probabilioristas ipsos sustinere mihi liceat, Patritium contra legem ieiunii non peccasse. Quid enim est, quod peccasse dicatur? Numquid, quia pridie venationi vacavit? At pridie nondum praeceptum aderat. Numquid, quia postridie, praecepto iam urgente, ieiunium non servavit? At postridie ob impotentiam sequutam, praecepto nullo ligabatur. Nec pridie igitur peccavit, nec postridie.

Dices peccasse pridie, quia praeceptum, quod nunc pro nunc non obligat, obligat nunc pro tunc: unde pridie debuit Patritius a venando abstinere, ut postridie posset ieiunare. Pulchre enimvero! Quid autem sibi vult: lex obligat *nunc pro tunc?* Non aliud certe, quam legem, quae nunc non obligat, postea obligaturam; si ergo postea obligatura non sit, male dicitur nunc pro tunc obligare; at, superveniente ieiunandi impotentia, lex amplius ad ieiunium non obligat; ergo Patritius pridie, ne pro postridie quidem obligabatur absolute, sed solum conditionate, si nempe ieiunii lex habilem eum ad servandum ieiunium inveniret; at habilem eum ob supervenientem debilitatem non invenit: ergo contra ieiunii legem non peccavit.

Verum hoc esse dices, si Patritius *praeviderit* quidem; at non *intenderit* ieiunium non servare. Si enim *eo consilio* venationi vacasset contra ieiunii legem aperte deliquisset. Contra tamen dico ipse: Nemini non impune licet media apponere, suapte natura licita, ex directa intentione obtinendi finem per legem non prohibitum; at venatio est quid suapte natura licitum, et fugere praecepti obligationem, sive id efficere, ut praeceptum non obliget, non est quid lege prohibitum; ergo licuit Patritio eo consilio iure uti suo, venando, ne ieiunii lege obligaretur.

Si vera sint haec, aequo iure ac ratione verum esse dicetur, Ecclesiasticum, pridie ante navigationem, breviarium posse in mare proiicere... Discrimen est. Siquidem nonnulla media sunt, quae antequam praeceptum urgere incipiat, poni debent, ut praeceptum, cum illud urget, adimpleamus; quia nimirum et sunt directe, atque immediate ad executionem praecepti, prope ut eiusdem materia, necessaria, et aliunde non ita facile possunt, urgente iam praecepto, comparari. Sic, si hodie habeas copiam confessarii, quam praevides cras non habiturum cum ad communionem obligareris, praecepto ipso communionis teneris confessionem anticipare. Et sic, praecepto ipso, quo Ecclesiasticus recitare tenetur, tenetur breviarium aut conservare, aut ante tempus etiam providere, ut, praecepto adveniente, recitare valeat..... Contra se res habet in specie Casus: neque enim abstinere a venando per se, directe, proxime, et immediate ad ieiunium spectat, ut ipsomet ieiunii praecepto a venatione abstinere debeamus, eo, ut vires ad ieiunandum conservemus; nisi velis, graviter aegrotantes contra Ecclesiae praecepta vel hinc delinquere, quod ad finem ea adimplendi, bene valere non procurent. Itaque, ut verbo absolvam: Praeceptum recitandi horas canonicas absolute obligat ad breviarium habendum, ut horas recitemus; atque hinc peccat contra praeceptum ecclesiasticus qui breviario voluntarie se privat. Praeceptum ieiunii obligat, non ut vires habeamus, ad ieiunandum; sed ut, si vires habeamus, ieiunemus: atque hinc, si vires ad ieiunandum non habemus; non ieiunando, contra ieiunii praeceptum non peccamus. Peccaremus autem (quod obiecta paritate evincitur), si praevidentes fore, ut die ipsa ieiunii esuriales cibi non essent, nollemus ex industria pridie ante diem ieiunii providere, aut iam provisos consumeremus eo fine, ut cibis vesci vetitis die ieiunii possemus; quia nimirum tam breviarium ad canonicas horas, quam esuriales cibi ad ieiunium aeque per se, directe, proxime, atque immediate veluti praecepti materia requiruntur, ut praecepto ipso ieiunii huiusmodi cibos vel ante tempus providere debeamus, haud secus ac praecepto ipso divini officii breviarium nobis providere debemus. Vires autem ad implendum praeceptum ad eiusdem materiam non spectant; nec media sunt, nisi per modum dispositionis per accidens, et remote necessaria ad executionum praecepti.

Consuetudine legem sic interpretante, rei sunt violationis festorum et aeditui et sartores et sutores et alicubi etiam pistores, qui cum commode possent nolunt pridie festi Templa ornare, vestes calceosque perficere, panem pinsere, ut omnia isthaec die ipso festo praestare, necessitate industriose quaesita, compellantur. Similiter reos existimo contra praecepta et confessionis annuae et communionis paschalis eos, qui pridie ante diem (qui terminus sit impletionis praecepti) alio abiret, ubi communicare aut expiare noxas non posset; quia nimirum huiusmodi particulares leges, nemine diffitente, obligant ad non ponenda pridie ad executionem praecepti impedimenta: non sic lex ieiunii in specie casus quem versavimus ».

Haec docti theologi resolutio admitti quidem potest, quatenus Patritius, ut in casu, alio honesto agens fine, mere *praevideat,* ut deinde non possit ieiunare. Nam, si praeterea id *intendat,* et *eo consilio* venationi vacet, adeoque non ex alia honesta causa venationem aggreditur, tunc *in fraudem* legis agere videtur. Agere enim *in fraudem* legis nihil

aliud est, quam aliquid data opera facere, ut lex eludatur. Quod quidem lex ipsa *implicite* prohibet; secus enim legis obligatio, si non omnino, magna certe ex parte irrita esset. I. M. 221. « Legem transgreditur, ait D'Annib. P. 1. n. 176., et is qui facit *contra verba legis,* sive omittat quod lex fieri iubet, sive admittat quod fieri vetat; et is, qui *verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem,* L. 5. C. h. t.; sive id omittat quod lex fieri voluit, fieri autem expressis verbis non iussit; sive *id faciat, quod lex fieri noluit, fieri autem expressis verbis non vetuit,* L. 29. h. t.; quod proprie dicimus agere *in fraudem legis.* Porro fraus legi fieri potest innumeris prope modis. Verum, ut fraus legi facta esse videatur, necesse est, ut id quod fit vel omittitur, fieri omittive lege aliqua *saltem implicite* vetitum sit; nam alias cui fraus? Etenim, quae nulla lege nec *explicite* nec *implicite* praecipiuntur, vetantur, ea quisque iure suo omittit, facit; et *nemo in fraudem agit qui suo iure utitur,* L. 56. de R. I. C. *de Elect.* » Atqui nihil magis implicite lex *velle* videtur, quam ut nihil *ea intentione* vel *eo consilio* praecise fiat, videlicet, ut eam eludendo, impune deinde possit quis contra ipsa *verba legis* ipsamque legem facere. — L. 1. 3. n. 672. 674. 1045. 1046., l. 6. n. 569. 583., G. 103. 104.

35. — DE CESSATIONE LEGIS

Cleophas, nobilissima familia natus, prole carens, iureiurando sese obstrinxit, quod toto tempore vitae suae singulis feriis sextis in honorem Dominicae Passionis ieiunium stricte esset servaturus, si masculinam prolem haberet ad familiae nomen propagandum; secus enim illa esset extinguenda. Optatam prolem obtinuit Cleophas, et fideliter ieiunium observare incepit. Verum post annum moritur proles, nec spes ulla apparet quod alium filium sit habiturus.

Quaer. 1°. *An cessante fine legis cesset lex?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 172. 173. — Ad 2^um^. Cleophas non amplius tenetur ad ieiunium servandum, quia votum fuit dumtaxat emissum sub conditione, si Deus daret haeredem masculinum, vi cuius familia reflo-resceret. Atqui haec conditio non fuit impleta; quia filius natus paulo post mortuus est. Ergo votum, utpote conditionatum, non subsistente conditione, desinit obligare. Accedit, quod, cessante causa finali adaequata, pariter cesset obligatio legis. Atqui huius quasi legis privatae cessavit causa finalis et quidem adaequata, eo ipso quod supponatur eidem esse praecisa omnis spes obtinendi haeredem masculinum, et propagandi familiam suam. — Elbel 424.-426., G. 107. 108.

36. — DE LEGE IRRITANTE

Eligius et Elodia consanguinei, in tertio gradu, Ecclesiae legem ignorantes, matrimonium in bona fine contrahunt. Ceterum, etsi impedimentum cognoscant, dispensationem petere non possunt ob teterrimam persecutionem iam a longo tempore excitatam in Ecclesiam; unde nullus ad parochum, ad episcopum, ad Romanum Pontificem recursus haberi

possit. Quapropter clandestine etiam matrimonium contrahere coguntur, non obstante promulgatione, in loco, Tridentini Decreti de Matrimonio coram parocho et testibus contrahendo.

Quaer. 1°. *Quaenam sit vis et obligatio legis irritantis?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 223. seqq. — Ad 2um. Eligii et Elodiae matrimonium nullum est. Etenim 1°. ignorantia impedimenti dirimentis actum, lege irritante nullum a legislatore declaratum, validum efficere non potest. Lex enim irritans directe et per se respicit commune bonum; adeoque uti non cessat in casu particularis personarum incommodi et necessitatis, licet illud gravissimum et haec gravissima sit, ita etiam non cessat in casu ignorantiae et bonae fidei. 2°. Licet vero ob gravissimam illam et diuturnam persecutionem, ratione quidem ipsius communis boni, impedimentum clandestinatis cesset; impossibilitas enim ad parochum recurrendi communis est omnibus: non cessat tamen impedimentum aliud consanguinitatis, quia incommodum hic particulare omnino est pro aliquibus, non commune omnibus. Et sane possunt huiusmodi sponsi cum aliis personis matrimonium contrahere. — G. 122. 124.

37. — DE LEGE POENALI

Inter evangelicos operarios Sinensium regionum quaestio exoritur de opii cultura, commercio atque usu. Alii contendunt opii commercium illicitum per se non esse, quia lex civilis, ab infideli Principe constituta, et illud gravissimis poenis prohibens, poenalis est. Ac quamvis illa lex, prohibitiva esset; et in conscientia obligans; non inde tamen sequeretur eius transgressionem esse semper grave peccatum, cum humanae leges, ordinarie loquendo, non obligent cum gravi incommodo. Alii e contra contendunt, illud commercium illicitum prorsus esse; nam in Actis S. Sedis opii usus abusus declaratur; adeoque commercium illud, commercium est rei prorsus illicitae. Lex praeterea civilis opii commercium prohibens, moralis et prohibitiva est, siquidem ad honestos mores tuendos spectat.

Quaer. 1°. *Quaenam sit legis poenalis natura, et unde dignoscatur?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 227. seqq., Enchir. Mor. N. 84. — Ad 2um. Responsio patet ex sequenti Instructione S. O. 29. Dec. 1891., cui locum dedit praedicta circa opium quaestio.

« 1°. Ex responsis huc usque datis, si probe intelligantur, liquido patet, nunquam S. Sedem improbasse eam opii culturam, commercium et usum, quae medicinae inservirent.

2°. Patet etiam SS. CC. decretis, tum quae de usu permittendo aut tolerando, tum quae de abusu reprobando lata sunt, non absolutam, sed relativam vim inesse. Respiciunt scilicet ea, quae proponebantur; non sunt proinde inter se indiscriminatim commiscenda, sed ad casus singulos cum suis peculiaribus circumstantiis referri debent. Quod si fiet,

facile comperietur ea sibi perpetuo constare. Neque ullam difficultatem facessere poterit, quod in Actis S. Sedis aliquando opii usus, aliquando abusus nominatur; nam usus qui improbatur ceu verus abusus habendus est.

3°. Quum itaque S. Congregatio christiano nomini propagando iam mentem suam circa abusum, de quo agitur, aperuisset anno 1830. « ad removenda dubia et animi perplexitates, quae oriri possunt in casibus particularibus », instructionem exarandam censuit, qua in re tanti momenti habendam esse voluit *magnam rationem tum civilis legis opii commercium vetantis,* tum *gravissimorum malorum, quae ex opii abusu* in illis regionibus *dimanare consueverunt.*

Quam instructionem anno 1848. Vicariis Apostolicis Yunnanensi ac Malacensi transmittendam decrevit, addens, *attento damno generali,* omnem curam adhibendam esse *ad opii usum extirpandum.* Ubi vocabulum *usus,* ut quisque facile intelligit, proprie abusum significare dicendum est. Non enim de eo usu agebatur, ad quem opium a natura comparatum est, sed de eo qui inter Sinenses obtinet, quique in eo est situs, ut opium dentibus mandant, vel alcoolicis potionibus immixtum ebibant, vel fumo hauriant.

4°. Idcirco Suprema haec Congr. anno 1852. declaravit quidem generatim illicitum commercium et usum opii, sed prout exponebatur, iussitque Vicarios Apostolicos, ut omnem curam adhiberent ad usum et commercium illud radicitus evellendum. Neque ab hoc decreto recedere censuit anno 1858., quamquam a Vicariis Apostolicis Xensiensi et Hunnanensi relatum fuisset, civilem legem, opium vetantem, non amplius existere.

5°. Neque ab hac prohibitione recessisse putanda est, licet nonnullis secus visum fuerit, anno 1878. Nam ob peculiares et omnino extraordinarias circumstantias, quae exponebantur, atque ob suspensionem ad decennium civilis legis, opii culturam interdicentis in iis locis, quae bello vastata fuerant, quorumque incolae ad extremam egestatem fuerunt adducti, Suprema Congregatio id dumtaxat statuit, ut sacramenta non denegarentur iis Christifidelibus, qui in Provincia Keuy-Thceou, illo decem annorum spatio a civili lege permisso, unice ad paupertatem levandam opium excoluissent. Et quum quaesitum fuisset: *an qui ex inveterata habitudine opio valedicere* nequeunt, *nisi cum mortis periculo, vel gravi detrimento, admitti possint* (ad sacramenta), *et an opium sumi possit per modum medicinae, quia habitudinis periculum imminet,* responsum fuit: *Affirmative, diligentia et cautelis tamen positis, ut opii abusus, malique effectus, ex huiusmodi abusu promanantes,* evitentur. Huiusmodi responsione, quae exceptionem respicit, unusquisque videt, minime infirmari generalia decreta, quibus opii abusus improbatur; idque perspicue declaratum est fer. IV. 4. Iul. 1883.

6°. Ex his omnibus sequitur 1°. opii culturam non esse quidem per se illicitam, in Sinicis autem regionibus ob abusus, quibus obnoxiam esse ex diuturna experientia certo constat, fieri illicitam, ac proinde Christifidelibus generatim esse interdicendam; 2°. nec secus de commercio iudicandum, quod quamvis per se malum non sit, malum tamen evadit ob graves abusus ex eo ut plurimum et fere universim manantes, et ob leges illud vetantes; ideoque prohibendum non solum iis, qui illud di-

recte exercent, sed etiam iis, qui eidem favent, qui scilicet pecuniam scienter opii mercatoribus foenerantur, vel agros in opii culturam locant; 3°. opii usum, qui in Sinis obtinere dicitur, tamquam detestabilem abusum ab Ecclesia habitum et illicitum declaratum; 4° eiusdem usum permitti posse iis, qui eidem sese assuefecerint, quique ab illo abstinere omnino non possint sine mortis periculo vel gravi detrimento; pariter opium sumi posse per modum medicinae, ea tamen lege ut modus et quantitas servetur, quae medicinalem rationem minime excedat, et debita diligentia, et cautelis adhibitis, ut eiusdem abusus malique effectus exinde profluentes praecaveantur ». Acta S. Sed. V. 24. pag. 506. seqq.

38. — DE LEGE TRIBUTORUM

Nicasius curru solet transvehere frumentum, vinum, aliasque merces, quibus tributa imponuntur. Ne autem ea solvat, per viam transit absconditam, vel nocte, praepositos fisci devitando. Aliquando vero recta via, per diem, securus pertransit ante ipsos fisci praepositos nihil deferens, quod tributo subiiciatur; idque agit, ut aliis vicibus possit item securus pertransire, cum iam notus sit praepositis fisci, absconditas tamen deferens prohibitas merces, tabacum, saccharum, etc.

Quaer. 1°. *An lex tributorum obliget in conscientia?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 232. — Ad 2^um^. Res quidem controversa est inter dd. Sic Sanchesii et aliorum doctrinam refert S. Alph. l. 3. n. 616., quin propriam tradat sententiam: « Sentit Sanchez, neminem qui palam recta via transit, teneri solvere vectigalia, ratione transitus per portam, vel pontem, quae imponuntur pro assecuratione viarum; durissimum enim esset obligare advenas ad scienda haec statuta, in portis vel pontibus. Et hoc probabile putat Sanchez cum aliis, etiamsi quis merces, aut se occultet; quia huiusmodi tributa ita sunt recepta, ut non debeantur nisi petita. Generaliter vero loquendo de omnibus vectigalibus, putat Lugo, monendos esse populos ad tributa solvenda, sed post factum non esse cogendos ad restitutionem tributi defraudati, si probabiliter sibi persuadeant in tanta vectigalium multitudine aliquod iniustum solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates ». Prudens confessarius, inquit Strugll 32., « non tam facile debet subterfugientes condemnare peccati mortalis reos; et multo minus debet eos obligare ad restitutionem; nam haec vix centesimo posset persuaderi. Praeterea sententia, quae docet, leges tributorum, et vectigalium, esse universim pure poenales, a pluribus doctoribus defenditur, et communiter agnoscitur esse vere probabilis ».

39. — DE LEGE MILITIAE

Sabas *subdiaconus,* ut a militiae lege eximatur, moderatam quandam pecuniae summam offert Sabano, *medico.* Quod advertens Sabellus, recens doctor in utroque Iure creatus, *ad exercendam advocati professionem* se parans, duplicatam pecuniae summam offert Sabano. Sabinus

in aula medicae visitationis praesens, cum sit pauper, sed astutus adolescens, interiorem fingit et asseveranter affirmat morbum. Et sic omnes a militiae onere liberantur.

Quaer. 1°. *An lex militiae sit lex mere poenalis, et iusta?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 171. 4°. 228. 232. 1386. — Ad 2^um^. Sabas *subdiaconus,* militiae lege minime tenetur. Quare minime peccat, munus offerendo medico, ut incapax militiae declaretur. Sabanus medicus, cum lex iniusta sit quoad Sabanum, eum incapacem declarando minime peccat. Neque vero inquietandus videtur Sabanus propterea quod moderatum pecuniae donum, ipsi *sponte oblatum,* a Saba acceptaverit.

Sabellus, medicum pecunia corrumpens, cooperatur verae iniustitiae ex parte medici, qui ex quasi contractu et officio obligatur. Unde est quod, *per se loquendo,* tum Sabellus tum medicus tenentur *per se* ad compensationem damnorum, quae alteri iuveni obveniunt, in eius locum ad militiam advocato. *Per se loquendo;* nam *in praxi* difficile est, hanc obligationem persuadere; saepe enim plures hac in re bona agunt fide ex ignorantia, vel legem ut iniustam habent. Nihil autem tenetur Sabanus restituere Sabello, cum eum iam invalidum declaraverit: siquidem, quamvis illicitus fuerit contractus, promissa tamen re impleta, probabiliter valet. Secus vero esset, si eum invalidum nondum declaraverit. I. M. 959.

Sabinus, fingens et affirmans morbum, quem non habet, certe peccat contra veritatem. Peccat etiam graviter contra iustitiam legalem, cum de lege agatur ad publicum bonum directe spectante, et ad illud omnino necessaria; adeoque iusta; nempe, *per se loquendo.* Sed peccatne graviter etiam contra iustitiam commutativam, ita ut ad restitutionem teneatur? Probabilius affirmandum videtur. Nam lex statuens, quod *sorte,* quae *omnibus* aeque favere potest, et consequenter ex hoc capite iniusta non apparet, *necessarii milites* designentur, *ius strictum* constituit, et indiscriminatim *omnibus* aeque confert, ut nempe sorte designati militiae inscribantur, alii vero liberi remaneant; quod ius, si mendaciis et fraudibus laedatur, iustitia consequenter laeditur commutativa. Attamen non desunt plures, qui legem iniustam asserunt; cum solum familiae iuvenes militiae idoneos habentes tantum onus sustineant. Verum id reapse iniustitiam legis non videtur probare. Nam e contra iniusta potius dicenda lex esset, si tale onus etiam non idoneis imponeretur. *Per accidens* autem est, quod talis vel talis familia iuvenes non idoneos habeat. Insuper, si lex habenda esset ut iniusta, tunc de Sabino, aliisque similibus dicendum esset, quod non solum non peccat contra iustitiam *commutativam,* verum etiam quod non peccat contra iustitiam *legalem.* Immo etiam dicendum esset, quod neque contra *veracitatem* peccet, ita mentiendo; sed quod legitima restrictione mentali utatur: et hoc revera satis durum videtur. — I. M. 1386., G. 757.–761., Frassinetti Tr. 10. Diss. 7., Génnari Consultaz. Mor. Can. Lit. Cons. 22.

40. DE LEGIS DISPENSATIONE

Leopoldus dispensationem petiit a suo confessario legis abstinentiae et ieiunii, tum quia iam annos quinquaginta et octo natus erat, tum quia stomachi debilitatem patiebatur, cibo indigens abundantiori, et esuralium ciborum nauseam experiebatur. Hinc non infrequenter et propter ieiunium capite laborabat, et propter abstinentiam somnum noctu capere non poterat. Dispensationem dare renuit confessarius, inquiens eum non habere talem potestatem. Hinc Leopoldus adiit parochum ab eo eandem petens dispensationem; sed eam parochus concedit tantum pro diebus ieiunii iam imminentibus Quatuor Temporum, dicens, se non posse dispensare, nisi tantum in casibus particularibus. Quare Leopoldus dispensationem petiit indefinitam ab episcopo, qui eam denegavit. Romam tunc scripsit Leopoldus perpetuam petens dispensationem, et pro causa affirmans in supplici libello tum provectam aetatem, tum infirmitatem, episcopi denegationem silentio premens. Dispensatione obtenta; post annum, ita bene se habet Leopoldus, ut anxius dubitet, utrum ea licite uti possit.

Quaer. 1°. *Quinam in legibus dispensare possint?* — 2°. *Quid ad Casum Leopoldi?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 241. seqq. — Ad 2^{um}. Confessarius Leopoldi recte respondit, se non posse dispensare. Confessarius, nisi specialem hac in re facultatem habeat sibi delegatam, neque in foro externo, neque in foro interno dispensare potest. Inferior enim in lege Superioris dispensare non potest. Ubi tamen causa adsit, quae per se excuset Leopoldum ab abstinentia et ieiunio, e. g., infirmitatis, vel alterius gravis detrimenti, potest tunc confessarius in particulari casu declarare, legem non obligare. Ac in tali casu minime debet Leopoldus dispensationem necessario petere, licet id facile possit efficere, cum lex tunc non urgeat. Idque valet etiam in dubio, utrum casus dispensatione indigeat, si conscientiam ipsemet sibi efformare possit: secus enim tunc proprie locum habet munus confessarii, ut declaret legem, in casu, non urgere. Verum hic non erat reapse casus Leopoldi, qui dispensationem petebat absolute et in perpetuum. Recte item parochus respondit. Parochus enim potest ex consuetudine dispensare in huiusmodi casibus, qui frequenter occurrunt, etiamsi facilis esset ad episcopum recursus. Non defuit autem pro Leopoldo sufficiens dispensationis causa, quae augeri adhuc facile potuit, in praedicto particulari casu, ob tres dies fere continuos abstinentiae et ieiunii. Recte etiam episcopus illimitatam dispensationem denegavit, quippe qui eam dare non poterat.

Obtenta autem a S. Sede dispensatione licite quidem Leopoldus uti potest. Quamvis enim denegationem episcopi, uti etiam denegationem confessarii et parochi non manifestaverit, dispensatio tamen omnino valida est. Summus enim Pontifex absolute utitur sua potestate, et absolute dispensare censetur, nisi aliud explicite in Rescripto exprimatur. In dispensatione concedenda voluntas superioris non regitur inferioris voluntate, sed gravitate causae motivae. Idque praeterea nullo Iure praescribitur,

si peculiares aliqui casus excipiuntur. Cf. I. M. V. 2. n. 1041. Neque vero manifestanda erat triplex illa denegatio, siquidem neque confessarius, neque parochus, neque episcopus illimitatam et perpetuam dispensationem concedere poterant.

Duplex autem causa, a Leopoldo in supplici libello exposita, sufficiens sane erat ad dispensationem licite et valide obtinendam, ut reapse obtinuit. De satis provecta aetate nulla quidem est difficultas. Ad infirmitatem autem quod spectat, quamvis, stricte loquendo, Leopoldus infirmus non sit, nausea tamen esurialium ciborum, stomachi debilitas, somni difficultas, infirmitas bene dici possunt; siquidem ea ad corporis valetudinem et virium firmitatem certe non spectant. Illud praeterea addendum, quod, in dubio de valore dispensationis obtentae, praesumendum generatim sit pro valore actus, pro quo stat iam possessio.

Quod autem Leopoldus post annum bene se habeat, non ideo videtur dispensatio cessare. Etenim valde probabiliter bene se habuit Leopoldus, quia constanter usus est cibis suo stomacho convenientibus, et debita quantitate; unde facile Leopoldus forte reincideret in eadem incommoda, si ab huiusmodi vitae regimine recederet. Praeterea, attenta eius imminenti senectute, et naturali temperamento, prudens revera adest timor relapsus in praedicta incommoda ex ieiunii et abstinentiae observantia. Unde causa finalis motiva dispensationis totaliter revera non cessavit. Tandem dispensatio data est etiam ob satis provectam aetatem, et haec causa *de se* perpetua est. Dispensatio ergo non conditionata, sed ut *absoluta* et perpetua censenda est, quae non cessat, licet forte *per accidens* cesset causa. Conditionate autem data procul dubio esset dispensatio, si, in ea, clausula fuisset apposita : *de consilio utriusque medici:* siquidem tunc confessarius et medicus infirmitatis statum declarare debuissent; adeoque, si infirmus sanitatem omnino recuperasset, dispensationi iam amplius locus non esset. — Cf. I. M. 1577. 1615. seqq., G. 109–114. 120., Elbel 450–452.

41. — DISPENSATIO DATA PEREGRINIS

Gerbertus, canonicus, ab Ordinario loci facultatem obtinuit dispensandi a lege ieiunii et abstinentiae, in foro sacramentali. Inter alios, plures dispensat poenitentes peregrinos, nonnullis facultatem tribuens duplicis refectionis et edendi carnes, durante itinere, etiamsi sint iam extra dioecesim. Ipsemet autem cum suo famulo, suo ordinario poenitente, iter extra dioecesim agens, et seipsum et suum famulum ab utraque lege dispensat.

Quaer. *An Gerbertus recte egerit?*

R. Gerbertus recte egit poenitentes peregrinos dispensando. Peregrini enim bene ab Ordinario loci possunt dispensari, siquidem per accessum ad Superiorem localem, si ab ipso dispensationem petant, fiunt voluntarie et sufficienter subditi. Gerbertus autem, gaudens facultate, sibi ab Ordinario loci delegata, eosdem quidem dispensare potest ac ipse episcopus dispensaret. Bene etiam dispensat peregrinos durante itinere, etiamsi forte extra dioecesim versentur, si tamen causa perduret dispensationis; haec enim *personalis* est, adeoque personae adhaeret, eamque

ubique subsequitur, neque territorio restringitur. Ita quidem P. Gury 115. Sed idipsum negare videtur D' Annib. 232. inquiens : « Verum, si dispensatio habet tractum successivum, cum sit multiplex, cessat statim ac dispensatus subditus esse desiit ». Male autem agit seipsum dispensans, quia neque Superior est, neque est *delegatus* ad dispensandum in legibus *in universitate causarum,* sed tantum in casibus particularibus occurrentibus, quoad abstinentiam et ieiunium ; et quia facultatem dispensandi non habet nisi *in foro sacramentali.* Si autem extra dioecesim approbatus ipse erat ab Ordinario loci ad confessiones audiendas, potuit quidem tunc suum famulum poenitentem suum dispensare, quia poenitens tunc fuisset sufficienter subditus, eumque potuisset in foro sacramentali dispensare. Si vero praedictam approbationem ipse non habuisset ab Ordinario loci, tunc non potuisset famulum dispensare ; siquidem non potuisset *in foro sacramentali* habitam potestatem exercere. Neque vero famulum dispensare potuisset ullo modo *in foro externo,* cum eius subditus non esset ; et dispensatio legis non nisi in subditum exercetur ; neque talem potestatem, pro externo foro, poterat a proprio Ordinario recipere, ut nempe extra propriam dioecesim, eius subditus fieret, qui eius subditus nullo pacto erat. — G. 115. 116. 140., Lig. l. 1. n. 158., l. 3. n. 262., I. M. 241.

Quid vero, si dispensatio sit tum *personalis,* tum *localis* ad instar privilegii, « qualis est concessio recens facta a Pontifice aliquibus Galliae dioecesibus, carnes die sabbati edendi, ea conditione, ut quisquis a parocho facultatem petat ? An concessa licentia extra territorium uti liceat ? — Negandum est, quia dispensatio est primario *localis.* Constat ex Resp. S. C. Inquis. ad episcopos belgicos, qui pro casu simili S. Sedem interrogaverunt. *Videtur* excipiendus casus, in quo quis transiret per alia loca, in quibus eadem gratia concessa esset ». G. 140. Sed, si dispensatio *localis* primario est, haec exceptio difficultate non caret.

42. — DISPENSATIO ANTE DENEGATA, ET DEINDE CONCESSA

1°. Renaldus, voto perpetuae castitatis ligatus, nuptias contrahere desiderans dispensationem petiit a S. Poenitentiaria sub ficto nomine Titii. Pro causa allegavit graves, quas contra castitatem patiebatur tentationes. Negativum recepit Rescriptum. Anno transacto, denuo scribit ad S. Poenitentiariam eandem postulans dispensationem, eademque causa allegata, ficto Titii nomine immutato in nomen Sempronii, tacitaque repulsa, quam prius passus fuerat. Exoptatam gratiam benigne hac vice consecutus est.

2°. Laurentius, gravibus officii sui negotiis occupatus, dispensationem ab episcopo postulavit voti facti peregrinationis ad dissitum quoddam Sanctuarium B. Mariae V. ; sed eam minime obtinuit. Episcopo mox defuncto, eandem dispensationem, eademque proposita causa, ab episcopo successore, prioris petitionis penitus ignaro, petiit et obtinuit.

3°. Aurelius ab Apostolica Dataria postulavit dispensationem ab impedimento consanguinitatis, ad matrimonium ineundum cum sua consobrina ; verum eam non obtinuit. Resciens autem, suum episcopum speciali pollere potestate ad dispensandum ab eodem impedimento, ab ipso

dispensationem petiit, et obtinuit, eadem allata causa, quam prius Datariae Apostolicae exposuerat, sed tacita denegatione, quae prius ipsi Romae facta fuerat.

Quaer. 1°. *Quid ad dispensationis validitatem requiratur?* — 2°. *Quid ad singulos Casus?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 237. — Ad 2um. Renaldi dispensatio valida est. « Etenim huiusmodi dispensatio minime est subreptitia, licet forte superior eam negavisset, si denegationis prius factae recordatus fuisset. Ratio est, quia praesumptio quod superior negasset nullo iure fundatur. Nam, si concedat, allatis iisdem rationibus quae prius allegatae iam fuerant, inde arguitur dari causas sufficientes ad dispensandum. Nec obstat prior negatio: nihil enim ad causam refert, et negare dispensationem ob illam solam causam, non videtur rationi consentaneum. Ratio perspicua est; nam, si iusta causa subest, potius decet priorem rigorem temperare, quam illum firmare; ergo circumstantia negationis prius factae impertinens est ad valorem dispensationis subsequentis. Ergo Renaldus non tenebatur eam in mentem superioris revocare. Ergo dispensatio haec non est *subreptitia;* ergo valida est. Nec obstat etiam, quod Renaldus secunda vice nomen fictum mutaverit, quia nunquam ad nomen attenditur in dispensationibus S. Poenitentiariae, cum sit consuetudo, ut semper nomen fictum adhibeatur. Parvi autem refert quod sit Titius vel Sempronius. Nec dicas Renaldum sic argui posse de mala voluntate superiorem decipiendi. Ille enim non dicitur decipere, qui suo iure utitur. Ita Suarez de Legibus l. 6. cap. 22. *cum aliis* contra *plures* ». G. 118.

Valida etiam est dispensatio Laurentii. « Etenim ex dictis in casu praecedenti valet dispensatio negata, et postea concessa ab eodem superiore negationis immemore; ergo ex paritate rationis valet etiam dispensatio ab uno superiore negata, et ab eius successore, negationis inscio, data. Ratio est, quia successor eandem habet potestatem ac praedecessor, nec regitur per iudicium et voluntatem illius. Imo in illo multo minus est probabilis praesumptio involuntarii; et insuper praedecessoris voluntas nullatenus ad causam refert ». G. 119.

Valida item est Aurelii dispensatio. « Ratio est, quia potestas inferioris non fuit restricta per negationem superioris; ergo, si gaudet facultate, stante causa sufficienti, censetur valida dispensatio. Ergo neque Aurelius *subreptitie* egit; iure enim suo usus est; nec proinde est inquietandus. Suarez, ibidem, et *alii* contra *alios* ». G. 121. Ita quidem Gury. Verum, « dispensatione negata ab Apostolica Sede, fas non est, eadem allegata causa, dispensationem petere ab Ordinario, etiamsi huius repulsae fiat mentio in supplici libello ». Zitelli de Dispens. Matr. Romae 1887. pag. 70., I. M. n. 1041.

43. — DISPENSATIO SINE CAUSA

Zoilus, scrupulosus, Superior Monasterii, valde anxius est quoad proprios subditos dispensandos, utrum nempe sufficiens adsit causa. Hinc saepe fit, ut dispensationem deneget, existimans causam non adesse, cum reapse adsit. Aliquando vero dispensat putans adesse causam, cum revera

non adsit; et aliquando etiam dispensat, licet ipsi videatur causam non adesse, cum tamen reapse adsit, ne odiosus ipse fiat, et suos subditos contristet.

Quaer. *An valida sit dispensatio, si superior per errorem, bona fide, arbitretur iustam causam; vel, si existimans causam non adesse, quae tamen reapse adest, temere dispenset?*

R. Affirmative ad utrumque, si sit Superior primarius; habet enim *veram voluntatem dispensandi,* et valide dispensare potest, etiam sine iusta causa. Ergo eius voluntas suum habet effectum in 1°. casu, videlicet, si Superior absolute dispenset, non si preces veritate nitantur, quatenus nulla sit obreptio vel subreptio essentialis *in petitione;* itemque, si res dubia sit; minime enim rationabiliter praesumitur nolle etiam dispensare, si res *obiective* vera non sit. Hoc enim obnoxias conscientias redderet innumeris anxietatibus et scrupulis. In 2°. vero casu res *obiective* vera est. Unde ex hoc capite nulla esse potest difficultas. — Negative vero ad 1^{um}., Affirmative ad 2^{um}., si Superior inferior sit. Ratio 1^{i}. est, nam est principium certum, quod in lege superioris invalide dispenset inferior, sine sufficienti causa. Oppositam tamen sententiam tanquam extrinsece probabilem habet D' Annib. P. 1. n. 233. Ratio 2^{i}. est, quia valor dispensationis non pendet a cognitione causae, sed ab existentia illius. — Lig. l. 1. n. 180. 181. 186., l. 3. 251., l. 7. n. 353.

44. — CESSATIO DISPENSATIONIS

« Caia puella anno 15°. aetatis emiserat votum perpetuae castitatis. At vero, elapsis postea sex annis, ubi caritas Dei sensim sine sensu coepit diminui, e contra stimuli carnis augeri, Caia pariter incepit amare et amari ab hominibus eo usque, ut fuerit impraegnata. Quia vero votum simplex dumtaxat fuit, et occulte emissum, hinc petiit Roma dispensationem in ordine ad contrahendum matrimonium, allegato gemino motivo, scilicet ut nata proles per subsequens matrimonium legitimaretur, et maritus posset sublevare matrem Caiae, quae erat vidua satis annosa. Post elapsum bimestre circiter, venit Roma dispensatio, directa ad virum discretum, cum solita illa clausula, ut dispenset, si preces veritate nitantur. Quia vero interim nedum proles genita, verum etiam mater Caiae obiit, ideo vir ille discretus merito dubitare coepit, an praefatam dispensationem adhuc potuerit exequi ».

Quaer. 1°. *Quandonam dispensatio cesset?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 248. — Ad 2^{um}. « Si tam proles genita, quam etiam mater vidua obiere priusquam vir ille discretus (confessarius scilicet) dispensationem actu fuit executus, non amplius potest eam exequi. Ratio est, quia causa finalis motiva necessario debet verificari pro tunc, quando actualiter dispensatur per deputatum in Rescripto, veluti tradit Kesslinger in addit. 1. ad tr. 2. dist. 4. post n. 26. theol. mor., Reiffenstuel cum Covarruvia de matr. p. 2. t. 1. c. 6. §. 9. de dispensat. n. 22., ubi is testatur ita fuisse decisum a Rota. Atqui in hac specie

facti fertur cessasse geminum motivum. Ergo ille vir discretus non potuit amplius exequi dispensationem. Consequenter dicendum, quod Caia valide quidem non tamen licite contraheret matrimonium; quia scilicet votum simplex castitatis est impedimentum impediens, etsi non dirimens matrimonium.

At quid, ais, si supponamus prolem ac viduam primum obiisse, postquam confessarius iam dispensavit cum Caia, ante contractum tamen matrimonium; liceretne huic vi praefatae dispensationis nubere suo sponso? — R. Multi hoc negant eo quod, in actibus revocabilibus saltem, legislator censeri debeat voluisse dumtaxat dispensare pro eo tempore, pro quo licite et sine peccato dispensare potuit; unde quemadmodum ob infirmitatem dispensatus in esu carnium, vel ob debilitatem oculorum in recitandis Horis canonicis tenetur rursus abstinere ab esu carnium vel recitare Horas canonicas, quamprimum cessaverit infirmitas, ita pariter tenentur abstinere tales sponsi a contrahendo matrimonio, non obstante dispensatione iamiam impetrata. Ita Sanchez de Matr. l. 8. D. 30. n. 12. et 13. cum aliis multis, sane non improbabiliter. Nihilominus censeo, sententiam oppositam Gobat tr. 9. Theol. Experim. n. 675. et 692., Castropalao P. 1. tr. 3. disp. 4. p. 15., Illsung tr. 1. Disp. 3. n. 41., et Henno de Legib. disp. 3. q. 15. a. 5. satis probabilem, praesertim in hoc nostro casu. Ratio est, quia dispensatio Caiae, iam semel fuit concessa, et quidem absolute non ad certum tempus dumtaxat, prout infirmis in esu carnium concedi solet, et Caia a suo voto fuit simpliciter dispensata ». Elbel 456. 457. Discrimen quidem essentiale est inter dispensationem ab esu carnium, a recitatione divini officii etc. ac inter dispensationem impedimenti, sive impedientis, sive dirimentis matrimonii. Illa enim materiam habet divisibilem successivo temporis tractu, haec vero materiam habet indivisibilem. Unde est, quod illa, cessante temporis tractu causa, utpote quasi conditionate de se data, consequenter cesset; haec utpote unico actu semel data et consummata, absoluta de se et perpetua est; ac, cessante temporis tractu causa, amplius cessare non potest. — Cf. I. M. de Matr. 111. 113.

45. — DE PRIVILEGIIS

Gervasius, privilegium habens, quo possit missam audire tempore interdicti, eam nihilominus omittit, quia, ait, nemo privilegio uti tenetur. Idem Gervasius, molestissima laborans podagra, ecclesiam ad missam diebus festis audiendam minime petere potest. Quamvis autem missam audire possit in privato domus suae Oratorio, cuius privilegium habet, eam etiam omittit eodem innixus principio.

Quaer. 1°. *An teneatur audire missam tempore interdicti, qui ex privilegio potest?* — 2°. *An missam audire teneatur ex privilegio in Oratorio privato, qui domo exire non possit?*

R. Ad 1^{um}. Affirmative. Ratio est, quia privilegium illud speciale non alium effectum habet quam auferre impedimentum inhabilitatis in observatione praecepti communis, quod affert Interdictum. Ergo, sublato tali impedimento, cum consequenter quis habilis sit ad legem implendam, viget obligatio praeceptum implendi. — Ad 2^{um}. probabiliter ne-

gative, quia sacrum facere in privato Oratorio est de se quid odiosum, minusque decens reverentiam debitam divino huic sacrificio. Ergo nullus cogi potest tali privilegio uti. Hinc discrimen patet inter hunc et praecedentem casum. In casu enim Interdicti, ablato per privilegium impedimento inhabilitatis, nulla postea iuris dispensatio intercedit, sed missa regulari modo dicitur. E contrario in praesenti casu per privilegium non tollitur impedimentum audiendi missam, aegritudo e. g., sed facultas fit ut missa extra Ecclesiam celebretur et audiatur contra communem canonem, adeoque vere intercedit hic usus activus privilegii; quo nemo uti tenetur. — Ithur. Cas. 32. n. 19. 20. Alii tamen negant. Et sic P. G. 159. inquit: « Gervasius tenetur uti privilegio, si facile possit habere sacerdotem gratuito in Oratorio celebraturum; ratio est, quia, licet privilegio uti non teneatur, tenetur satisfacere praecepto, quoties id sine incommodo facere potest. Imo, idem dicendum est, si modico stipendio sacerdotem conducere potest, quia quisque tenetur leve pati incommodum, ut praecepto satisfaciat..... Si autem Gervasius non possit sacerdotem conducere absque notabili stipendio, probabilius ab obligatione missae excusandus est ». — Cf. I. M. 259., Gur. Ball. Comp. 348.

46. — DE RESCRIPTIS

Odoardus, plures petiit gratias a Summo Pontifice. Verum cum Rescripta *omnia* Ordinario fuerint remissa, et ab Ordinario essent Odoardo communicanda, Ordinarius abstinuit a tali communicatione facienda. Etenim pro aliquibus non iudicavit expediens, ut Odoardus illis gauderet gratiis et privilegiis. Pro aliis autem iudicavit causas Pontifici expositas non esse veritati consentaneas. Quod cum in cognitionem venisset Odoardi humiles quidem preces ad Ordinarium porrexit, ut ipsi vellet Apostolica Rescripta communicare, simul tamen asserens, cum omni erga episcopum reverentia, non posse ipsum illorum effectum vel impedire vel retardare.

Quaer. 1°. *Quid sit Rescriptum?* — 2°. *An episcopus iure vel iniuria egerit; an Odoardus recte vel erronee loquutus fuerit?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 283. — Ad 2^um^. Quaesiti resolutio pendet a *forma* et a variis *clausulis,* quibus Rescripta concessa fuere. Sic e. g. iniuria quidem agit episcopus, si Rescripta sunt *in forma gratiosa.* Etenim haec Rescripta sunt illa, in quibus Summus Pontifex per se ipsum gratiam *immediate facit,* quin haec impediri aut retardari possit ab alio. Idque locum habet vel sine ulla commissione aut exequutione danda ab Ordinario, v. g.: *SSmus benigne annuit pro petita facultate;* vel cum commissione sive mera exequutione danda ab Ordinario, e. g.: *SSmus benigne annuit arbitrio Ordinarii pro petito indulto.* In primo casu, *nullus adest exequutor.* In altero adest *merus executor,* cui committitur *nudum ministerium exequendum absque iurisdictionis exercitio,* cuius consequenter officium *in solo facto* consistit, nec *partes iudicis* assumere potest. Neque vero in vim clausulae, *arbitrio,* potest Ordinarius, cuius *arbitrio* commissa est exequutio, abstinere a Decreto exequutoriali, et gratiam *immediate concessam a Summo Pontifice,* per Rescriptum *in forma gratiosa,* impedire vel retardare; haec enim clausula, *arbitrio et conscientiae, arbitrio et prudentiae,* est dumtaxat expressio ac significatio

merae *convenientiae ac reverentiae,* S. C. C. 6. Dec. 1845. Quapropter in tali casu recte Odoardus loquutus est. Enimvero *merus exequutor,* cui Rescripta *in forma gratiosa* commissa sunt, debet omnino absque ulla causae cognitione ea exequutioni demandare; quia indultario, per gratiam *immediate* a Summo Pontifice *concessam, ius in re* quodammodo iam acquisitum fuit.

Aliud autem dicendum est, si Rescripta sint *in forma commissaria.* Rescripta haec illa sunt, in quibus Summus Pontifex non *facit* per se ipsum gratiam, sed *committit,* seu mandatum dat Ordinariis, ut eam, si in Domino expedire iudicaverint, faciant, e. g., *SSmus remisit preces arbitrio Ordinarii, cum facultatibus necessariis et opportunis ad hoc, ut super praemissis providere possit et valeat.* Vel etiam: *SSmus facultatem tribuit Ordinario, petitum indultum, si ita in Domino expedire iudicaverit, oratori concedendi.* Scilicet, cum Summus Pontifex ipse quandoque notitiam non habeat rerum, de quibus tunc agitur, aliunde haud dissentiat in genere, ut gratia concedatur, *committit* tunc Ordinariis, ut gratiam concedant, facultatem ad id eis tribuendo. Ipsi enim plenam cognitionem et certitudinem narratorum facilius habere possunt. *Executor* tunc non est *merus executor,* sed *executor mixtus;* etenim illi non committitur nudum ministerium, sed ministerium cum iurisdictionis exercitio. Executori enim officium committitur verificandi exposita seu narrata Summo Pontifici, et simul potestas gratiam concedendi. Unde ante hanc executionem Indultarius non habet *ius in re,* sed *ius ad rem* tantum. Quare, in hoc alio casu, si, facta expositorum verificatione, ea Ordinarius vera non repererit, iure abstinuit a gratia elargienda; et Odoardus erronee est loquutus. Secus vero, si facta expositorum verificatione, ea vera esse constiterit. S. C. EE. et RR. 29. Apr. 1768.

Tandem aliud etiam dicendum est, si Rescripta sint *in forma mixta,* i. e. *gratiosa* simul et *commissaria.* Rescripta ista illa sunt, in quibus Summus Pontifex ipse quidem gratiam *concedit,* sed dependenter a conditionibus ab Ordinario verificandis. Quare *concessio* est quasi conditionata, et evadit absoluta tunc, cum illa conditio verificatur, e. g., *SSmus annuit arbitrio Ordinarii, constito de evidenti utilitate, et accedente consensu interesse habentium, pro petita facultate, vel venditione,* etc. In hoc casu exequutor est etiam *mixtus,* nam licet non committatur ei etiam potestas gratiam largiendi, potestas tamen committitur cognoscendi et comprobandi exposita, et conditiones in Rescripto adiectas. Cf. Ferraris v. *Exequutor.* Unde ante executionem Indultario non acquiritur *nisi ius ad rem.* Verum, ut *in forma gratiosa,* ita in hac *forma mixta,* gratia est *facta,* adeoque non expirat per mortem Pontificis, dummodo e contra, in forma *commissaria,* gratia est *facienda,* et per obitum Pontificis expirat; electo vero novo Pontifice, reviviscit, vi regulae 12. Cancellariae. Quapropter, in hoc etiam casu, iure agit episcopus, si causae Summo Pontifici expositae falsae revera erant; adeoque erronee loquutus est Odoardus. Secus vero dicendum, si causae verae erant, aliaeque verificabantur conditiones, in Rescriptis appositae. C. 9. *de Off. et pot. iud. del.* in 6°. — I. M. 251. 255. 283. et V. 2. 1045., Aloisius Trombetta, Praxeos Regulae circa Contr. rer. eccles. Cap. 6.

DE PECCATIS

47. — DE DISPLICENTIA BONI PERACTI

Parthenius voto promisit, se donaturum Ecclesiae parochiali duo aurea pulcherrima candelabra, ut maiori cum solemnitate mensis marianus in honorem B. Mariae V. celebraretur. Interim dum domi est ea candelabra saepe aspicit, et dolore ac displicentia afficitur. Attamen, mense maio instante, quamvis maiori adhuc dolore et displicentia, famulum advocat, eique praecipit, ut candelabra in parochialem Ecclesiam asportet. Ea, prima mensis maii die, videns super altari, pluribus accensis cereis instructa, ante statuam B. Mariae V., magno gaudio et magna afficitur laetitia.

Quaer. 1°. *An peccatum sit, dolor et tristitia peracti virtutis operis?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 392. — Ad 2^{um}. « Qui postquam gravi voto se obstrinxit, *serio* deinde dolet, quod fecerit, non peccat *graviter,* modo retineat animum implendi ». L. 213. Verum Parthenii displicentia *seria* non videtur, et *deliberata;* sed *naturalis* potius *displicentia,* ob pulchritudinem eorum candelabrorum, quae sibi, uti eruitur ex casu, valde cara erant. Id colligitur ex prompto animo, quo exacte votum implevit, ex eo quod, Parthenius valde bonus vir et devotus B. V. Mariae apparet, et ex gaudio, quo deinde afficitur. Quare ex illa naturali displicentia eius votum nullo modo amittit suum meritum. « Si tamen, ait S. Th. 2. 2. q. 88. a. 6. ad 2., ipsum opus, secundum se consideratum, triste et involuntarium redderetur post votum, dum tamen remaneat voluntas votum implendi, adhuc est magis meritorium, quam si fieret sine voto ». Immo, stante illa naturali repugnantia, eamque vincendo et expugnando, contra ipsam agendo, crescit meritum. Cf. I. M. 56. Neque vero constat ex casu, Parthenii dolorem et displicentiam fuisse peracti voti; sed mere rei sibi carae dimittendae, quod bene diversum est.

48. — DE CONSENSU AD PECCATUM REQUISITO

Stanislaus exagitari solet pravis cogitationibus. Eas quidem reiicit, sed illico illae redeunt, et longa satis mora in mente permanent. Semper ipse timet de praestito consensu. Animum illi adiicit confessarius, inquiens ad peccatum mortale requiri plene deliberatum consensum, neque sufficere meram rei pravae cogitationem, eiusque etiam moram in memoria; ac peccatum mortale monstrum esse tam horribile, ut, qui eo

sit inquinatus, bene id sciat; neque vero quis nesciens peccat. Haec Stanislaus, recogitans, cogitatio ipsi occurrit, quod, ut se liberet ex molestissima anxietate animi de consensu praestito pravis cogitationibus, illis aliquando consentiat, ut experiatur diversum animi statum. Sed mox maiori vexatur anxietate de peccato hac cogitatione commisso.

Quaer. 1°. *Quid ad grave peccatum requiratur?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 287.-289. 311.-314. — Ad 2^um^. Stanislaus procul dubio nimium scrupulis est obnoxius, consoletur tamen, quod gravis peccati culpandus non sit. Peccatum enim sine *consensu* non est, et consensus non est in *cogitatione,* neque in importuna et diuturna etiam cogitatione rei pravae contra voluntatem, neque etiam in maxime importuna *cogitatione delectationis, aut consensus, aut peccati mortalis,* ut quando huiusmodi scrupulosae personae propter talem cogitationem deinde timent de delectatione, de consensu et de peccato commisso. Cogitatio in intellectu est; consensus in voluntate. Ipsa vero anxietas et timor, quo Stanislaus continuo vexatur, ne in huiusmodi cogitationibus peccaverit, satis ostendit, omnem in eo defuisse consensum. In casu vero dubii praesumptio ipsi favet, si, ut apparet, non soleat ipse plene advertens consentire: quia ex communiter contingentibus fit prudens praesumptio. A fortiori vero id ipsum praesumendum est de scrupuloso, utpote cuius tota sollicitudo eo tendit, ne Deum offendat. Qua enim alia de causa tam vehementer angitur et inquietatur? Cf. Elbel 226. seqq., 548. seqq., G. 141.

Sed quid, si Stanislaus *deliberate* illud propositum conceperit? Sine dubio graviter peccasset. Quanam vero specie tale peccatum fuisset, a natura pendet earum pravarum cogitationum, quibus consentire statuisset. Si enim illae cogitationes pravae obversabantur Stanislao contra determinatam quandam virtutem, caritatem, iustitiam, castitatem, etc., in eadem specie pravum Stanislai propositum fuisset. Si vero nulla obiiciebatur Stanislao determinata prava cogitatio, illius pravum propositum contra nullam fuisset determinatam virtutem, nec consequenter determinatae speciei, sed fuisset genericae malitiae contra generalem illam moralitatis regulam: Declina a malo et fac bonum. Elbel 548., I. M. 315.

49. — DE OMISSIONE BONI PERFECTIORIS

Quirinus, omne cupiens vitare peccatum, id existimat sibi omnino impossibile. Etenim, ait, omnis actus, in concreto, aut *bonus* aut *malus* est, cum non dentur actus *indifferentes,* in individuo. Porro, quando ego ago, semper quidem agere possem aliquid magis perfectum. Atqui *omittere actum magis perfectum actus virtutis, et bonus* non est. Eligens ergo *minus perfectum pecco,* et consequenter *semper pecco.* Hinc Quirinus magnis angustiis agitatur, et varios adit confessarios, uti resolvant suum dubium, et in nullius resolutione acquiescit.

Quaer. *An sit semper peccatum, in concreto, minus perfectum agere?*

R. Negative. Id constat 1°. ex hoc ipso, quod secus sequeretur, quemlibet in omni actu peccare, quod absurdum est. Nemo enim *necessario* peccat. — 2°. Quia eo ipso, quod quis eligit minus bonum, *bonum* sane eligit; adeoque honeste agit. Unde 1. Cor. 7., 25.-40. « Igitur, qui matrimonio iungit virginem suam, *bene facit;* et qui non iungit *melius facit.... Cui vult nubat.... beatior* autem *erit,* si sic permanserit ». — 3°. Nam, si quis, eligendo minus bonum, *voluntatem actu* haberet contemnentem maius bonum, vel sese delectantem in *reiectione* maioris boni, tunc utique peccatum adesset. Sed perversa haec voluntas non comitatur *necessario* et *semper* electionem minoris boni. Saepe enim et ordinarie homo derelinquit maius bonum, simpliciter minus bonum prosequendo, quin *positivo voluntatis actu* sese abstineat a prosequutione maioris boni, ad quod non tenetur. Et tunc quidem nullum est peccatum, et actus malus; sed actus tantum *bonus* est, et *virtuosus.* Si vero maius bonum derelinquit, *actu* quidem *positivo* voluntatis, et minus bonum prosequitur; quia hoc videt esse *bonum,* et illud *non esse praeceptum,* neque *necessario faciendum,* sed *liberum;* quia hoc videt in praesenti sibi *conveniens, intra limites virtutis* prudentiae, temperantiae, modestiae, etc., quia vult uti *suo iure,* sibi *libertatem* servare, sibi non efformare *nimis strictam conscientiam,* neque *scrupulis fieri obnoxium,* etc., eligens profecto minus bonum, et maius derelinquens, nihil peccat, et *honeste* ac *virtuose agit,* quamvis *minus virtuose* et *minus perfecte.* — Hinc Quirinus studeat semper agere *ex recta ratione* et *ex motivo alicuius virtutis;* neque duci sensuali inclinatione, aut minus recto motivo; et honeste ac virtuose semper aget; quin etiam necesse semper sit, ut *actu reflexo,* illam instituat comparationem inter maius et minus bonum. Huic doctrinae acquiescat Quirinus, eam in praxim reducat, et ab omnibus angustiis liberabitur, ac omne vitabit peccatum.

50. — DE SPECIFICA PECCATORUM DISTINCTIONE

Pauperius, gravi pressus miseria, multaque familia, contra Deum iracundia exarduit, eo quod alios pravos homines multis ditaverit divitiis, ipsum vero honestum virum gravissima oppresserit paupertate. Hinc proposuit, quod deinceps nullam amplius peccandi occasionem esset vitaturus, neque ullum servaturus praeceptum, quod per plures annos effecit.

Quaer. 1°. *Quomodo peccata specifice distinguantur?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 298. seqq. — Ad 2^um^. Pauperius ira exardescens in Deum gravissime contra Dei caritatem peccavit. Gravissime etiam peccavit efficaciter proponens, se nullam deinceps peccandi occasionem, nullumque vitaturum peccatum. Hoc autem peccatum alicuius certae speciei peccatum non est, sed speciei innominatae, quae omnes peccatorum species implicite complectitur. Elbel De Act. hum. 71.

51. — INFIMA PECCATORUM SPECIES

1°. Confundius sese accusat, in sacramentali confessione, de pravis *cogitationibus* habitis, quibus consensiit, inquiens: Cogitationes ter habui pravas contra castitatem, quater contra caritatem, quinquies contra iustitiam, et his semper consensum praestiti. Omittit vero alias explicare circumstantias. Idem praestare solet in suis confessionibus, ubi non de simplici *delectatione*; sed de *inefficaci desiderio* agatur.

2°. Dominicus confitendo dicit, se rem cum muliere habuisse, et semel famae proximi detraxisse. Omittit autem dicere quoad primum peccatum, se peccasse cum sua famula sibi simul consanguinea in tertio gradu, et die dominica, in qua mane ad sacram accesserat synaxim. Quoad alterum peccatum omittit dicere, se sacerdotis famae detraxisse, idque fecisse in Ecclesia dum missam audiret.

Quaer. *Quid ad varios Casus?*

R. 1°. Confundius, per se loquendo, recte se non accusat. *Delectatio* enim specificatur ex obiecto cogitato, et ex circumstantiis apprehensis eiusdem obiecti. Quare declaranda per se est natura huiusmodi obiecti et apprehensarum circumstantiarum, ut declaretur species infima earum *pravarum cogitationum et delectationum* in eis. Declaranda item est natura obiecti *desiderii inefficacis,* et circumstantiarum ipsius speciem mutantium. Itemque declaranda sunt ipsa *desideria* licet *inefficacia*. Desideria enim, quamvis inefficacia, seu quamvis careant proposito media adhibendi ad eorum executionem, essentialiter tamen a simplici delectatione mala differunt, et diversam inducunt speciem. Immo haud secus ac desideria efficacia omnibus speciebus obiecti, in quod tendunt vestiuntur. G. 158.

Verum notat P. Gury 160.: « Obiectum quidem specie diversum pravae delectationis per se est declarandum, quia complacentia in repraesentatione, v. g., aspectus turpis differt specie a repraesentatione fornicationis, etc. Sed in praxi difficilius esset confessario de his in particulari interrogare, idque gravissima induceret incommoda, quae omnino vitanda sunt. Insuper, qui facile consensum pravis cogitationibus praebent, facile etiam quibuslibet repraesentationibus adhaesisse censentur ». Attamen interrogatione saepe opus non est. Etenim primo poenitentes ipsi, alia declarantes peccata, vel in accusata iam redeuntes, saepe explicant naturam et infimam speciem peccatorum internorum; quin ulla ex parte confessarii opus sit directa interrogatione, sed tantum patientia et attentione debita ad integram confessionem. Praeterea saepe poenitentes in bona fide ex ignorantia, non apprehendunt in obiecto, vel in interiori actu, specificam malitiam diversam, adeoque tunc cum talem malitiam non contraxerint, neque eam explicare tenentur. Tandem, si incommodum sit et periculum in interrogatione facienda, confessarius stare potest generali regulae, nempe iudicandi de auditis peccatis in sensu obvio et naturali, attenta re de qua agatur et poenitentis conditione; neque tunc opus est subtiliore et molesta inquisitione. — I. M. 291.

3°. Omissio circumstantiae *famulae* vitiosam non reddit confessionem, quia, per se loquendo, et secluso speciali contractu adolescentulam speciali domini custodiae committendi, peccatum heri cum ancilla novam non inducit speciem. Interrogari tamen a confessario huiusmodi circumstantia potest, ut confessarius cognoscat naturam *occasionis*, in qua poenitens reperiatur. — 2°. Omissio circumstantiae consanguinitatis vitiosam e contra reddit confessionem; siquidem ea circumstantia speciem inducit incestus. — 3°. Circumstantia diei dominicae et communionis gravem non inducit sacrilegii speciem, adeoque necessario declaranda non fuit. Grave tamen haberetur sacrilegium, si quis statim a communione turpe peccatum patraret. — 4°. Detractio facta famae sacerdotis et in loco sacro ac tempore missae grave sacrilegium non constituit, neque consequenter necessario huiusmodi circumstantiae declarandae. — G. 146. 147. 148., I. M. 493. 502. 507. 798. 806.–808., V. 2. n. 711.–114.

52. — NUMERICA PECCATORUM DISTINCTIO

1°. Lupinus, confessionem instituens inquit, se per annum retinuisse rem alienam, neque eam voluisse restituere; per annum item odium nutrivisse in animo suo contra suum fratrem; per mensem vero habuisse *desiderium* fornicandi; et postea ei renuntiasse; sed deinde per mensem morosis fornicationis *cogitationibus delectatum* esse.

2°. Vulpinus efficaciter sibi proposuit virginem corrumpere. Ex hoc fine per plures dies, hebdomadas, et menses ei blanditur, eam osculatur, et tangit, et tandem opus ipsum perficit. Deinde confitetur inquiens, semel se esse fornicatum. Alias puellam etiam seducere volens, varia media ad hunc finem adhibuit, nempe verba parum casta et adulatoria, epistolas amatorias, aspectus turpes, tactus inhonestos; sed peccatum peracturus fornicationis, ex casu fortuito superveniente, illud consummare non potuit. Deinde confitetur inquiens, voluisse se fornicari, ac tentasse id facere, sed non potuisse ob involuntarium superveniens obstaculum.

Quaer. 1°. *Quomodo peccata numerice distinguantur?* — 2°. *Quid ad Casus?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 303. seqq. — Ad 2^{um}. Lupinus ex eo praecise, quod restitutionem distulerit per integrum annum, etsi citius potuisset restituere non commisit, nisi unicum peccatum. Ratio est, quia, moraliter loquendo, censetur unica iniusta detentio rei alienae. Esto etiam supponeretur, hoc suum propositum saepius repetiisse, nihilominus omnes istae repetitiones, utpote unitae in eadem *reali omissione*, non integrant, nisi unicum numero peccatum: quemadmodum intentio, v. g., furandi, occidendi, saepius quidem repetita, non facit plura, sed unum numero peccatum cum furto, vi eiusdem intentionis, tandem subsecuto. Secus dicendum foret, casu quo malignum propositum saepius interrupisset, seu etiam retractasset, et denuo de novo reassumpsisset: tunc enim huiusmodi proposita non restituendi manerent peccata numero inter se distincta, et necessario in actu confessionis exprimenda. In tali casu, cum plerumque saltem moraliter impossibile sit, exprimere numerum actuum inter-

norum, ideo ordinarie sufficit exprimere moram temporis, dicendo, v. g., integro anno perstiti in maligno proposito non restituendi, quod saepius renovavi. Ac in simili casu confessarii esse non debent nimis sibi anxii, nimis poenitentibus molesti, in indagando numero interruptionum, cum moraliter impossibile sit exacte illum cognoscere. Elbel 551.

Quoad reliquos casus odii, desiderii fornicationis, ac morosae delectationis in pravis cogitationibus, Lupinus confessionis integritati non satisfecit. Agitur enim hic de peccatis mere internis, qui facilius per interruptionem multiplicantur; et multiplex interruptio forte adfuit. Sed iterum, cum numerus peccatorum exactus, his in rebus, plerumque obtineri nequeat, satis erit dicere, an frequenter actus peccaminosos renovaverit, an pluries in die, etc. G. 151.

Satisfecit in primo casu Vulpinus confessionis integritati; nam omnes illi actus, utpote ex natura sua ad eundem finem tendentes, eidemque virtuti repugnantes, censentur in eodem fine quodammodo uniri, et moraliter compleri. Elbel 555. — Non satisfecit vero, in secundo casu integritati confessionis; nam generatim tot peccata fecit, quot sunt media specie diversa et mala ex natura sua, quibus usus est. Ergo debuit Vulpinus accusare seorsim verba turpia, epistolas amatorias, ad seducendam puellam scriptas, aspectus turpes et tactus inhonestos. Ratio est, quia, peccato non consummato, illa varia media in se mala ad finem iam referri nequeunt, et quid unum in peccati consummatione constituere. Quare illi actus singuli cum sua propria malitia spectandi sunt, et seorsim in confessione accusandi. G. 156., Elbel 637. 640., I. M. 310. 783.

53. — DE SUPERBIA

Augustus, miles veteranus, reliquis commilitonibus praefici desiderat, eo quod firmiter sibi persuaserit, se omnes tum animi fortitudine, tum belli peritia iam pluries facto comprobata excedere, aut certe nulli esse secundum. Cum autem fervens sit catholicus, persuasum sibi habet, quod nemo alius e suis commilitonibus prodesse poterit spirituali militum bono, sicut ipse, si eisdem praeficiatur. Quare, mediis efficacibus, sed honestis, per amicorum intercessionem conatur obtinere praedictam praefecturam.

Quaer. 1°. *Quid sit superbia et quale peccatum?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 321. — Ad 2^{um}. Quod Augustus existimet, se aliis in arte militari praestare, et sibi complaceat in hac eius praecellentia, grave *per se* non est peccatum. Immo neque leve peccatum est, si sine Dei aliorumque contemptu, neque plus aequo se extollat, neque nimis de propria excellentia sibi placeat. — Si Augustus revera sit fortis et habilis miles, et altiori publico officio dignus, promotionem ad illud moderate desiderando non peccavit. Ratio est, quia appetere propriam promotionem ad nobiliora officia, et propriam excellentiam, res est de se prorsus indifferens, omni vacans culpa, et si ex bono fine fiat, et debita moderatione, laudabilis efficitur. Vitiosus enim tantum est

inordinatus appetitus propriae excellentiae. Atqui Augustus, ex hypothesi, re ipsa dignus ulteriori promotione est, eam per media honesta et licita procurat, ac optimo ducitur fine; nec aliunde nimia eius cupiditas apparet. Quare non videtur inquietandus. Elbel 611.

54. — DE EPISCOPATUS DESIDERIO

Angelus, *Doctor* in Philosophia et Theologia, Ecclesiae Cathedralis Canonicus, in tota dioecesi clarus *tum scientia tum vitae sanctitate,* magnis conscientiae angustiis agitatur. Nam cum videat actualem episcopum non recte dioecesim gubernare, unde multae detractiones et multi rumores integram dioecesim contra episcopum pervadunt, valde *inde tristatur, et orat Deum pro dioecesi, ut post mortem episcopi* iam octogenarium et infirmum, *prudens Pastor eidem praeficiatur.* Multae enim sunt in clero discordiae propter varios Candidatos, qui ad episcopalem Sedem proponuntur. Saepe tamen cogitat, quod, *si ipse reapse eligeretur,* sancte omnino et iuste omnia regeret, hos vel illos extirparet abusus, haec vel illa pia opera promoveret. Dum haec animo versat, *desiderium in se experitur episcopatus.* Verum *statim timet,* quod culpabili ambitione episcopatum exoptaverit. Moritur interim episcopus, et, *quin Angelus aliquid faciat,* unanimi Canonicorum suffragio nominatur Vicarius Capitularis, et deinde episcopus, *praeter omnem eius opinionem et expectationem,* a Summo Pontifice renuntiatur. Sed Angelus *anceps est,* utrum debeat episcopatum *renuntiare vel acceptare.*

Quaer. *An in huiusmodi desiderio peccaverit Angelus, et an peccet non renuntiando episcopatum?*

R. Angeli desiderium potius fuit voluntas *ut natura,* quam voluntas *ut ratio,* I. M. 30., adeoque nullum adfuit peccatum. Id patet ex omnibus casus circumstantiis; ex quibus sane apparet, quod Angelus ambitiosus non sit. Verum, si supponatur quod forte desiderium illud fuerit semivoluntarium, vel omnino voluntarium, tunc neque videtur quod Angelus ambitione peccaverit. Etenim « in episcopatu tria possunt considerari. Quorum unum est *principale* et *finale,* scilicet episcopalis operatio, per quam *utilitati proximorum* intenditur... Aliud autem est altitudo gradus, quia episcopus super alios constituitur.... Tertium autem est, quod *consequenter* se habet ad ista, scilicet reverentia et honor, et sufficientia temporalium... Appetere ergo episcopatum, ratione huiusmodi circumstantium bonorum, manifestum est, quod est illicitum et pertinet ad cupiditatem vel ambitionem... Quantum autem ad secundum, scilicet ad celsitudinem gradus, appetere episcopatum est praesumptuosum..... Sed *appetere proximis prodesse* est secundum se laudabile et virtuosum ». S. Th. 2. 2. q. 185. a. 1. Atqui Angelus episcopatum profecto non videtur appetere propter celsitudinem gradus, vel propter honorem et temporalia bona, sed unice propter proximi utilitatem. Ergo eius desiderium, *per se loquendo,* laudabile et virtuosum est. *Per se loquendo;* nam, ut prosequitur idem S. Th. 1. c., « quia prout est episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem, *praesumptuosum videtur,* quod aliquis praeesse appetat *ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta neces-*

sitate imminente..., praesertim cum aliquis caritatis zelo divinitus ad hoc incitatur. *Potest tamen absque praesumptione* quilibet appetere *talia opera facere,* si eum contingeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda; ita quod *opus bonum* cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis ». Porro Angelus non videtur desiderare *subditis prodesse,* sine aliqua *gravi et manifesta necessitate existente.* Nam cum clerus, et consequenter etiam saeculares, iam in varias partes scindantur, timendum profecto est, ne saeculari protectione minus idoneus forte eligatur in maius adhuc damnum dioeceseos. Angelus vero, cum iam in tota dioecesi fama gaudeat docti et sancti presbyteri, idoneus videtur, ut eruitur etiam ex ipso facto electionis, qui sua auctoritate pacem et tranquillitatem et rectum rerum ordinem restituere possit. Unde est etiam, et quod iam contingat eum esse in tali dignitate, et quod Angelus dignus sit. Neque vero videtur ullo modo aliud Angelus appetere, quam *ipsum opus bonum,* ita ut vere de ipso videtur posse dici quod *episcopatum desiderans bonum opus desiderat,* ad Tim. 3., 1.; quia in eo nihil aliud nisi bonum opus desiderat. Quapropter etiam, *absolute loquendo,* non videtur quod Angelus de sui praesumptione timere debeat. — Lig. l. 6. n. 804.

Angeli tandem dubium, utrum debeat episcopatum renuntiare vel illum acceptare, ita ipse Angelicus Doctor resolvit, l. c. a. 2.: « Dicendum, quod in assumptione episcopatus duo sunt consideranda. Primo quidem, quid deceat hominem appetere secundum propriam voluntatem. Secundo, quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius. Quantum ergo ad propriam voluntatem, convenit homini principaliter insistere propriae saluti; sed quod aliorum saluti intendat, hoc convenit homini ex dispositione alterius, potestatem habentis. Unde, sicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis proprio motu feratur in hoc quod aliorum gubernationi praeficiatur, ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis omnino, *contra superioris iniunctionem,* praedictum gubernationis officium finaliter recuset, propter duo: Primo quidem, quia hoc repugnat caritati proximorum, quorum utilitati se aliquis debet exponere pro loco et tempore.... Secundo, quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis superiorum mandatis se subiicit ». Quapropter cum Angelus nihil ipse fecerit ad episcopatum obtinendum, cuius nullam habuit ipse ambitionem, ad episcopatum renuntiandum non tenetur. Ac, si mandatum accedat Summi Pontificis, illum e contra acceptare tenetur. Si vero nullum Summi Pontificis mandatum, et nulla iniunctio accedat, tunc peragat Angelus Exercitia Spiritualia S. Ignatii, et secundum sapientissimas regulas, quas ibidem tradit S. Ignatius, pro electione status vitae; poterit ipsemet, sub directione Magistri spiritualis, melius definire quid sibi in casu faciendum sit ad maiorem Dei gloriam, et animae propriae ac proximorum salutem. — Lugo Resp. Mor. l. 2. D. 5.

55. — DE PRETIOSIS VESTIBUS

Maximus, vir ditissimus et nobilissimus ac valde pius et religiosus, videns per publicas vias Patres Franciscanos aspera et rudi veste indutos, inquietus animo est. Existimat enim, se continue venialiter peccare, propterea quod non imitetur eam vestium vilitatem et asperitatem. Hinc

confessario manifestat suam anxietatem et propositum vestes, quas ipse defert nobilis viri proprias, immutandi in vestes viliores. Id quidem ipse statim fecisset; sed difficultas sibi occurrit, quod tunc forte non posset amplius comparere in amicorum paris conditionis consortio, et quod inde omnes sui consanguinei gravem caperent displicentiam.

Quaer. *Utrum uti pretiosis vestibus semper sit peccatum?*

R. Ad propositam quaestionem ita respondet S. Th. Quodl. 10. a. 14. « Dicendum quod aliter est hic loquendum de persona privata. Nam in persona publica consideratur et status dignitatis et propriae personae conditio; circa quae duo ita se debet habere, ne dignitatis auctoritas veniat in contemptum, et ne ipse in superbiam efferatur. Utrumque ergo potest esse laudabile; et quod pretiosis utatur ad reverentiam auctoritatis inducendam, et quod vilibus utatur ratione propriae humilitatis; ita dumtaxat, ne quae ad auctoritatem conservandam fiunt in superbiam degenerent; et, ne dum nimium servatur humilitas, regentis frangatur auctoritas.... In eo autem, qui est privata persona, virtuosum est, si propter humilitatem abiectioribus indumentis utatur, etiam quam status proprius requirat.... Licitum est autem, ut secundum modum propriae personae pretiosis utatur; sed peccatum est, si proprium modum excedat. Et quia *pretiosum* dicitur relative, sicut et *magnum,* cum id quod est pretiosum uni, non sit alteri pretiosum; pretiositas vestium semper sonat in excessum proprii modi. Et *secundum hoc* semper est peccatum pretiosis vestibus uti ».

Verum cum Maximus, ex casu, non videatur hunc proprium modum excedere, acquiescat omnino, et sibi persuadeat non ideo se in continuo veniali peccato versari. Vitet omnem immoderationem, attenta consuetudine eorum, qui paris sunt conditionis, et cum quibus debet ipse conversari. Vitet praeterea omnem inordinatum affectum vanae gloriae, deliciarum, nimiae sollicitudinis, et nullum tunc erit peccatum. Quin immo inordinatio etiam hac in re esse potest ex ipsa « negligentia hominis, qui non adhibet studium vel laborem ad hoc, quod exteriori cultu utatur secundum quod oportet ». S. Th. 2. 2. q. 169. a. 1.

Neque vero ideo peccant Patres Franciscani, sed e contra virtuose et laudabiliter abiectioribus vestibus utuntur. « Non tamen semper qui vilioribus, quam ceteri vestibus utitur, peccat. Si enim hoc facit propter iactantiam vel superbiam, ut se ceteris praeferat, vitium superstitionis est. Si autem hoc faciat propter macerationem carnis, vel humiliationem spiritus ad virtutem temperantiae pertinet.... Praecipue autem competit vilibus vestimentis uti his, qui alios et verbo et exemplo ad poenitentiam hortantur ». S. Th. 2. 2. q. 169. a. 1. ad 1.

56. — DE DISCORDIA ET CONTENTIONE

Leopoldus, cuiusdam facultatis Professor, ad contentiones natus quodammodo videtur. Sententias sui collegae Modestini acerrime impugnare solet, quamvis eas ut veras ipse habeat. Id ipse efficit, ut Modestino sapientior in Lycaeo habeatur ab alumnis. Et reapse id brevi et facile est assecutus, tum ob subtilem quemdam modum argumentandi, tum ob facilitatem eloquii, tum etiam ob claram et sonoram vocem, qua suo collegae haud modicum praevalet.

Quaer. 1°. *Quid sit Discordia et Contentio?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 322. — Ad 2um. Leopoldus absque dubio incurrit in peccatum discordiae, quia non consentit suo collegae in bono veritatis, sed potius, ex mera protervia vel superbia, veritatem agnitam impugnare solet eo fine, ut videatur doctior. Huiusmodi tamen discordia grave non est peccatum, nisi versetur circa materiam fidei et morum, nisi fiat cum notabili laesione honoris alioque gravi damno adversarii, et nisi fiat gravi aliorum scandalo, quod ex variis circumstantiis erit diiudicandum. — Incurrit etiam in peccatum contentionis, quia veritatem impugnat cum confidentia clamoris, uti etiam in peccatum superbiae, quia eo fine contendit, ut propriam auctoritatem extollat, alterius vero diminuat. Si veritas, de qua agatur, mere philosophica sit, grave non erit peccatum, ratione materiae, quia tunc praecise contra veritatem est, cuius violatio ex suo genere graviter peccaminosa non est. Si vero agatur de veritate theologica, certa, per se loquendo, grave est peccatum. Item attendendae sunt circumstantiae, ut definiatur, an huiusmodi contentio, ratione ipsarum, grave sit peccatum. — Elbel 346. 347.

57. — DE AVARITIA

Lucretius, vir dives, valde sollicitus de augendo peculio, nullam occasionem acquirendi lucri negligit. Hinc, magna vigilantia et magno labore, attendit ad negotia suae officinae. Surgit summo mane, valde sero pergit cubitum, et valde defatigatus. Insuper pauperes *obvios* fere omnes a se repellit, et non nisi satis raro eleemosynam largitur. Uxori item et filiis necessaria quidem ad victum, vestitum, habitationem, educationem non denegat, sed magna utitur, quoad alia minus necessaria, parcimonia, et fere omnem illis denegat recreationem, et alia honesta oblectamenta.

Quaer. 1°. *Quid sit Avaritia et quale peccatum?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 323. — Ad 2um. Excusari sane Lucretius non potest a veniali peccato propter nimiam omnino temporalium rerum sollicitudinem. Insimulandus vero sit Lucretius peccati mortalis nec ne, non constat. Non enim ex casu apparet, quod gravem aliquam committat iniustitiam, vel graviter laedat caritatem. G. 173.

58. — DE INVIDIA

Livonius, medicus, omnino tristatur de scientia et talentis aliorum medicorum, quia coram aliis abiectior apparet, et non potest suam scientiam et sua talenta ostendere. Vehementer item dolet, dum videt alios medicos, suos amicos et sodales, a pluribus advocari clientibus, ipsum vero non nisi a paucis, et ab infimae classis personis accersiri.

Quaer. 1°. *Quid sit invidia et quale peccatum?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 327. — Ad 2^um^. Livonius, per se loquendo, graviter peccat ex invidia, siquidem de aliorum bono tristatur, tanquam impeditivo proprii boni, excellentiae, honoris et commodi. *Per se loquendo;* excusari enim practice forte poterit, saltem a gravi peccato, si vel non satis attendat ad rei malitiam, vel reapse non tristetur ipse de aliorum bono, sed tantum de proprio malo, quod abiectus habeatur, et ab omnibus deseratur. G. 168, seqq.

59. — DE EBRIETATE

1°. Gaudiosus, potens in vino sustinendo, nunquam rationis usum abiicit; capitis vero gravamen experitur, pedibusque aliquando titubantibus incedit. Hinc impiger omnino est in poculis exhauriendis, et socios omnes in cauponis vincit, combibones provocando, ad aequales haustus.

2°. Gaudentius modico vini poculo inebriatur. A vino tamen minime abstinet, cum in cauponis a sociis ad bibendum excitatur. Secus enim, ait, socii illi incipiunt me irridere, tanquam scrupulosum et simul religionem et presbyteros irrident.

3°. Esculapius medicus consulit clienti suo Albino, ut generosum bibat vinum, et sufficienti quantitate ad debilitatas vires sustentandas et confirmandas. Verum, cum Albinus non sit vino assuetus, ne inebrietur, vinum primum incipit bibere modica quantitate; deinde, habitu iam contracto, et stomacho assuefacto, vinum maiori etiam quantitate bibit, et valde generosum, quin ullum sentiat incommodum. Ac tantum nunc assuetus est ad vinum bibendum, ut abstinere amplius ab eo non possit, quin stomachi languorem sentiat, et difficilem cibi digestionem experiatur.

Quaer. 1°. *Quid sit ebrietas et quale peccatum?* — 2°. *Quid ad varios Casus?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 352. seqq. — Ad 2^um^. Gaudiosus mortale peccatum non committit, quamvis multum bibat, ratione ebrietatis. Ratio est, quia non habetur in eo voluntaria et perfecta rationis privatio. Graviter vero peccat, ratione scandali et cooperationis alios efficaciter provocando et inducendo ad ebrietatem. — G. 176.

Gaudentius a gravi ebrietatis peccato non excusatur. Hoc enim non est in eo quod quis multum vel parum bibat; sed in eo quod quis potu inebriante voluntarie absque ulla necessitate rationis usu se privet. Neque gravis culpa, in casu, cessare potest, ex eo quod alii socii eum irrideant, vel etiam religionem et res sacras incipiant irridere; peccandum enim non est, ut alius a peccato removeatur. Peccatum aliis omnino voluntarium est, et non nisi ab eorum malitia pendet. Abstinens ab ebrietate, religionem Gaudentius commendat, aliosque suo exemplo inducit e contra, ut a peccato et ipsi abstineant sive ebrietatis sive blasphemiae. — G. 178.

Nihil Albinus peccare videtur. Ebrietatem enim ipse praecavet, et sufficientem habet rationem bibendi vinum, etiam generosum, et maiori quadam quantitate. Temperantiae vero limites minime excessit, cum nullum inde sentiat incommodum, immo e contra magnum percipiat commodum robustioris sanitatis. — G. 181.

60. — DE IRA

Ignatius, animi excandescentis et irae impotens, saepe gravi commotus ira, blasphemias in Deum et imprecationes in homines profert. Uxorem vero, filios aliosque domesticos increpat saepe et obiurgat, eos conviciis et probrosis nominibus lacessendo. Quando solus est in seipsum etiam irascitur, et inanimatas res cunctis devovet diabolis.

Quaer. 1°. *Quid sit ira et quale peccatum?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 341. — Ad 2^{um}. Ignatius, ut saepe irascitur, ita etiam saepe reus evadit peccati mortalis non solum propter blasphemias et graves in homines, et consanguineos, imprecationes et contumelias; verum etiam propter gravem animi excandescentiam, et perturbationem; modo sufficiens adsit advertentia. Ac, quamvis, in actu gravis irae commotionis, haec aliquando deficiat, non ideo a gravi peccato saltem in causa excusatur, nisi pravum habitum retractet, et serio extinguere conetur. G. 175.

61. — DE ACEDIA

Robertinus, filiusfamilias, suis parentibus valde obediens, omnia quidem implet religiosa officia. Verum, cum parentes eum praeterea cogant ad plura alia devotionis et virtutum opera peragenda, ad quae non tenetur, non nihil ipse inde contristatur, et ea exequendo hanc in se saepe experitur tristitiam.

Quaer. 1°. *Quid sit acedia?* — 2°. *An Robertinum acediae reus sit?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 343. — Ad 2^{um}. Robertinus acediam quidem committit, *generale vitium,* refugiens spirituale bonum, prout est laboriosum et molestum; siquidem « omne vitium refugit *spirituale bonum* virtutis oppositae ». Minime vero committit acediam, *speciale vitium,* cuius est « tristari de bono divino ». Enimvero « acedia non est recessus mentis *a quocumque spirituali bono,* sed *a bono divino,* cui oportet mentem inhaerere *ex necessitate.* Unde, si quis contristatur de hoc, quod aliquis cogit eum implere opera virtutis, quae facere non tenetur, non est peccatum acediae; sed quando contristatur in his, quae ei imminent facienda propter Deum ». S. Th. 2. 2. q. 35. a. 2. 3.

DE FIDE SPE ET CARITATE

62. — DE NECESSARIO CREDENDIS

Simplicius homo rudis, dum apud Macarium parochum confitetur, de necessario credendis interrogatus, valde ignarus repetitur. Nescit enim fidei symbolum recitare, nec rationem reddere de mysteriis SS. Trinitatis et Incarnationis, etc. Confessarius autem indignabundus poenitentem obiurgat et increpat, velut hominem salutis suae nimis incuriosum, et, denegata absolutione, eum dimittit, usquedum ea quae ad salutem sunt scitu necessaria sciverit.

Quaer. 1°. *Quaenam necessario sint credenda?* — 2°. *Quid de ratione agendi Macarii?*

Ad 1^{um}. Cf. I. M. 349. seqq. — Ad 2^{um}. Macarius confessarius magis est obiurgandus et increpandus, quam Simplicius poenitens; siquidem hominem rudem tam dure a se repellit, et a sacramentis deterret. Etenim primo necesse non est, ut poenitens memoriter omnia credenda sciat; sed satis est, ut illa sciat quoad substantiam. Neque vero necesse est, ut ratio de singulis mysteriis explicite reddatur, sufficit ea scire et credere. Quare, si Simplicius praecipua saltem fidei capita, quae in Symbolo Apostolorum continentur, praecepta Decalogi et Ecclesiae ac praecipua sacramenta baptismi, poenitentiae, eucharistiae cognoverit quoad substantiam, quamvis de illis rationem reddere nesciverit, potuit sane et debuit a Macario absolvi. Si vero haec omnino Simplicius ignoraverit, et timendum erat, ne dimissus amplius non rediret vel rediret cum eadem ignorantia, debuit eum sufficienter instruere quoad Deum unum et Remuneratorem, quoad mysterium Trinitatis et Incarnationis, eliciendo deinde cum ipso *generalem* actum fidei; debuit praeterea ad absolutionem disponere eum excitando ad contritionem et propositum, eliciendo etiam cum ipso actum contritionis; debuit tandem eum adhortari, ut deinceps eadem melius addiscere velit aliaque etiam addiscat, quae Symbolo, Praeceptis Decalogi et Ecclesiae, et praecipuis Sacramentis continentur; et ita ei absolutionem impertiri. Si prudens vero spes sit, quod Simplicius sit reversurus, tunc vel ipse Macarius debet eum paulatim singulis vicibus instruere, vel debet ei saltem indicare vel etiam procurare media, ut per alium instruatur, et sic blande eum remittere debet ad paucos dies, usquedum sit sufficienter intructus, enixe eum rogando ut quam primum revertatur. Si Simplicius sciat legere, valde proderit aliquem congruum libellum ei donare, qui parvum catechismum contineat et explicet. — Elbel 31. seqq., G. 186.

63. — DE OBLIGATIONE ACTUS FIDEI

1°. Blandina, pia mulier, audivit a concionatore eliciendos esse frequenter actus fidei, sicut et ceterarum virtutum theologicarum. Quapropter vehementer timet, ne huic praecepto non satisfecerit, et ita graviter deliquerit.

2°. Sylvinus, confessarius non solet interrogare poenitentes, an actus fidei interdum eliciant. Sic agit etiam cum poenitentibus a multis annis de salute et sacramentis incuriosis ; praesertim, si sint matronae et viri conspicui, quos interrogare non audet.

Quaer. 1°. *Quandonam obliget praeceptum fidei?* — 2°. *Quid ad Casus?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 354. 355. 376. 381. — Ad 2^um^. Blandina, cum sit devota mulier, non debet esse anxia circa obligationem actus fidei eliciendi, quippe quae frequentissime fide erigitur in vita devota sectanda. G. 188.

Ad Sylvium quod spectat, confessarius non tenetur specialiter interrogare poenitentes circa actus fidei. Praesumuntur enim sufficienter praecepto divino satisfacere, nisi specialis ratio oppositum suadeat. Id valet sane quoad eos, qui religionis praxim non negligunt, et ad sacramenta accedunt. Quoad ceteros vero, id optime monet Lugo ; cum adeo haec obligatio, quoad tempus quo urget, incerta sit, et cum, hac ipsa de causa, partim non cognoscatur, et partim omissio, si unquam adesset, non advertatur, hinc fit, ut neque in poenitentibus de hoc confitendi, neque in confessariis de hoc interrogandi mos habetur. G. 189.

64. — DE FIDEI PROFESSIONE

1°. In locis missionum Princeps, contra catholicos persecutionem movens, publicum confecit Edictum, quo iubebat christianos omnes debere se sistere coram iudice intra spatium quindecim dierum, secus censebantur fidem abnegasse. Fideles plurium provinciarum missionarios interrogarunt quid faciendum esset, qui fere omnes fugiendum, responderunt, vel, si commode fieri posset, se occultandum. Id tamen aliqui reprobarunt, opponentes prop. 18^am^. proscriptam ab Innoc. XI. et iusserunt fideles omnes suae missionis se sistere coram iudice.

2°. In haereticorum regione prohibitum lege erat religiosis Missam celebrare. Mathurinus religiosus Missam in ea quotidie per annum celebraverat. Tandem deprehensus a iudice interrogatur, an cognosceret legis prohibitionem, an ipse esset sacerdos et religiosus. Ad omnia Mathurinus subtili tergiversatione respondit.

3°. Lucianus minister haereticus, ad catholicam fidem iam in suo corde conversus, lethali correptus morbo, advocat sacerdotem catholicum, ut ab ipso sacramenta Ecclesiae Catholicae reciperet. Eum tamen rogat primum ut velit ad ipsum venire laicalibus indutus vestibus, ne ullam sui ingereret aliis suspicionem ; deinde, ut, si ex eo morbo moreretur, nihil de eius conversione diceret, ne eius parentes forte persecutioni essent obnoxii ; si vero convalesceret, ut opportunum tempus ipse expectaret ad suam conversionem manifestandam, ne tota eius fortuna confiscaretur.

Quaer. 1°. *Quandonam urgeat exterior fidei professio?* — 2°. *Quid ad Casus?*

Ad 1um. Cf. I. M. 364. 365. — Ad 2um. Missionarii bene responderunt; neque recte contra eos invocatur damnata propositio. « Si tantum, ait Viva in hanc prop. n. 13., in generali per Edictum proponatur, ut, si quis est fidelis se prodat, cum multi adsint occulti, nullus per se loquendo, tenetur se prodere ». Ratio est, quia, interrogante tyranno de fide, tenetur quis respondere, non quia legitime ille interrogat, sed ex eo quod per talem interrogationem exoritur articulus necessitatis, pro quo obligat praeceptum confitendi fidem. Porro, in casu, iste articulus necessitatis non habetur. Nam fuga et occultatio, in casu, non cedit in fidei cotemptum, cum e contra illi qui fugiunt et occultantur tanquam christiani et fideles potius manifestentur. — « Si princeps, generali lege, ait Scavini, Ed. 12a. Mediol. 1874. l. 2. n. 911., iubeat, ut fideles se prodant, gestato tali signo vel aliter, ad id fideles non tenentur; cum nemo teneatur verum dicere, nisi specialiter rogatus. Excipe, nisi tales sint circumstantiae ut hoc ipso, quod se non prodant videantur fidem negasse, uti, v. g., si quidam antea noti essent, et tunc ex hoc putarentur a fide defecisse ». — Struggl. q. 1. n. 39. 40., Lig. 13. 14., G. 193.

Mathurinus iudici interroganti respondere non tenebatur, siquidem nullum ille ius habebat, in casu, sacerdotem iuridice interrogandi. Dissimulare autem, mentali restrictione, praedictae legis notitiam, vel se esse sacerdotem et religiosum, non est sane dissimulare fidem catholicam, et multo minus eam negare. Quare Mathurinus recte egit. Quin imo sine ulla tergiversatione potuisset Mathurinus simpliciter negare, se quidquam scivisse *de lege,* intelligendo scilicet de *vera lege obligante;* itemque negare, se esse sacerdotem et religiosum, intelligendo scilicet in ordine ad illegitimam celebrationem, de qua interrogabatur, et ad illegitimam iudicis interrogationem, vel quod teneretur ipse fateri. — Elbel 62. 63., G. 192. 193.

Potuit quidem sacerdos catholicus ad Lucianum accedere laicalibus vestibus indutus. Hoc enim nihil contra fidem continet; et non raro sacerdotes catholici ex rationabili causa, uti laici incedunt ne agnoscantur, e. g., tempore persecutionum, etc. — Verum permittere non potuit Luciano, ut moriendo fidem dissimularet. Etenim urget, maxime in articulo mortis, pro haeretico, qui tunc convertatur ad fidem, positiva Ecclesiae obligatio exterioris professionis fidei, quam obligationem Lucianus non ignorabat, ut ex casu apparet. Necesse praeterea omnino erat, ea fidei professione scandalum removere, et retractare errores quos docuerat; secus enim alii a Luciano vel seducti, vel certe in erroribus suis confirmati procul dubio ulterius perseverassent in suis erroribus non sine evidentissimo salutis dispendio et divini honoris detrimento. Quare debuisset omnino Lucianus saltem coram duobus testibus antequam moreretur catholicam fidem profiteri. Si vero Lucianus fuisset omnino, in bona fide, circa hanc Ecclesiae obligationem, quam penitus ignorasset, neque fuisset minister haereticus, sed de communi plebe homo, qui neminem unquam confirmasset in sua falsa secta; cum in tali homine tunc nec honor Dei, neque salus animarum periclitetur; adeoque naturale et divinum praeceptum tunc non urgeat de fide catholica exterius profitenda, ad scan-

dalum removendum ; facilius tunc posset dissimulari, ob vere rationabilem et gravem causam, exterior fidei professio. Nec refert, quod crederetur ab aliis in haeresi decessisse; nam, remoto scandalo et stante gravi causa, permitti potest falsa ista existimatio. — Luciano permitti alterum potuit, ut nempe recuperata valetudine, ad aliquod tempus dissimularet externam fidei catholicae professionem, usque dum sibi suisque rebus potuisset convenienter prospicere. Fidem enim ob rationabilem causam dissimulare eam negare non est. Deberet tamen omnino abstinere ab actibus falsae religionis protestativis, uti e. g., pergere in exercitio haeretici ministerii : hoc enim fidem negare est. — Elbel 67.-70., G. 195.-198.

65. — DE LOCATIONE QUOAD GENTILES

Marcellinus Missionarius sequentia proponit dubia:

1°. An liceat christianis locare domos et officinas gentilibus ? Ratio dubitandi est, quia gentiles in nobiliori loco domuum istarum cremant thymiamata, reverentiam idolo exhibent, et alia superstitiosa exercent.

R. « Licere, si constet domos peti ad inhabitandum et officinas ad usum indifferentem ; non licere tamen, si expresse petantur ad fanum construendum ». S. C. de P. F. 8. Febr. 1806.

2°. An liceat christianis praedia ad delubrum spectantia locare?

R. En in compendium Instructio data a S. C. de P. F. 15 Ian. 1807.; 1°. Praedia ad delubrum spectantia conducere licet; praesertim, si contrahendi rationi consona causa concurrat; nam res est suapte natura indifferens. 2°. Locati pretium solvere debitum est iustitiae, etsi putet conductor delubri gratia impendendum. 3°. Scandalum, quod ex huiusmodi re fortasse christianis oritur, quatenus ex ignorantia nascatur, seu scandalum sit pusillorum, protestatione et instructione compesci ; quatenus improborum malitia partum, seu pharisaicum, contemni debet. 3°. Hortandus conductor, ut abstineat a locatione, si inde aliquod timeatur perversionis periculum, vel scandali occasio.

66. — DE EMPTIONE QUOAD GENTILES

Christiani, emunt territoria, supra quae idola sunt, aut idolorum oratoria. Possuntne monere gentiles, quorum prius erat territorium, ut ea e territorio tollant ?

R. « Non posse, si proprietas horum idolorum vel oratorium sit annexa territorio, et cum fundi dominio transeat ad emptorem, qui tenetur ea tollere et destruere, vel formam eorum ita immutare, ut omnis cultus superstiosi removeatur occasio, et nulla amplius species appareat oratorii idolis consecrati. Si vero talia idola vel oratoria sint publici iuris ac sub Principis potestate, non licet christianis ea tollere vel destruere, sed potius abstineant ab iis territoriis, emendis, in quibus profana haec simulacra et oratoria reperiuntur ». S. O. mense Maio ann. 1781.

67. — DE DEPOSITO QUOAD GENTILES

Gentiles, qui tabellas progenitorum familiae servant, convertuntur ad fidem. Possuntne huiusmodi tabellas tradere parentibus paganis, ad

quos pertinent vel monere illos, ut eas tollant e domo sua, vel eas abscondere, postea tradendas, si a parentibus vel a praefectis exigantur, et ad id cogantur ? Pariter ad quid tenentur proselyti, qui apud se habent idola aliorum paganorum, quae per modum depositi servant ?

R. « Si superstitiosae illae tabulae speciali dominio spectent ad gentilem conversum, non potest eas domi servare, nec aliis paganis de familia tradere, sed omnino eas destruere debet ; et ita a missionariis docendum atque iniungendum est. Si vero hae tabellae pertineant ad alios de familia in solidum, tenetur christianus eas de domo sua tollere ; sed potest eas tradere aliis de familia, ad quos pertinent ; vel eos monere ut eas tollant et sibi sumant ; sic enim fidem suam confitebitur, et alteri reddet ius suum. Pari iure paganorum idola, quae proselytus depositi gratia servat, suis dominis sunt restituenda ». S. O. 20 Aug. 1778.

68. — DE INFIDELIUM TRANSVECTIONE

Episcopus Sergiopolitanus, Vicarius Apostolicus *Kiang-nan,* S. C. de P. F. casum proponebat : « Utrum permitti potest catholicis, ut cymbis, ac sellis gestatoriis, quibus omnes indiscriminatim personas de loco in locum transferre solent, etiam eos gentiles vehant, qui secum thymiamata, idola, aliaque superstitiosa afferentes, ad sepulchra maiorum, vel alia loca, accedunt, ut inibi superstitiones exerceant ».

S. C. de P. F. 14. Sept. 1868. responsum transmisit S. O. 22 Iul. 1854. simili datum quaesito :

« Cum actiones, de quibus est sermo sint *per se* licitae, vel saltem indifferentes, neque directe influant in superstitionem ; dummodo non adsit scandalum, et grave immineat damnum, non esse inquietandos catholicos illos ; et dummodo non sit in contemptum religionis, et a nautis christianis fiat protestatio, quatenus commode fieri possit, se non intendere ad superstitionem ».

69. — DE TRIBUTO INFIDELIBUS SOLVENDO

Marcellus, Missionarius sequentia proponit dubia :

1°. An ad evitandos tumultus aliquos contra christianos, christianis licitum sit contribuere pecuniam, quae exigitur, ut, in anno novo, in daemoniorum idololatriis, simulque aliis indifferentibus populi laetitiae demonstrationibus, expendenda.

R. « Posse christianos Sinenses pecuniam contribuere, dummodo per huiusmodi contributiones non intendant ad actus superstitiosos concurrere, supposita causa, quae narratur, praesertim praemissa protestatione, si commode fieri potest, quod imposita tributa praestant in ordine tantum ad laetitiam populi, et ad actus indifferentes, vel saltem cultui Religionis christianae non repugnantes ». S. C. de P. F. 12. Sept. 1645.

2°. An fas sit christianis contribuere pecuniam, quam largire nolens ab ingressu in mercium forum prohibetur ; quae pecunia partim cedit primoribus, partim ad forum reficiendum, et partim ad thus falso numini adolendum ?

R. « Permitti potest christianis solutio tributi, praesertim protestatione praemissa ». S. C. de P. F. a. 1816., S. O. 21. Apr. 1849.

3°. Quid, si tributum solvendum imponatur unice ob superstitiosum finem, ad construendas Pagodas, ad sacrificia idolis facienda, etc.?

R. Id quidem non licet, quacumque etiam praemissa protestatione. Haec enim contributio externam saltem prae se fert consensionem cum gentilium superstitione, quod illicitum prorsus est. S. O. 16. Nov. 1769.

4°. Ex Edicto Regis nunc coguntur christiani fana idolis, ac progenitoribus erigere. Porro plurimis in locis ubi, pagani et christiani mixti sunt, christiani cum paganis paciscuntur, quod ipsi sustinebunt ad libitum suum, et quomodo poterunt, maiorem et aliquam specialem partem operum publicorum et licitorum in pago, modo pagani non illos inquietent circa superstitiones nec coram Mandarinis illos prodant, et accusent, et insuper tractent negotium superstitiosum coram Mandarino pro toto pago ad libitum, et quomodo poterunt. Sic agendo, christiani non intendunt, ut pagani ipsorum loco superstitiosa peragant, sed solummodo sese a superstitionibus faciendis liberare, et sese Mandarinis occultare. Ceterum pagani nec maiores nec numero plures faciunt superstitiones, quam de more suo faciunt. — Quaer. *An talis pactio christianos inter et paganos sit licita, attentis superius dictis, attenta insuper ratione, quod, nisi tali modo paciscantur christiani cum paganis, vel superstitiones peragent, vel innumerabiles vexationes sustinere cogentur* ».

« R. Prout exponitur posse tolerari, seu non esse inquietandos ». S. C. de P. F. 10. Aug. 1841. Vic. Apost. Tum-kini Occid.

70. — DE CRUCIS CONCULCATIONE

Pagani, contra christianos in rabiem acti, Crucis signum, pedibus ultro citroque euntium calcandum, in publicis viis, in pontibus, in urbis portarum limine insculpserunt; idque tanta frequentia, et continuitate, ut abstinere ab ea iniuria impossibile sit viatoribus. Insuper aliqui ex paganis in excubiis se posuerunt, ut christianorum agendi rationem taciti explorarent. Christiani, re cognita, in angustias se coniecerunt: ex una enim parte ab accessu ad civitatem abstinere nequeunt, nisi suo commercio, ac procurandi rebus sibi ad vitam necessariis velint renuntiare; ex alia ipsis videtur cruces illas calcando se eiuratae religionis indicium dare.

Quaer. *Quid in istis rerum angustiis agendum?*

R. Praecedens casus propositus fuit a Vicario Apostolico *Hu-nan.* S. C. de P. F. 26 Iunii 1863. respondit: « 1. *Si christiani a nemine moneantur de aliquo crucis signo, quod ante pedes forte habeant;* S. C. censuit, ut libere incedant, nihil examinantes. Quando enim ea constant, quae ab A. T. exposita sunt, *duoque* illa praesertim sunt evidentia, et publice nota, *necessitas* iter agendi ad negotia propria gerenda, vitamque ipsam sustentandam, et firma christianorum *voluntas* in sua religione retinenda, et in iis omnibus, quae contraria eidem sunt, excludendis, facile quisque videt, neque *ex fine,* neque *ex obiecto,* neque *ex circumstantiis,* quae tria sunt elementa, quibus actionis moralitas constituitur, eiusmodi agendi rationem posse redargui. *Finis* enim, qui non ad Religionis contemptum, sed ad consulendum necessitatibus propriis dirigitur, manifeste honestus est.

Eiusmodi autem fine proposito, actum quoque materialem incedendi super cruces, quo in actu actionis *obiectum* hic est, si in se consideretur, nihilque pravitatis a circumstantiis accipiat, culpa omni vacare non est dubitandum. Cum enim *incedere,* ac *vestigia ponere,* sit actus natura sua indifferens, necessario sequitur, quod si finis inhonestus excluditur, honestus autem rationique conformis proponitur, ipse quoque actus et honestus et rationi conformis sit habendus. Itaque nosti non modo inter scrupulos recenseri, si quis religioni sibi vertat, quod paleas in crucis formam connexas inter ambulandum calcaverit, verum etiam passim libereque in templis super lapides sepulcrorum fideles incedere, ubi SS. Iesu nomen, eiusque monogramma et cruces saepissime insculptae sunt.

Restat igitur, *ut a circumstantiis* nihil accedat pravitatis, ex quibus una proposito occurrit, quae speciem aliquam difficultatis protendere videtur, quod in praedictis crucibus describendis laqueum christianis iniicere pagani sibi proposuerunt, ut nimirum, si necessitate coacti eas calcaverint, eiurasse religionem videantur; cui aliam addit A. T., qua non nihil videtur commoveri, quod scilicet primis diebus etiam in excubiis pagani visi sunt, ut christianorum agendi rationem observarent; quam tamen circumstantiam nihil momenti afferre facile perspicies. Cum enim dicas, eosdem omnino tacitos, nihilque prorsus audentes adstitisse, plane intelligis, perinde eos esse habendos, ac qui fortuito christianos transeuntes viderent. Quapropter unum quaerendum hic est, tum quoad eos, tum quoad alios, qui fortuito adsint, tum etiam quoad ceteros, qui absentes factum agnoscant, utrum quod illo malo animo cruces pagani insculpserint, scandalum apud illos merito oriatur, si christiani super eas incedant, quasi nimirum eiuratae religionis indicium edidisse videantur. Cum in omnium oculos *illa duo,* quae diximus, insiliant, publiceque nota sint, christianorum scilicet *voluntas,* quae religioni suae palam firmiterque adhaeret, parique ratione ab iis, quae contraria sunt, abhorret, et *vera ratio,* quae eosdem adigit ad urbis vias frequentandas, quae est *necessitas* sua negotia gerendi, suaeque vitae sustentandae, illud sane consequitur, quod si quis, malitia sua voluntaria obcaecatus, haec nolit videre, quae omnes vident, ut apostasiam per calumniam christianis attribuat, is profecto non pusillorum scandalum patitur, neque ex infirmitate natum, sed pharisaeorum et ex malitia productum. Pharisaeorum autem scandalum nosti esse spernendum.

2.... *Si ab aliquo christiani moneantur de cruce aliqua, quam iuxta pedes habeant;* eadem S. C. respondit, diligenter eos curare debere, ne crucem premant, quandoquidem si moniti eandem libere calcarent, cum tamen vitare id possent, merito *pusillis,* atque *infirmis,* viderentur religionis sanctitatem violasse.

3. *Quod si ita praeclusum iter sit, ut non nisi per descriptas cruces transire liceat,* eo in casu, cum manifestum sit, non ex aliqua irreverentia, sed ex mera necessitate per illas incedi, fieri quidem id posse S. C. respondit; sed ad omnem scandali rationem amovendam duplicem conditionem servari oportere. *Prima* est, ut coram monente, et audientibus expresse christiani profiteantur voluntatem inferendi cruci iniuriam omnino a se abesse. *Altera* est, ut, facto ipso transeundi, modum teneant, quantum fieri potest, decentem, ut aliquod reverentiae indicium ex eo appareat... Quod si scandalum inde sumere velit, is pharisaeorum

mores plane sequeretur, adeoque despicienda eius calumnia esset, praesertim cum, si hisce paganorum iniuriis plus aequo terreri christiani se sinant, ansa illis praeberetur ad difficiliorem in dies faciendam christianae Religionis conditionem, eamque facile istis actibus extinguendam ».

71. — COMMUNICATIO CUM HAERETICIS

Francisca nobilis puella, mortuo patre, aere alieno gravato, in tantam incidit paupertatem et miseriam, ut cogatur eleemosynas exquirere, et sic sustentare suam et matris infirmae vitam. Omni studio quaerit, num alicui arti vel officio operam dare possit, et sua industria ac labore vitae suae et matris necessitatibus providere. Ab omnibus repulsam passa, exquiritur tandem a ministro protestante, ut velit ad sonum organi dominicis diebus psalmos decantare in templo protestanti, tempore publicorum officiorum. Cum Francisca valde perita sit in arte musica, et pulchra voce praedita sit offertur ipsi pingue et extraordinarium omnino stipendium, quo solo posset deinceps simul cum matre decenti et convenienti statu vivere. Francisca fervens catholica est, et firmum habet propositum omnia catholicae religionis officia implere, immo etiam ut se praemuniat contra quodlibet periculum proponit frequentius accedere ad sacram communionem, et ferventius instare in quotidiana oratione, quam nunquam praetermittit. Nullum quidem dubium habet Francisca de liceitate rei: attamen quia timoratae conscientiae est, rem suo confessario manifestat, consilium ab eo petens, prompta potius pauperiem pati quam Deum offendere.

Quaer. 1°. *An prohibita sit communicatio cum haereticis?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 367. — Ad 2^um^. Ad solutionem casus duo sunt inquirenda. Primum est, an liceat Franciscae acceptare officium cantatricis in templo protestanti. Alterum, quatenus negative priori quaesito sit respondendum, an confessarius possit et debeat veritatem manifestare suae poenitenti.

Iam vero ad primum quaesitum quod spectat respondendum omnino est negative. Id constat 1°. theologorum auctoritate. La-Croix l. 2. n. 68. haec habet: « Recte notat Less. non esse licitum in templis aut conviviis acatholicorum eorum psalmos simul canere; item non licere in eorum templis pulsare organum, aut alia instrumenta, quia in his videtur esse publica approbatio, vel scandalosa communicatio in sacris ». Philipp. De Carboneano in Appendice ad Tract. P. Antoine De Virt. Theol. Part. 1. Cap. 2. inquit: « Secundo, facto fidem negant, qui ea faciunt, quae ritum falsum, sacrilegumque cultum comprobent, ratumque habeant. Id enim est fidem orthodoxam, quae haec damnat contemnere, falsamque Religionem opere profiteri. Ratum vero habent ritum falsumque cultum, qui in schismaticorum, haereticorum, infideliumque templis organa vel alia instrumenta pulsent, metros canant, aut concinendos componant, vel artem musicam alio modo exerceant ». Kenrick Tr. 13. n. 37., loquens de templis haereticorum ait: « Qui in eis canunt hymnos, organa pulsant, praeconi respondent, plane cultus participes fiunt, ideoque fidem quodammodo produnt ». Idem communiter docent theologi alii recentiores.

Constat 2°. ex Instr. Emi Card. Vicarii pro parochis Romae: « Strictissime autem vetatur ingredi, merâ curiositate et scienter, aulas et templa protestantium, tempore Collationum, et graviter peccant omnes qui, merâ curiositate, collationes protestantium auscultant, et adsistunt, quamvis materialiter, caeremoniis acatholicis; et omnes artifices, qui etiam sola lucri ratione cantant aut sonant in protestantium templis ». Enchir. Mor. N. 152.

Probatur 3°. ratione. Etenim tunc illud licere posset Franciscae, cum eius cooperatio ad protestantium cultum esset materialis. Atqui eius cooperatio est formalis, eaque prorsus illicita est. Enimvero cooperatio formalis habetur, non solum cum quis *explicitam intentionem* habet ad pravam alterius actionem cooperandi, quatenus prava est; verum etiam cum quis, non obstante contraria intentione, *opus* aliquod *exercet* quod, *intrinseca natura sua* et attentis omnibus circumstantiis, ad pravam illam actionem unice directe seu immediate ordinatur. Tunc enim, uti patet, *actu ipso exercito* retractatur prior intentio, et intentio saltem implicita habetur illius pravae actionis. Porro cantus psalmorum in ecclesia, tempore publicorum officiorum actus est natura sua religiosus, cultus externi. Ut ergo cantus psalmorum in ecclesia catholica est actus externus cultus catholici, ita cantus psalmorum in templo protestanti actus est externus cultus protestantici. Praeterea, attentis omnibus circumstantiis casus, quamvis nullum sit forte timendum scandalum pro Francisca, res tamen valde periculosa est, et scandalum certe adest aliorum, si in notitiam deveniant, uti facillima res est, Franciscae catholicae cantantis in templo protestanti. Ipsa insuper in causa erit, cur et protestantes animosiores fiant, et facilius ac frequentiores tum protestantes tum etiam fideles protestanticum templum adeant ad eam perite et suavi voce cantantem audiendam.

Ad alterum quaesitum quod attinet, confessarius aperte declarare potest et debet veritatem. Ratio est, quia interrogatur de veritate dicenda, et fructum prudenter diiudicare potest futurum ex eius monitione. Tales enim sunt Franciscae bonae immo optimae dispositiones, ut nullam confessarius concipere possit suspicionem de malo exitu suae monitionis.

72. — MULIER HAERETICA IN MORTE ABSOLUTA

Elpidia catholica, ex librorum protestantium lectione haereticae sectae amore capta, statuit ex Hispania in Angliam proficisci. Dum Galliam pertransiret in letalem incidit morbum. Vir eius catholicus statim accessit ad parochum loci, ab eo petens, ut uxorem inviseret, et ad bonam mortem disponeret, ita tamen, ut de Purgatorio, de Indulgentiis, de Confessione nihil diceret, siquidem non profutura monitio esset, sed graviter nocitura. Mox parochus, sponsum secutus, Elpidiam invenit cum morte luctantem. Recitat alta voce actus fidei, spei, caritatis, contritionis. Recitat item symbolum Apostolorum. Ad dolorem ipsam exhortatur omnium peccatorum, et sub conditione absolvit. Deinde vero in loco sacro eam sepelivit.

Quaer. *An bene egerit parochus, Elpidiam absolvens, et in loco sacro sepeliens?*

R. Ad 1^um^. parochus bene egisse videtur. Ratio est, quia conatus fuit, modo meliori, quo in his circumstantiis fieri poterat, procurare animae salutem, disponendo scilicet infirmam tum ad verum dolorem supernaturalem de peccatis, tum etiam ad assentiendum fidei mysteriis ad salutem creditu necessariis. Bene proin egit partim quod eam absolverit, ne fortassis cum sola attritione decedens incurreret aeternam damnationem, quae accedente simul beneficio absolutionis fortassis obtinuit salutem aeternam; partim quod non absolute, sed sub conditione dumtaxat illam absolverit. Quotiescumque enim ex una parte affulget probabilis spes valoris huius sacramenti, ex altera vero timendum est periculum frustrationis; tunc, urgente casu necessitatis, potest, immo et debet administrari non absolute, sed sub conditione, ad consulendum tum animae saluti, tum etiam reverentiae sacramenti. Atqui in hoc casu revera erat summum periculum animae; ex altera vero parte nonnulla spes valoris sacramentalis apparuit. Caia enim erat antea catholica; et, ut in casu apparet, bene instructa in rebus fidei catholicae. Potuit igitur non omnino improbabiliter in tanto discrimine constituta, pii parochi exhortatione excitata, et adiuvante Dei gratia, ad cor redire et desiderare sacramentalem absolutionem, et per suspiria aliaque huiusmodi signa confiteri, licet non adverteretur. — Elbel 34., G. 190., I. M. V. 2. n. 345. 346. 750. seqq., Commentar. de Moribundorum Absolutione et Assistentia.

Sed quid, si Elpidia fuisset etiam antea acatholica? Si Elpidia fuisset etiam antea haeretica, et non contemnebat sacramenta Ecclesiae parochus bene quidem faceret, nisi quid aliud obstaret, ad eam accedere et cum ea elicere actus fidei, spei, caritatis, contritionis. Ac, si circumstantiae id permitterent, deberet postea, eam interrogare an vellet amplecti fidem salvificam, si sciret se non esse in vera fide; item an vellet amplecti et facere omnia ad salutem necessaria, confiteri et absolvi. Et si ad haec annuat, poterit sub conditione absolvi. — La-Croix l. 6. P. 2. n. 1866., Elbel 35., Lig. l. 6. n. 483., G. 190.

Ad 2^um^. Potuit Elpidia in loco sacro sepeliri, modo abfuerit scandalum, ut reapse abfuisse videtur. Ratio est, quia supponebatur in mortis articulo dedisse reapse signa poenitentiae, et consequenter fuisse vere absolutam a peccatis et a censuris, quas incurrit. Et quamvis dubium adfuerit, in benigniorem tamen partem inclinandum erat. — Elbel 36., G. 191.

73. — COMMUNICATIO CUM INFIDELIBUS

1°. « Christiani, numero pauci, non possunt, quin utantur gentilium consortio: reperiunt se quotidie ad mensas eorum et convivia; quia autem pagani habent pro more, ut cibos non solum directe ad cultum idolorum, sed ad comestionem ordinariam familiae praeparatos idolis offerant, apponantque indifferenter super mensam, christiani, qui ibi sedent timidi, indifferenter quoque comedunt; quia esset sibi rubor et gentilibus iniuria, si cibis appositis uti recusarent ».

« Quaer. *An possint isti christiani de istis comedere, quando non est datum scandalum?* »

R. « Licitum esse comedere epulas indifferenter appositas, quamvis idolis oblatas, dummodo non in templo, neque in loco idolis sacro, et dummodo omnis absit species cultus, aut venerationis idolis, ac superstitionis, nullumque adsit periculum scandalizandi fideles vel infideles ». Clemens XIII.

2°. Paganorum uxores, filiae, famulae cibos coquere coguntur pro communi familiae prandio. Verum pars aliqua horum ciborum idolo deinde erit offerenda.

Quaer. *An licite, in Casu, cibos coquere possint praedictae personae?*

R. « Licet generaliter coquere et praeparare cibos, si agatur de ordinariis servis et culinariis, qui toto anni tempore huiusmodi ministerio sunt addicti, si extraordinaria huiusmodi convivia pro laetitia familiae, pro hospitibus aliisque occasionibus minime superstitiosis primario fiant; quamvis non ignoretur aliquam eorum partem idolis offerendam fore, si dapes non distinguantur, ut aliquae fiant pro oblatione superstitiosa, aliquae pro cibo convivarum, sed destinatio pendeat ex arbitrio patrisfamilias; si nullae dapes sint specialiter directae, et praeparatae pro idolo; si in divisione epularum, nec in earum expositione ad locum sacrificii, vel ad mensam idoli cooperentur.

» Non licet famulis et filiisfamilias emere, coquere aut quovis modo praeparare edulia extraordinaria, sacrificio, aut oblationi superstitiosae deputari solita, quando bene sciunt talia edulia a dominis, maritis, aut parentibus ad sacrificium, aut oblationem suis defunctis faciendam destinari. Neque hoc eisdem licet ob gravem metum, seu damnum, quod sibi ipsis probabiliter, vel certo imminet, etiamsi praemittatur protestatio, quod eorum animus a superstitione omnino sit alienus. Item hoc non licet eisdem, etiam quando illa extraordinaria edulia emuntur, coquuntur, etc. in maiori quantitate, quam necessaria sit pro dicta mensa, superstitioni deserviente, instruenda; quando finis primarius dictae praeparationis est praedictam mensam superstitiosam facere, quamvis ciborum pars, quae superest, occasionaliter et accessorie ad licitam comestionem deserviat ». S. C. de P. F. 13. Ian. 1793.

74. — DE INSTRUCTIONE CASTAE HOMINUM VULGO *MANGIO'*

« Sunt in oppido Kafa quidam abiectissimae sortis seu castae homines vulgo *Mangiò*, in Abissinia vulgo Woito nuncupati. Hi censentur non tantum ipsi esse immundi, verum etiam immunditiem communicare personis quibuscum agunt, et rebus quae forte contrectant. Nondum coeptum est eosdem de christiana Religione instruere; quia, si missionarius cum iis conversaretur, evaderet et ipse immundus, ipsumque nemo amplius alloqueretur; praeterquamquod si vel semel aliquis *Mangiò* ecclesiam intraret, haec illico pro immunda haberetur. Quapropter postulatur:

1°. *An memoratae difficultates praebeant sufficiens motivum, ne missionarius hanc castam instruere quaerat?* — 2°. *An eo casu quo aliquis huius castae homo instructionem sponte sua petat a missionario, is possit tali se ministerio denegare.* — 3°. *Quaedam huius castae familia est sub dominio Missionis, eidemque inservit. Peccaretne missionarius, si ob praedictas difficultates omitteret illam familiam instruere?*

R. Catholica Ecclesia in ministeriorum Dei dispensatione non modo nihil unquam discrevit inter divites et pauperes, inter nobiles et abiectos, verum etiam quadam veluti peculiari caritate ac materna sollicitudine pauperes et abiectos semper complexa est, qui sicut luculenta experientia testatur facilius ad fidem accedere solent prae mundi nobilibus et divitibus. Imitatur enim Ecclesia Iesum Christum D. N. apud quem nulla est personarum acceptio, quique se ad evangelizandum pauperibus missum esse dicebat, et cum publicanis et peccatoribus manducabat, licet iniquissimum inde scandalum sumerent pharisaei. Quod ergo spectat ad tria postulata nullatenus ambigendum est, quin missionarii pro suo munere debeant hominum quoque *Mangiò* nuncupatorum instructioni et conversioni solertissime quantum poterunt adlaborare, multoque magis si ipsi *Mangiò* divina gratia permoti instrui petant, vel iustam subeuntes missionariorum servitutem eorundem domestici effecti fuerint. Neque tantum propter adductas rationes illicitum est ab instruendis *Mangiò* prorsus abstinere, sed etiam ne missionarii auctoritate sua confirmare videantur superstitiosam consuetudinem a iudaicis traditionibus probabiliter effectam, refugiendi nimirum contactum hominum *Mangiò*, imo, cum eos tangentibus nullam habendi communicationem; quam quidem consuetudinem christianae caritati ac rectae rationi tantopere adversantem missionarii penitus extirpare omni diligentia studeant. Interea tamen, ut aeternae saluti, quam citissime provideatur, censuerunt Emi Patres unum e missionariis deputandum esse absque mora ad spiritualem eorum curam. Christiani vero, qui illam consuetudinem servant admitti poterunt ad sacramenta, dummodo id unice faciant, ne a commercio aliorum civium segregentur, non autem sponte sua, atque ex erronea opinione quod homines *Mangiò* sint immundi, labemque et immunditiem vel solo tactu affricent personis quibuscum agunt aut conversantur, rebus quas adhibent, et ipsis ecclesiis in quas ingrediuntur. Haec enim opinio nullatenus toleranda est in viro catholico, postquam Deus Beato Petro ostendit neminem communem aut immundum dicere hominem ». S. O. 20 Iunii 1866. Vic. Ap. Gallas.

75. — DE PECCATIS CONTRA SPEM

1°. Argyrophilus divitiis, et vitae praesenti tam perdite adhaeret, ut neque de paradiso et inferno cogitet, sed tantum de thesaurizando. Hinc millenis annis, imo perpetuo, in terris vivere exoptat, ne a divitiis abstrahatur.

2°. Melania, diuturno afflicta morbo, sanitatem a Deo et a B. V. Maria per plures annos precata est. Cum eam non obtinuisset, statuit nullas amplius effundere ad Deum et ad Sanctos preces, inquiens: Deus non vult me exaudire.

3°. Marinus post longam peccatorum vitam, concionatorem audit peccatores ad poenitentiam exhortantem. Verum ipse cogitans longam suorum peccatorum seriem, ait intra se, iam perditus sum, inutile est iam peccato renunciare.

4°. Leonardus recidivus saepe admonitus fuit a suo confessario, sed fere nulla emendatione. Confessarius instat eum iterum admonens, sed ille: Pater, ait, timeo sane futurum iudicium propter multitudinem meorum peccatorum, et vix forte consequar divinam misericordiam; a peccatis enim abstinere iam non possum, et propter inveteratam consuetudinem, et propter nimiam meam fragilitatem.

Quaer. 1°. *Quaenam sint peccata spei opposita?* — 2°. *Quid ad Casus?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 371. — Ad 2^um^. Argyrophilus graviter peccat contra virtutem spei. Ratio est, quia revera creaturas Deo anteponit; Deo carere contentus, in creaturis suam felicitatem et suum ultimum finem constituit. G. 203.

Melania graviter peccat contra spem, si ideo revera cessat orare, quod sibi persuasa sit Deum nolle ipsi sua auxilia praestare. Si vero ex inordinata quadam tristitia animum despondeat, et ab oratione cesset, non nisi venialiter peccat. Si tandem cessat sanitatem petere, quia credit Deum ex secreto suae sapientiae iudicio nolle ipsi sanitatem restituere, non ideo ex hoc peccat. G. 204.

Marinus graviter ex desperatione peccat. Gravissimum hoc est peccatum, et maxime periculosum. Non eum deserere debet confessarius; sed omni sollicitudine conari debet, ut eum erigat, et ad firmiter sperandum, dolendum et proponendum excitet. Si infirmus de sanitate corporis recuperanda desperet, non eum prudens medicus deserit, sed maxime tunc adlaborat, ut salutaribus consiliis et convenientibus medicamentis pristinae restituat sanitati. Elbel 184., G. 203.

Leonardus non videtur graviter ex desperatione peccare. Non enim videtur de divina misericordia vere diffidere, sed nimium timet tantum, ne in peccatum cadat, utpote qui bene conscius est propriae fragilitatis. Quare confessarius huiusmodi hominem pusillanimem consolari et confortari debet, ut omnem suam spem et fiduciam reponat non in propriis viribus, sed in gratia adiutrice Dei, cui nihil est impossibile. G. 203., Elbel 184.

76. — DE CARITATE ERGA PROXIMUM

1°. Christina, plures habens filios, exoptat, ut filiolus, recens natus caecus, morte miseriis huius mundi, corripiatur, et *paradiso fruatur. Eandem gratiam* desiderat alteri filio, quinquenni, surdo et muto, et tertio filio novenni, utroque pede claudo. Item votum facit, ut filia nubilis, sed innupta ob nimiam paupertatem et deformitatem, e vivis excedat, ne periculis peccandi obnoxia remaneat. Deum vero ferventer orat ut maritus, qui eam saepe verberat, et continue pluribus vexat imprecationibus, ac quotidie et singulis horis in Deum et in Sanctos blasphemat, ad Deum tandem convertatur et in pace quiescat.

2°. Leontia, in frequenti conversatione cum quadam amica, eam saepe verbis contristare solet. Et, quamvis amica gravem saepe moerorem ostendat, Leontia tamen scrupulum hac in re non habet; ait enim, se id facere tantum ad iocum et recreationem, et ad alias amicas praesentes exhilarandas.

Quaer. 1°. *An detur praeceptum caritatis proximi?* — 2°. *An Christina et Leontia, in praefatis casibus, graviter contra caritatem peccaverint?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 382. — Ad 2um. Christina in nullo ex praefatis casibus peccat contra caritatem et pietatem: non enim exoptat filiis et marito malum; sed e contra, ut a malo poenae, et a malo peccati, liberentur, et infinito bono in caelo potiantur. Neque vero, ut ex casu apparet, ex taedio, ex impatientia, vel odio, in filios, vel in maritum, ducitur; sed motivo tantum fidei et pietatis impellitur. Quare Christina neque graviter neque leviter peccare videtur. — G. 213.

Verum, quid de Christina tenendum? peccaretne graviter, si mortem marito exoptaret, ut tandem liberaretur a durissima mariti vexatione et tyrannide? Negandum sane est, secluso animo inordinatae vindictae. Etenim, secundum communem dd. sententiam, licet sibi mortem exoptare ad evadendam hanc durissimam tractationem. Cur ergo non posset quis ex eodem fine, sine peccato, proximo suo mortem desiderare? I. M. 374. 386., Elbel 342.

Ad Leontiam quod attinet, a gravi forte peccato excusari potest ob erroneam conscientiam, vel ob inadvertentiae et debitae considerationis defectum. Verum res *per se* gravis est, contra caritatem. « Grave contra caritatem est, ait D'Annib. P. 2. n. 92., gravi moerore sine gravi causa, etiam citra iniustitiam aliquem afficere; sive ille rationabiliter tristetur, quod nemo dubitat; sive irrationabiliter, ut puta ex lusibus, iocis, forte quia modico et pusillo animo est ».

77. — DE DILECTIONE INIMICORUM

Leocadia maritum suum deprehendit turpiter conversantem cum ancilla. Eam, veniam postulantem, statim e domo expellit, nec alloquio vel aspectu amplius dignatur. Imo, si quando ancilla ei occurrat in via, eamque salutet, in aliam partem oculos convertit, nec mutuam reddit salutem. Maritum vero per mensem vix alloquitur, eidemque vero statuit non amplius debitum reddituram.

Quaer. 1°. *An inimici etiam sint diligendi?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 390. seqq. — Ad 2um. Potuit Leocadia ancillam e domo statim expellere, quin laederet iustitiam et caritatem, cum ista laeserit tam graviter ius tori, et merito timeri possent frequentiores relapsus. Nec refert, quod tam subito e domo eiecta periculum forte subeat famae; etenim sibi hoc debet imputare. Posset praeterea Leocadia eam etiam coram iudice convenire, et hoc ipso eandem coram diffamare. Eam ergo a fortiori potest e domo eiicere, eiusque diffamationem per-

mittere, si forte sequatur. Neque vero videtur ideo inquietanda Leocadia, si neque aspicit, neque resalutat ancillam ei occurrentem, si tamen id non faciat ex odio inimicitiae personae, sed abominationis criminis, vel ad ipsius emendationem, vel ne periculum sit, quod in domum veniat et revertatur, vel ad amplius ostendendam gravitatem iniuriae sibi illatae, vel etiam ad iustam quandam punitionem. Nihil enim vetat, quominus in rebus, quae poenam merentur, non ita tamen, ut ad iudicem deferantur, per se ipsum quis, etsi privata persona, alterius personam *huiusmodi* puniat *poena,* quae ad privatum personarum commercium spectat. A fortiori igitur licitum erit, si de graviori delicto agatur, quod ad iudicem esset deferendum, illud punire privatione alloquii vel salutationis, quae non communia, sed specialia sunt caritaris signa, ad quae quis ceteroquin non tenetur. Secus vero dicendum esset, si id Leocadia faceret ex odio erga ipsam personam, et ex inordinato affectu vindictae, malum ancillae volendo et desiderando. Idem videtur dicendum de privatione alloquii Leocadiae cum marito. Cum ex casu non videtur id fecisse ultra mensem, inde erui potest quod id fecerit tantum ad iustam eius displicentiam ostendendam, et ad liniendum etiam suum dolorem, in re tam gravi. Quod autem statuerit debitum perpetuo denegare nihil contra iustitiam peccavit. Ratio, quia maritus adulterando perdidit ius petendi debitum. I. M. V. 2. n. 981. An autem peccaverit saltem contra caritatem, affirmat Elbel 253.; siquidem maritus exponitur ita periculo incontinentiae. Verum id communiter negatur. Caritas enim non obligat cum gravi incommodo, et gravissimum est uxori, quod cogatur servare fidem marito fidem frangenti. Insuper, si valeret ratio allata, nunquam amplius, neque privata, neque iudicis auctoritate, divortium institui posset, sin minus iustitia, caritate illud prohibente. S. Th. Suppl. q. 62. Consulendum tamen est Leocadiae, ut marito offensam plene condonet, et debitum deinde reddat, ne maritum exponat periculo incontinentiae et novi adulterii, et perpetuo regnent discordiae inter ipsam et maritum. — Elbel 249.–253., G. 216. 217.

78. — DE ELEEMOSYNA

Lucretia, fingens se pauperem, numerosa gravatam prole, maritum habentem infirmum, cum neque filios neque maritum habeat, menstruam obtinet pensionem 60. libellarum a nobili quodam et pio viro. Itemque, fingens se proximam partui, notabilem pecuniae summam obtinet a divite et ferventi quadam matrona. Aliis utens artibus alias obtinet eleemosynas a variis confessariis, quos adit, aliisque sacerdotibus; imo et legatum obtinuit a suo parocho.

Quaer. 1°. *An detur eleemosynae praeceptum?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. ad 1^{um}. Cf. I. M. 396. seqq. — Ad 2^{um}. Lucretia graviter peccat. Ratio, quia cum gravi dolo rem alienam in gravi quantitate, dominis rationabiliter invitis accepit. Si enim hi cognovissent Lucretiae fictionem nunquam certe eleemosynas, et tam notabili quantitate, dedissent. Lucretia igitur abstinere omnino debet in posterum a tali fraude,

neque recipere amplius potest pensiones caritativas ipsi assignatas, aliaque caritativa subsidia. Ad restitutionem praeterea tenetur. Quae recepit, notabili quantitate, propriis dominis sunt restituenda; cum profecto hi sint omnino Lucretiae noti, neque hi aliis communibus pauperibus tam ingenti quantitate eleemosynas dedissent. Legatum haeredibus vel novo parocho restituendum, ut in alium verum pauperem, vel in alios pauperes distribuatur, cum legatum pium sit. Modicae autem eleemosynae vel ipsis dominis, vel aliis pauperibus, praesertim si propriis dominis restitui nequeant, restituendae sunt, I. M. 943., ex praesumpta dominorum voluntate, quod si non dedissent huic ficto pauperi, aliis pauperibus fuissent daturi. Eleemosynas omnino exiguas eodem etiam modo restituere debet. Non desunt tamen, qui dicunt eleemosynas has *minimi momenti* non esse necessario aliis erogandas, quia domini sunt circa eas minus inviti, et quia pie praesumitur voluisse eas dominus principaliter dare propter amorem Dei et proximi, et secundario tantum ad sublevandam indigentiam huius vel illius pauperis. Facilius quidem parvae hae eleemosynae dantur, quin attendatur ad personas, quibus dantur, omnesque sciunt inter pauperes mendicantes, non deesse, qui vere pauperes non sint. — Elbel 283.-285., G. 221. 222.

79. — DE CORREPTIONE FRATERNA

1°. Calpurnia mater videt filiam suam Lucinam nimium vanitati deditam. Verum, cum simul videat et seipsam deditam esse vanitati, licet vellet filiam admonere pro eius bono, admonere tamen non audet.

2°. Catharina famula advertit, Olympiam filiamfamilias admittere solam, noctu, in suum cubiculum amasium Damianum. Hinc illius in domum ingressum variis artibus impedit. Id resciens Olympia, quae domus regimen habere videtur, valde irata Catharinam increpat, eique minatur, se eam dure tractaturam, et e domo etiam eiecturam, si vel quid simile deinceps facere attentet, vel alicui rem manifestet.

Quaer. 1°. *An detur praeceptum Correptionis fraternae?* — 2°. *Quid ad Casus?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 409. seqq. Quoad Statutum hac in re Congregationum Religiosarum Cf. I. M. 416. 417., Elbel 314., S. Th. Quodlibet 11. a. 13. — Ad 2^um^. Calpurnia quidem, efficaci correptioni faciendae minus apta est, quippe quae eidem ipsa obnoxia est vitio. Nihilominus non ideo eximitur ab obligatione filiam corripiendi, quia propter peccatum nemo eximitur a divina lege. Atqui correctio a superioribus debetur inferioribus ex lege naturali et divina. Quare Calpurnia filiam exemplo primum praecedat, ut efficacius deinde filiam corripere possit, si matris exemplo non moveatur. Elbel 311.

Si Catharina sine gravi suo detrimento praedictos conventus impedire non possit, uti revera ex casu apparet, potest tuta conscientia rem totam dissimulare et permissive se habere. Ratio est, quia caritas non obligat ad impedienda aliorum peccata, nisi id fieri possit sine gravi incommodo. Monitio praeterea in casu nullo modo prudenter profutura

existimari potest. Nullatenus tamen poterit Catharina positive concurrere ad illa conventicula fovenda. — Elbel 306., G. 225.

80. — DE MONITIONE FACIENDA

Xaverius, missionarius, bene noscit, celebres illas octo permissiones Patriarchae Alexandrini, Visitatoris Apostolici generalis in regno Sinarum, in quibus prostrationes et caeremonias erga defunctos, cum aliquibus cautelis, permissae fuerunt, a Bened. XIV. damnatas fuisse in sua Const. *Ex quo singulari,* earumque praxim tanquam superstitiosam execratam. Verum, cum videat, plures ex neophytis huiusmodi superstitiosos ritus adhuc peragere ex ignorantia et bona fide, et si monerentur nullum futurum monitionis fructum, nisi quod formaliter in iisdem ritibus essent peccaturi; omnino tacet, et abstinet a qualibet monitione facienda.

Quaer: *An recte Xaverius agat?*

R. Negative. Constat ex Instr. S. O. 14 Ian. 1753. ad Episcopum Coricensem, Vicarium Apostolicum Tum-Kini Orient. data, et a Benedicto XIV. approbata et confirmata. « Quod attinet ad controversiam... utrum confessarius teneatur admonere et docere poenitentes, qui invincibiliter ignorant prohibitionem rituum quorundam superstitiosorum, vel damnationem permissionum Alexandrinarum, quando praevidet poenitentes admonitos et instructos non se emendaturos, an vero debeat eos in bona fide relinquere; Summus Pontifex considerat, quod relinquere tales ignorantes in sua ipsorum ignorantia circa casus, de quibus agitur, non solum idem est, ac aditum omnem praecludere illis omnibus christianis, ne uniformem Constitutioni Apostolicae praestent obedientiam, idem ac eludere mentem S. Sedis, quae prudenter praecepit, ut omnibus christianis notificarentur declarationes enarratae circa ritus praefatos; sed etiam omissiones talis instructionis vergere in grave gentilium scandalum, et in publicum damnum nominis christiani in illis partibus. Declarat praeterea Sanctitas Sua, quod etiamsi in aliquibus casibus... possint confessarii praetermittere instructionem poenitentium.... in praesenti tamen casu locum non habere huic doctrinae..... debere ergo confessarios et missionarios monere et docere non solum poenitentes, sed alios quoque christianos, qui ignorant invincibiliter prohibitionem quorundam rituum superstitiosorum, et damnationem permissionum Alexandrinarum, etiamsi nullus ex tali monitione fructus speraretur; instructio enim talium ignorantium incumbit Operariis evangelicis, tanquam proprium sui officii munus iniunctum ipsis per praedictam Const. Apost. ».

81. — DE SCANDALO

Fulvia bene novit suum maritum, occultis deditum furtis, ex iisdem familiam alere. Suam quidem displicentiam ostendit Fulvia marito suo, sed frustra. Cum autem non habeat, unde se et suam numerosam prolem sustentet, furtiva utitur pecunia aliisque rebus, pro necessaria familiae sustentatione. Verum, cum timoratae sit conscientiae, quamvis videat, se aliter agere non posse, timet tamen semper, ne peccet, vel ita inducendo et confirmando suum maritum in illis furtis, vel saltem cooperando. Quare rem totam confessario exponit.

Quaer. 1°. *Quid sit scandalum et quale peccatum?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 419. seqq. — Ad 2um. Cum Fulvia aliunde non habeat media, quibus se suasque proles sustentare possit, ea videtur posse tuta conscientia uti illis rebus furtivis ad sustentandam familiam. Maritus uxori et prolibus alimenta debet, quae consequenter Fulvia a marito suo praetendere potest. Quod autem is nolit dare alia quam furtive obtenta, *per accidens* se habet respectu Fulviae, quae utpote inevitabili necessitate pressa, acceptando, censeri debet mere permissive se habere in ordine ad peccata seu furta a marito iam commissa. Et certo nemo dicet, in huiusmodi casus circumstantiis Fulviam *inducere* maritum ad committenda furta, vel maritum in illis *confirmare*, vel in eisdem marito *cooperari*. Lig. l. 4. n. 110.

« Confirmatur hoc a pari. Nam iuxta communem dd. opinionem, cui etiam subscribunt Diana, Sporer, Babenstuber, ob rationabilem causam, quam subministrat ipse famulatus seu subiectio, coqui et coquae dominis suis ieiunium violaturis licite praeparant carnes easque ministrant, eo quod haec actio natura sua non ordinetur ad peccatum, sed solum ad substantiam actus comestionis, cui *per accidens* coniungitur peccatum dominorum, quod famuli et ancillae, moraliter loquendo, impedire nequeunt, et hoc ipso non tenentur. Ergo similiter, si maritus nolit praebere alimenta, nisi furtive hinc inde ablata, uxor gravi necessitate pressa ea licite acceptat, de reliquo permissive se habens ad peccata mariti, quippe quae, moraliter loquendo, impedire nequit ». Elbel 369., D'Annib. Summ. Ed. 3ª. P. 2. n. 94.

Verum Fulvia, ut ex casu apparet, nihil aliud habens pro sui et familiae sustentatione, non tantum in gravi sed in extrema vel quasi extrema est necessitate. Ad hanc enim verificandam expectandum quidem prius non est, ut fame quis pereat. Hinc ex hoc capite nulla esse potest difficultas, quod Fulvia alienis utens rebus, eas *destruat et consumat*. Cf. I. M. 676. 1006., Lig. l. 2. n. 78., l. 3. n. 695., l. 4. n. 110.

82. — DE APPOSITIONE OCCASIONIS PECCATI

Ugolinus, die quadam, tempore noctis, in domo sua aggressus a duobus latronibus armatis, mortemque indeclinabilem praevidens, sponte offert invisis hospitibus non solum numerosam pecuniam, sed etiam largissimum vini maxime generosi potum, cum aliis eximiis et validissimis liquoribus. Bibunt impigri nebulones, et mox iacent penitus ebrii. Tunc Ugolinus, recuperata primum pecunia, advocatoque auxilio, latrones, ligatis manibus pedibusque, satellitibus tradit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Ugolinus de gravi peccato damnandus non est ex eo quod causam ebrietatis posuerit. Etenim posuit causam indifferentem, vinum scilicet et liquores ante latrones apponendo. Unde ipse occasionem utique apposuit ebrietatis, non vero causam necessario effectum producentem, siquidem latrones libere bibere possunt, quin inebrientur: neque vero ad bibendum eos cogit sed libere bibunt. Ac si vinum et liquores ante eos

apponendo, ipsos ita ad bibendum inducit, minime vero inducit ita etiam ad ebrietatem. Insuper Ugolinus effectum malum, seu ebrietatem minime intendit, sed mere permittit, intendens tantum effectum bonum, vitam incolumem servare, et suam pecuniam recuperare; et hic bonus effectus bene malum compensat, hoc est ratio in casu sufficiens est latronum ebrietatem permittendi. — G. 183.

83. — DE COOPERATIONE QUOAD FIDEM

1°. Franciscus omni labore destitutus, nec habens unde viveret et honeste sustentaret numerosam suam familiam, post tentata alia media, pingui sibi oblato stipendio, officium acceptat typographi, caracterum compositoris in protestantium officina, qua Biblia, aliique protestantium libri de Religione tractantes continue eduntur, ad eos hic Romae in vulgus etiam gratuito diffundendos. Tempore paschali ad confessionem accedit Franciscus, et confessarius ipsi praecepit, ut, non obstante quocumque gravi incommodo, ab ea officina recedat. Obedit Franciscus, et cum laborem in catholica officina non inveniat, diaria vendit per publicas vias, *La Capitale, il Messaggero, La Voce della Verità, Mastro Peppe,* aliaque mixtim bona et mala.

Quaer. 1°. *An Franciscus licite in ea officina permanere poterat?* 2°. *An possit nunc licite diaria bona et mala indiscriminatim vendere?*

R. Ad 1^{um}. Negative. Ratio est 1°. quia eius cooperatio ad pravos illos libros disseminandos contra religionem catholicam proxima est, et reapse deest sufficiens causa ad eum excusandum. Illa enim officina relicta, difficile admodum est, quod aliam non ita saltem malam et perversam reperiat; vel saltem aliud exerceat officium, unde possit honeste vivere, et suam familiam sustentare, quamvis forte non sine aliquo eius incommodo quod ipso facto quotidiano hic Romae et in omnibus fere magnis civitatibus comprobatur. Attamen in casu veri gravissimi detrimenti *ad brevissimum tempus* permanere posset, donec aliam officinam reperiat, vel aliud officium exercendum inveniat, si scandalum absit et religionis contemptus. Siquidem haereticum scriptum typis ordinare, sicut etiam transcribere *per se* malum ex intrinseca natura sua non est, cum possit fieri et ad malum finem et ad bonum finem, puta ad illud scriptum confutandum, et tunc evidenter prohibitum non est. Apposite Laymann L. 2. T. 3. C. 13. n. 5. « In necessitate tamen admodum gravi, si etiam alia scandala et catholicae religionis contemptus absint, tale quippiam ad breve tempus praestari posset, v. g., si filius typographi haeretici ad fidem catholicam convertatur, qui sine gravissimo suo detrimento patrem tam cito deserere non possit. Siquidem haereticorum scriptum typis ordinare, sicuti et transcribere, *per se* malum non est, si malo fine non fiat; neque lex ecclesiastica id prohibens in tam gravi necessitate obligat ». Idem tradunt Gury Comp. V. 1. n. 253. q. 5°., Frassinetti Comp., 6^{a}. Edit., Genuae, 1875. Vol. 1. Tract. 4. Dissert. 5. n. 21., Ios. D'Annib. Summ. Edit. 3^{a}. P. 3. n. 142, aliique recentiores communiter.

Ratio 2°. desumitur ex Instructione Emi Card. Vicarii pro parochis Romae, « graviter peccant..... et typographi, etiam secundarii ministri, qui, ne a superioribus eiiciantur, litteras colligunt ad excudendos haereticorum libros; quin immo si de haereticorum libris agatur, quibus haeresis edocetur atque sustinetur, etiam ministri typographi secundarii maiorem incurrunt excommunicationem, speciali modo Pontifici reservatam ». Enchir. Moral. N. 192.

Ad 2um. Negative iterum. Ratio est, quia adhuc satis proxima cooperatio habetur ad prava illa et prohibita diaria in vulgus spargenda. Neque reapse adest sufficiens ratio ad Franciscum excusandum. Ut enim, typographica officina protestantica relicta, novum hoc reperit officium, ita non deest profecto aliud officium, quod possit christiana ratione exercere, ut iam observavimus, praesertim, quum ipse tam bona sit praeditus voluntate, ut paratus sit, ad peccatum vitandum, pro nobiliori typographi compositoris officio, infimum etiam publici praeconis officium per vias exercere. Nulla praeterea necessitas est bona et prava diaria vendendi, vendat sane tantummodo bona, et bonorum favorem sibi conciliabit, qui procul dubio ipsi eiusque familiae in necessitate praesto erunt. Attamen, cum etiam in hoc casu cooperatio sit materialis et minus proxima, praesertim cum multi alii sint, qui id faciant, poterit interim istud officium exercere *brevissimo aliquo tempore,* usque dum officium aliud reperiat, ad gravissimum vitandum damnum, v. g., si emendicare cogatur et vix habeat unde ipse vivat, et suam familiam sustentet, scandalo tamen sem per secluso et religionis contemptu. Frassinetti l. c.

2°. «.... In civitate M. existit hospitium.... in quo infirmorum curam gerunt moniales..... Cum autem in hoc hospitio subinde recipiantur acatholicae religionis sectatores, ac iidem ministrum haereticum, a quo religionis auxilia et solatia recipiant, identidem petant; quaeritur utrum praefatis monialibus falsae religionis ministrum advocare licitum sit? Quaeritur insuper, utrum eadem danda sit solutio, ubi haereticus infirmus in domo privata cuiusdam catholici degat; utrum scilicet tunc catholicus ministrum haereticum advocare licite possit?

Responderunt Patres: *Iuxta exposita non licere;* et addiderunt: *Passive se habeant* ». S. O. 15. Mart. 1848. — G. 202.

84. — DE COOPERATIONE QUOAD IUSTITIAM

Aurelius, ratiocinator apud quendam mercatorem, mercaturae et commercii libros scribit referens quotidie in ipsos datum et acceptum, expensas factas, venditiones aliosque contractus. Hinc Aurelius bene cognoscit, quod mercator, qui apud ipsum et apud alios simulat omni arte, se esse omnino honestum virum et mercatorem, procedat e contra mala saepe fide et fraude, emptores decipiat, et socios commercii defraudet. Difficile sane est Aurelio alium invenire mercatorem, vel alium quemcumque, apud quem suum possit officium exercere. Si vero ipse officium dimittat, quamplures alii iam parati sunt ad illud suscipiendum.

Quaer. *An possit Aurelius in tali officio continuare?*

R. Transcriptio dati et expensi nec non variorum contractuum nihil quidem *per se* influit in mercatoris fraudes. Has enim iam factas supponit. Quare nulla inde haberi potest *coqperatio* ad easdem fraudes. Neque vero animosior inde fit mercator, neque in suis fraudibus confirmatur, cum existimet se ab Aurelio aliisque haberi tanquam honestum virum. Neque item, si Aurelius suum dimittat officium impedientur ideo praedictae fraudes. Tandem grave adest incommodum pro Aurelio, si officium dimittat. Aurelius ergo non tenetur dimittere huiusmodi officium ratiocinatoris.

« Non peccat, ait La-Croix l. 2. n. 268., qui iuvat usurarium in numerandis pecuniis, in scribendis nudis rationibus, quae nihil faciunt ad repetendas usuras, in deferendo pignore pro securitate usurae, in exigendis amice usuris, ne alter videatur infidelis. Ratio est, quia haec supponunt peccatum, vel nude concomitantur, neque mutuatarius ad haec est invitus. Peccat tamen notarius scribens contractum usurarium, quia licet usurarius consentiat, ipse facit contra suum iuramentum, quo tenetur non servire in actibus iniustis. Atque idem est de testibus firmantibus talem contractum ». Et S. Alph. l. 2. n. 78. inquit: « Qui adiuvat usurarium tantum in numerandis pecuniis, scribendis rationibus, aut in deferendo pignore, potest excusari a peccato, *sola ratione famulatus;* secus vero, si exigat usuras, quia exactio est cooperatio proximior ad peccatum usurarii, etiamsi amicabiliter exigat. Quod si exigeret per vim aut minas, non solum peccaret, sed insuper teneretur ad restitutionem ».

Quaestio alia in casu moveri posset, an nempe teneatur Aurelius monere emptores et socios mercatoris aliosque ab ipso defraudatos, ut sibi caveant. Affirmative respondendum videtur, si tamen id ipse efficere possit, *debita servata cautela,* sine gravi suo incommodo, et quin scandalum inde provocetur. Tunc enim ex caritate tenetur, quantum potest, grave proximi damnum impedire.

DE PRIMO DECALOGI PRAECEPTO

85. — DE NOVIS CULTIBUS

1°. Renatus parochus, ex devotione erga SS. Cor Iesu, ad eam magis magisque promovendam, parochianos suos saepe alloquitur de *Corde Iesu Poenitente pro nobis,* eisque hanc consulit specialem devotionem, videlicet erga *Cor Iesu Poenitens,* et hanc frequentem invocationem: *Cor Iesu Poenitens pro nobis, Miserere nobis.*

2°. Nicolinus parochus ad promovendam item SS. Cordis Iesu devotionem nova quaedam emblemata Sacratissimi Cordis Iesu in Eucharistia propagat inter suos parochianos. Asserit enim cultum erga SS. Cor Iesu in Eucharistia perfectiorem esse simplici cultu erga SS. Cor Iesu, cum ipsum Sacramentum Eucharistiae, quod est Sacramentum amoris, complectatur.

3°. Nicolaus parochus specialem propagat cultum Vultui adorabili Divini Redemptoris, et ab illo consueto, usque adhuc sancti Vultus imagini tributo, diversum.

4°. Lucianus parochus ex devotione erga S. Iosephum specialem propagat huius Sancti cultum sub titulo: *S. Iosephi amici S. Cordis.*

5°. Lucas, omni conatu, ex devotione et amore D. N. Iesu Christi, devotionem propagat erga Sanctissimam Animam Iesu Christi, imaginem eam repraesentantem conficit, et Confraternitates in eius honorem instituit.

Quaer. *Quid de variis hisce cultibus tenendum?*

R. Renatus recte non agit, neque perseverare potest in ea praxi. Etenim S. O. 15. Iulii 1893. prohibuit et damnavit titulos: *Cor Iesu Poenitens, Cor Iesu Poenitens pro nobis, Iesus Poenitens, Iesus Poenitens pro nobis.* M. E. V. 8. P. 1. p. 175.

Nicolinus item recte non agit, neque perseverare potest in sua praxi. Etenim ex S. O. 3. Iunii 1891. decisum fuit « Nova Emblemata Sacratissimi Cordis Iesu in Eucharistia non esse ab Apostolica Sede adprobanda. Ad fovendam fidelium pietatem satis esse imagines SS. Cordis Iesu in Ecclesia iam usitatas et adprobatas; quia cultus erga SS. Cor Iesu in Eucharistia non est perfectior cultu erga ipsam Eucharistiam, neque alius a cultu erga SS. Cor Iesu ». M. E. V. 7. P. 1. p. 101.

Nicolaus item abstinere debet a propagatione praedicti cultus specialis, et a consueto diversi, erga Vultum adorabilem Divini Redemptoris. Etenim, proposito dubio de approbando vel saltem permittendo huius-

modi cultu, S. O. declaravit, *Non expedire.* Cultum igitur erga imaginem Vultus divini Redemptoris, aut eiusdem imaginis exemplaria, propaget quidem Nicolaus, sed prout iam ab antiquis temporibus consuetus fuit, videlicet, ut in fidelium mentibus ex veneratione contemplationeque praedictae imaginis, passionum Christi magis in dies memoria succrescat, eorumque in cordibus dolor culparum, ardensque desiderium iniurias divinae Maiestati illatas reparandi, augeantur. M. E. V. 7. P. 2. p. 221.

Ad Lucianum quod spectat, quoad cultum S. Iosephi sub titulo *Amici S. Cordis,* Patres S. I. C. « decreverunt cum approbatione SS. D. N. Leonis XIII. *circa rem propositam interloquendum non esse.* Insuper S. Rit. C. monendam mandarunt, ne in posterum decreta, rescripta, etc. emanet, in quibus quomodocumque novus titulus, de quo supra, approbetur, aut etiam in quibus de eo simpliciter mentio fiat ». M. E. V. 7. P. 2. p. 220.

Ad Lucam quod spectat, licet ille cultus nihil falsi, nihil etiam incongrui contineat, novus tamen cultus est, *prout proponitur,* et publice propagandus non est, sine Ecclesiae approbatione. « SSmus.... mandavit.... monendos esse scriptores, qui ingenia sua acuunt super.... argumentis, quae *novitatem* sapiunt, ac, sub pietatis specie, *insuetos* cultus titulos etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant periculum, quod subest pertrahendi fideles in errorem etiam circa fidei dogmata, et ansam praebendi Religionis osoribus ad detrahendum puritati fidei, doctrinae catholicae, ac verae pietati ». S. O. 15. Iulii 1893. M. E. V. 8. P. 1. p. 175. — Atque illud speciatim, in hoc cultu Animae Christi, notandum est, quod minus clare in eo appareat *tota* Christi *Humanitas,* ac Christus *Redemptor,* quam in cultu *SS. Cordis, Pretiosissimi Sanguinis, Quinque Plagarum,* aliorumque mysteriorum vitae et Passionis Iesu Christi; unde profecto cultus minus idoneus videtur, qui in vulgus spargatur.

86. — DE RELIQUIARUM CULTU

Andreas sacerdos saepe loqui audivit de *insignibus Reliquiis;* sed nescit quaenam ipsae sint. Audivit etiam loqui de Reliquiarum expositione, et benedictione cum Reliquiis, nec non de earum processione, sed nescit, quomodo haec omnia fieri debeant. Quare in his omnibus breviter instrui exoptat, quoad ea quae magis faciant ad praxim.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. *Insignes Reliquiae* sunt Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illa pars corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata. S. R. C. 8. Aprilis 1628. Non essent ossa femoris. 11. Iunii 1822. — Spinae de Corona D. N. Iesu Christi inter Reliquias insignes computantur, et speciali cultu dignae sunt. S. R. C. 21. Iun. 1632. — Reliquiae insignes serventur non in monasteriis, sed in exteriori Ecclesia monialium. S. R. C. 17. Apr. 1660.

Ad Reliquiarum expositionem quod attinet, in omnibus Ecclesiis licitum est Reliquias exponere, modo recognitas ab episcopo, S. R. C. 2. Sept. 1690. — Eliminandus est abusus superimponendi Sanctorum

Reliquias, piasque imagines, tabernaculo, quo augustissimum sacramentum asservatur; neque ante ostiolum tabernaculi, etsi sit Reliquia SS. Crucis. S. R. C. 31. Martii 1821., 6. Sept. 1645., 12. Martii 1836. — Reliquia autem SS. Crucis a Reliquiis Sanctorum est separanda. S. R. C. 22. Februarii 1847. — Sub Reliquia alicuius Sancti, exposita publicae veneration inter candelabra, non debet adhiberi palla. S. R. C. 7. Apr. 1832. — Sanctorum Reliquiae quando exponuntur, ultra lampadem, debent continue super altare ardere duo saltem lumina (non tamen nocte) alias non exponantur. S. R. C. 22. Ian. 1701. — Beatorum Reliquiae exponi possunt, uti imagines et simulacra, in ecclesiis, in quibus officium et missa de Beatis recitari ac respective celebrari possunt. S. R. C. 17. Apr. 1866.

Sacerdos in missa privata, finita missa, sacris indutus paramentis, potest cineres distribuere et reliquias deosculandas praebere, si mos est, expleta missa. S. R. C. 16. Martii 1833. — Ad benedictionem cum Reliquia, vel insigni Imagine alicuius Sancti estne tam a clero, etiam parato, quam a populo genuflectendum? S. R. C. respondit 16. Apr. 1853., *Consuetudinem servari posse.* — In benedictione cum Reliquia SS. Crucis non licet canere: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater* etc. S. R. C. 23. Maii 1835.

Quoad Reliquiarum processionem, Decreto Generali S. R. C. 27. Maii 1826. non licet Sanctorum Reliquias ob quamcumque causam vel consuetudinem processionaliter sub baldacchino circumferre; tolerari tamen potest et permitti quod lignum SS. Crucis aliaque Instrumenta Dominicae Passionis, peculiari horum attenta veneratione, et fere universali consuetudine, deferantur sub baldacchino, modo fiat seorsim et seiunctim a Sanctorum Reliquiis. Non licere neque Reliquias Sanctorum, neque imagines, licet B. Virginis, sub baldacchino deferre iam fuerat decisum 23. Martii 1686., 25. Sept. 1820. Decretum tamen illud, ait Martinucci Manuale SS. Caeremon., intelligendum esse videtur de processionibus ordinariis, quae celebrari solent quotannis, non vero de solemnibus pro translatione alicuius sacrae Imaginis vel Reliquiarum. — Beatorum Reliquiae in processionibus non circumferantur. S. R. C. 27. Sept. 1659.

87. — DE DIVINATIONE

Beatrix, monialis, spiritualem habebat amicitiam cum alia moniali, Sanctina. Cum haec iam proxima morti esset ab ea petiit Beatrix, ut, si Deo placeret, statum animae suae ipsi revelaret post eius mortem. Manu versus Crucifixum porrecta, capite annuit Sanctina. Verum, Sanctina pie in Domino defuncta, statim Beatrix scrupulis turbari incepit; unde ad confessarium accedens rem illi manifestat. Pessime egisti, respondet confessarius; nam, in istis rebus, daemon solet immisceri. Non enim licet inquirere, quae Deus vult esse abscondita, secundum illud Eccl. 3., 22. *Altiora te ne quaesieris.* Sed Deus vult esse absconditum statum animae post mortem; quod patet ex hoc, quod diviti petenti, ut Lazarus mitteretur ad fratres suos viventes, est hoc denegatum, sicut dicitur Luc. 16., 29. Hac responsione magis turbata Beatrix, petit a sua Superiorissa, ut ante noctem, P. Thomam, eius confessarium extraordinarium advocet; secus enim quiete et in pace dormire certe non poterit.

Quaer. *Quid extraordinarius confessarius respondere poterit Beatrici?*

R. P. Thomas respondere poterit illud quod responderet S. Thomas Quodl. 3. a. 22. « Respondeo dicendum, quod, cum peccatum sit contra naturam...; requirere impletionem naturalis desiderii non est peccatum, nisi aliqua inordinatio adiungatur, sicut patet in sumptione cibi et potus. Homo autem naturaliter scire desiderat. Unde, si requirat alicuius rei notitiam, non est peccatum, nisi forte per accidens, hoc est per aliquam inordinationem adiunctam; puta, si per studium et inquisitionem alicuius scientiae aliquis impediatur ab his, quibus tenetur intendere; puta, si praedicator impediatur ab officio debitae praedicationis propter studium geometriae; aut etiam, si quis inquirat aliquid cognoscere, superbe et praesumptuose de sua facultate confidens; vel si qua alia huiusmodi inordinatio circa hoc contingat. Nulla autem inordinatio in hac inquisitione videtur, si aliquis requirat a moriente cognoscere statum suum post mortem, submittendo tamen hoc divino iudicio. Unde nulla ratio videtur, quare debeat dici hoc esse peccatum; nisi forte ex dubitatione fidei, de futuro statu, quasi tentando, inquirat.

Ad illud vero, quod in contrarium obiicitur, dicendum quod Deus vult multa nobis sic esse abscondita, quorum notitiam propriis viribus aut merito acquirere non possumus; quae tamen vult revelari humiliter et pie quaerentibus, secundum illud Matth. 2., 25., *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Unde non est mirum, si superbis fratribus superbi divitis Deus aliqua noluit revelari, quae tamen vult revelari fidelibus pie et humiliter requirentibus ».

« Non peccat graviter, ait La-Croix l. 3. P. 1. n. 13., qui cum altero pactum init, ut praemoriens appareat superstiti, Deo id permittente, moniturus alterum de rebus ad salutem spectantibus; in hoc enim nihil intendit cognoscere ope daemonis: poterit tamen adesse veniale peccatum ob curiositatem vel periculum deceptionis ».

88. — DE VANA OBSERVANTIA

Gerafinia, ex gravi *influentiae* morbo ad sanitatem perfecte restituta, votum emittit abstinentiae et ieiunii per totam suam vitam, diebus *omnibus dominicis et Nativitatis ac Paschatis.* Audivit enim *efficax et infallibile* esse remedium ad relapsum praecavendum. Idque ipsa tanquam *certum* omnino habet, cum reapse in perfecta corporis sanitate per tres annos iam perseveraverit.

Quaer. 1°. *Quid sit vana observantia?* — 2°. *An Gerafinia rea sit superstitionis; et voto teneatur?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 478. seqq. — Ad 2^{um}. Gerafinia rea est superstitionis. Ratio est, quia ieiunium, *praedictis diebus* observatum, medium *per se infallibile* non est ad praecavendum relapsum *in influentiam.* Ipsa autem illud observare statuit cum *certa fide* secuturi effectus.

Voto praeterea non tenetur. Cultus enim superfluus est, alienus a consuetudine Ecclesiae, et prae se ferens singularitatem. Unde nul-

lum est votum ieiunandi ordinarie diebus dominicis, et solemnioribus Ecclesiae festis, praesertim cum vovens aliis diebus ieiunium minime servet. Attamen, seclusa superstitione, veniale *per se* non excederet. Immo neque veniale esset, si quis ex mortificatione ieiunaret. Melius vero est abstinere a tali ieiunio, et ideo communiter dd. docent, quod ieiunium promissum in die dominico possit in sabbato adimpleri; et, si quis voverit ieiunare per mensem, non teneri in die dominico. Verum, si quis solitus ieiunare aliis diebus ieiunet quandoque, ex aliquo bono fine, die dominico, non peccat. — Reuter P. 2. num. 427., Lig. 4., G. 258.-260., I. M. 466.

89. — DE MAGNETISMO ET HYPNOTISMO

Hedvigis, gravi laborans morbo, plures consulit medicos; sed frustra. Hinc accedit primo ad Pancratium, qui ei praescribit, ut torquem affabre elaboratum deferat ad fluidum electricum, bioticum, excitandum. Quod cum ipsa perfecerit per aliquod tempus et aliquod levamen experta fuerit, Nicetam consulit alium medicum, honestum quidem virum, qui ei consulit, ut hypnotismo subiiciatur ad somnum magneticum in ea excitandum, in quo benigna infirmitatis crisis habebitur. Idque asserit se facturum, omni prorsus remota superstitione et illicita alia circumstantia. Verum Hedvigis, cum sit timorata mulier, antequam suum praestet consensum confessarii consilium exquirit.

Quaer. *An Hedvigis, in primo casu, peccaverit; et quid ei respondere debeat, in altero, confessarius?*

R. Hedvigis, in primo casu, nullo pacto peccavit. Ratio est, quia in eo remedio adhibendo nulla fuit superstitio, et nulla alia illicita circumstantia. Ad superstitionem quod spectat, nullum dubium est existere electricum fluidum in corporibus inanimatis, mirae omnino virtutis et efficaciae. Nihil igitur impedit quod idem fluidum existat in corporibus animatis, in plantis, in animalibus, in homine, et quod in istis adhuc specialem obtineat efficaciam ex anima, quae intrinsecum principium vitae est; unde huiusmodi fluidum, *bioticum* etiam dicatur. Et certe, uti electricitate ab extrinseco in hominem excitata, potest ea esse homini graviter nociva, ut alia elementa; cur etiam non potest ipsa, debita ratione excitata, salutares producere effectus, quod in aliis etiam contingit elementis extrinsece organismo applicatis? Et sic revera plures sunt, qui bene vel male se habent secundum varium statum electricitatis aeris. Nihil autem illiciti et immoralis in hoc est, quod quis torquem ex determinato metallo confectum, vel ex cera lacca, vel ex alia simili materia, apta ad excitandam vel extinguendam electricitatem deferat.

Ad alterum casum quod spectat, cum non agatur nisi de mero somno excitando, qui, pluribus naturalibus mediis excitari potest, non videtur quod ideo necessario superstitio sit asserenda. Ac, remota omni superstitiosa causa, uti, e. g., si id mero voluntatis imperio fieret, itemque qualibet immorali circumstantia remota, uti v. g. si adhiberetur inhonestus tactus, nihil tunc habetur quod illicitum apparet. Quare non videtur quod confessarius, in casu, possit conscientiam Hedvigi iniicere

gravis peccati. Sane, ipsa S. Sedis oracula non magnetismum damnant, sed abusum magnetismi. Et in comperto apud dd. est, naturalia censenda esse quae non constat excedere naturae vires, sive ex ipsis effectibus secutis, sive ex causis adhibitis, sive ex modo has adhibendi. Verum, cum res haec gravi periculo generatim non careat, prudenter quidem aget confessarius Hedvigem hortando, ut aliud adhibeat remedium, et hoc omittat. D'Annib. 53. Cf. G. 271. seqq.

Abs re non erit hic notare, quod quemadmodum, in hac magnetismi et hypnotismi materia plures sunt, qui omnia habent ut *naturalia* et *licita;* ita e contra non desunt, qui omnia habent ut superstitiosa et *illicita*. Illi et isti simul errant. — Loquens S. Th. 1. p. q. 117. a. 3. ad 2. de fascinatione ait: « Dicendum est, quod *ex forti imaginatione animae immutantur spiritus corporis coniuncti,* quae quidem immutatio spirituum maxime fit in oculis, ad quos subtiliores spiritus perveniunt.... Sic igitur, cum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam, sicut maxime in vetulis contingit, efficitur secundum modum praedictum aspectus eius venenosus et noxius, maxime pueris, qui habent corpus tenerum et de facili receptivum impressionis. Possibile est etiam, quod ex Dei permissione, vel etiam ex aliquo pacto occulto cooperetur ad hoc malignitas daemonum, cum quibus vetulae sortilegae aliquod foedus habent ».

Producta in corpore praedicta immutatione, ut ibid. ait S. Thomas « inficitur aer continuus usque ad determinatum spatium ». Et hoc profecto verificatur in morbis contagiosis, qui non semper tactu corporis, sed etiam sine tactu, adeoque per aerem infectum, communicantur. Et sic per hanc proprii corporis immutationem exterius corpus immutari potest. S. Th. ib. ad 3. Quid igitur vetat, quod *naturaliter* per intuitum, e. g., adiuvante etiam imaginatione, aliqua impressio producatur? — Et sic Scavini Ed. 12ª. Mediol. 1874. l. 2. n. 247. commemorans hanc S. Thomae doctrinam, de fascinatione, inquit: « Alia est *naturalis,* cuius exemplum habemus in magnetismo, quando ex adspectu alterius fixo de facili quis recipit impressiones.... Alia superstitiosa, et dicitur fascinatio *vulgaris,* quae a vulgo creditur, scilicet, quod aspicientes invido animo noceant.... Hic etiam notamus, quod non omnia, quae creduntur praestigia, talia sunt; nam plures potest partes habere hominis sagacitas, atque phantasia; quam enim praepotens sit, quotque malorum causa philosophi passim probant ineluctabilibus argumentis atque factis ». — Insuper sapienter S. Th. 2. 2. q. 60. a. 4. advertit: « Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quoad dubium est ». — Recte tamen consulitur tunc praemittere protestationem nolendi effectum, si aliqua superstitio subsit. — Cf. D'Annib. l. c.

90. — DE TENTATIONE DEI

Macrina monialis, regularis disciplinae observantissima, frequenter ieiunat, de nocte surgit ad orandum, aliasque exercet corporis austeritates. Cum haec cognovisset Petronia Superiorissa, omnia prohibet Macrinae. Ait enim, sanctitatem non consistere in hisce rebus; et, attenta physica Macrinae constitutione, hoc esse tentare Deum; grave profecto

peccatum. Quamvis Macrina robustae sanitatis non sit, bene tamen omnino se habet. Verum obedientiam praeferens suae Superiorissae, illi omnino se submittit.

Quaer. 1.° *Quid sit tentatio Dei, et quale peccatum?* — 2.° *Quid de Macrina sentiendum?* — 3°. *Quid sentiendnm de Petronia?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 487. seqq. — Ad 2^um^. Macrina laudanda quidem est propter eius poenitentiae et obedientiae virtutem. Quod bono Dei spiritu Macrina duceretur in exercitio illius exterioris poenitentiae patet ex eo quod licet non admodum validae esset sanitatis, bene tamen se haberet; unde colligi potest etiam, quod reapse non fuerit indiscreta, poenitentias ultra suas vires exercendo. Patet praesertim ex promptitudine ipsius obedientiae; unde etiam colligitur, eam motam fuisse non a quodam singularitatis studio, sed a vero desiderio virtutis.

Ad 3^um^. Errat quidem Petronia, quando ait sanctitatem in exteriori poenitentia non consistere, ad eam contemnendam. Nam quamvis sanctitas essentialiter et formaliter non sit in hac exteriori poenitentia et mortificatione; in ea tamen consistit instrumentaliter; siquidem aliae plures virtutes, etiam ipsae sanctitatem essentialiter non constituunt; sunt tamen validissima acquirendae sanctitatis media et instrumenta. S. Th. Quodl. 4. a. 24. Errat item, quando affirmat Macrinam tentare Deum. Tunc enim Macrina tentasset Deum, quando Macrina videns, e. g., se viribus debilitari illis exterioribus austeritatibus, perseverasset adhuc in ea agendi ratione, bonitatem Dei et potentiam experiendi causa, ab eo expectans ut incolumis servaretur. Atque in tali casu non tantum contra primum Decalogi praeceptum peccasset, verum etiam peccasset contra quintum praeceptum, si seipsam, ita agendo gravi vitae periculo exposuisset, abque ulla necessitate, aut proportionata utilitate, sed tantum ex temeraria propriae voluntatis inclinatione. Quare graviter errat Petronia, quando grave affirmat peccatum.

Insuper Petronia in officio hac in re se immiscet, confessarii proprio, contra Decretum S. C. EE. et RR. 17. Dec. 1890. Ad confessarium enim proprie pertinet spiritualis directio, quae natura sua complectitur etiam harum poenitentiarum exercitium. Hinc secundum praesentem praxim S. C. pro huiusmodi privatis poenitentiis, quae nullo pacto publicae sunt, non nisi confessarii approbatio et venia requiritur; pro illis vero quae essent aliquo modo publicae approbatio etiam requiritur Superiorissae, pro recto totius Communitatis ordine servando.

In huiusmodi autem exterioribus poenitentiis concedendis aut denegandis debita servanda est discretio et prudentia. « Quoniam dantur aliqui directores, adeo imprudentes, qui omnem animae progressum collocare videntur in onerando eam ieiuniis, ciliciis, disciplinis sanguineis, adustionibus et his similibus. Alii vero omnino mortificationes externas videntur reprobare, tanquam inutiles spirituali progressui, totam perfectionem in interiori mortificatione collocando. Sed hi etiam errant, ut primi, quoniam mortificationes corporales adiuvant internas, et sunt quodammodo necessariae, *quando possunt exerceri,* ad fraenandos sensus, et ideo legimus ab omnibus Sanctis plus minusve fuisse frequentatas.... Absolute asserere: Mortificationes externas nihil, aut parum prodesse, maximus error est ». S. Alph. H. A. Tr. ult. App. 1. n. 23. Cf. totum hunc num. et seqq.

91. — DE SACRILEGIO

1°. Theofridus, diebus festivis, Ecclesiam solet adire, non tamen animo honorandi Deum, sed videndi sponsam, eamque invitandi, ut in alium conveniat locum. Hinc toto tempore sacrarum functionum oculos morose pascit in sponsa aspicienda, in eaque, animo suo, sibi complacet, et turpibus secum tactibus, veneree delectatur.

2°. Livonia et Vibiana de proprietate cuiusdam libri precum inter se pertinaciter *contendunt* et *rixantur*, in Ecclesia. *Clamores* audiens, statim accurrit Andronicus, Ecclesiae custos, qui *protinus,* suo baculo mulieres verberans, eas eiicit ex Ecclesia. Sed ecce *dum Livonia egredi festinat* in portam Ecclesiae impellitur, et sanguinem *e naribus* effundit.

Quaer. 1°. *Quid sit sacrilegium et quale peccatum?* — 2°. *An Theofridus sacrilegii reus sit?* — 3°. *Quid de Livonia, Vibiana, Andronico?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 94. 493. seqq. 800. seqq. — Ad 2^{um}. Theofridus grave non commisit sacrilegium ex eo, quod, diebus festivis, Ecclesiam frequentet animo oculos pascendi et ibidem sponsam invitandi. Ratio est, quia tempus sacrum non venit inter res sacras numerandum: esto enim in illo sacra fiant, tempus tamen ipsum non sacratur. Itemque neque grave commisit sacrilegium, sponsam in loco sacro morose aspiciendo, neque probabiliter eam etiam invitando ad copulam in alio loco habendam, secluso tamen contemptu et voluntate inhonorandi locum sacrum. Ratio est, quia aspectus ille graviter honori loci sacri, qua actus externus est, detrahere non videtur, quamvis eo aspectu graviter animo suo peccet. Idemque dicendum videtur de ea invitatione, quae, quamvis in se grave peccatum sit, specialem aliquam sacro loco foeditatem non infert. Aspectus enim et locutio locum non ita afficere videtur, ut ideo graviter foedatus et profanatus habeatur. Hinc, a fortiori, gravis reatus sacrilegii non habetur interiori tantum complacentia. Verum, tactus graviter impudicos in proprium corpus exercendo, *saltem probabilius,* graviter et sacrilege peccavit. Ratio est, quia cum huiusmodi actus, magis materiales, gravem contineant turpitudinem, graviter Ecclesiam foedare et profanare existimantur. *Saltem probabilius:* res enim omnino certa non est. Unde P. Gury in Casibus Conscientiae in uno loco grave negat *probabiliter* peccatum, in alio vero *probabilius* affirmat. — Elbel 575. 576., G. 146. 281.

Sed quid, si Theofridus pollutionem etiam in Ecclesia commisisset? Sacrilegium quidem locale commisisset et toties quoties eam iterasset, quantumvis secreto. Ratio, quia turpissimo hoc exteriori peccato gravis irreverentia et foeditate afficitur locus sacer. Ecclesia tamen non fuisset polluta, neque opus fuisset reconciliatione, cum non fuisset publica. I. M. V. 2. n. 641., Elbel 576., 282.

Item « quid tenendum de illis, qui se accusant, quod in Ecclesia, durantibus divinis, flatus emiserint? — R. Eximendum illis esse hunc scrupulum, ne deinceps forsan ex conscientia erronea peccent, atque dicendum, quod eiusmodi emissio, nisi fortasis ex contemptu, vel cum

scandalo audientium fieret, omni culpa vacet ». Elbel 577. Ratio est, quia necessitas quaedam naturalis est, et, ex prudenti hominum existimatione, nulla censetur inde foeditas seu turpitudo in locum sacrum. Secus vero dicendum esset, si, nulla cogente naturali necessitate, exoneraret quis ventrem in Ecclesia, mingeret, vel vomeret ; vel in ea equos stabularet ; siquidem huiusmodi actiones sacrum locum foedant.

Ad 3^um^. Si *contentio* et *rixa* Livoniae et Vibianae gravis fuit, grave commiserunt sacrilegium. Ex casu videtur revera adfuisse magnus in Ecclesia tumultus ; unde procul dubio gravis et sacrilega in Ecclesiam irreverentia irrogata est. Si vero non nisi levis fuisset contentio et rixa, non nisi levis irreverentia et sacrilegii malitia censetur. Andronicus vero *statim* accurrens, et *protinus* verberans, ab omni sacrilegio et peccato est excusandus ; quia id profecto zelo divini honoris, et sui officii, impulsus effecit ; adeoque iniuriose in Ecclesiam non egit. Ecclesia vero ea sanguinis effusione polluta non fuit ; nam omnino casualis fuit, et praeter intentionem. Nares praeterea organum sunt nimis promptum ad effundendum sanguinem, ut effusio sanguinis proprie dici possit. — Elbel 578. 579., G. 283. 284., I. M. V. 2. n. 641.

92. — DE SIMONIA MENTALI ET CONVENTIONALI

Ascanius ficte promisit, magni se daturum valoris gemmam Anselmo, si a paroeciae contentione discederet, certo sperans futurum, ut, discedente eo, paroecia obtingeret sibi, cetera non indigno. Res e sententia cecidit ; at voti compos factus negat, se velle dare gemmam, nec dat nisi diutinis Anselmi minis perterrefactus.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. « Certo certius est, reum illum (Ascanium) esse peccati iniustae deceptionis, et cooperationis ad simoniam mentalem Anselmi, quin et praesumptae simoniae, ut proinde in foro fori puniri possit per Iudicem.... Ceterum conventionem prout in casu simoniacam fuisse omnino nego contra plures cum longe pluribus primae notae doctoribus, inter quos eximius Doctor, licet Navarri adfirmantem sententiam non omni probabilitatis specie carere profiteatur, negantem, quam cum ipso nos amplectimur, veram sine haesitatione pronuntiat. — Et vero cum promissio ficta ponatur, deest intentio pretium solvendi : deest igitur etiam, et necessario deest voluntas Beneficium emendi, ut simoniae mentali locus nullus supersit ; sed, sublata mentali, corruit conventionalis, quae in mentali fundatur : et, conventionali sublata, tollitur simpliciter realis, quae consistere sine illa non potest, ergo cum promissio gemmae ficta ponatur, conventio Ascanii, nulla verae simoniae labe commaculatur. Inest quidem contractui simonia ficta ; at si ficta est, tam simonia non est, quam aurum fictum non est aurum.....

Anselmus a paroeciae contentione spe gemmae inani discedens, simoniam ipse quod ad affectum, seu mentalem, per interni animi gravitatem commisit, quod ad *effectum* tamen nullam, nisi fictam, et mere prorsus adparentem. Tam enim ad verum matrimonium requiritur coniugis utriusque voluntas, quam ad veram emptionem et venditionem re-

quiritur voluntas emptoris, aeque ac venditoris. Si alteruter coniux nolit nubere, matrimonium est simpliciter nullum; ergo sive venditor nolit vendere, sive emptor nolit emere, nulla est emptio, venditio, et quod consequitur nulla est in casu simonia, quae in studiosa voluntate emendi vel vendendi consistit.....

Quid autem post gemmam traditam?.... Ego id unum in praesenti considero, Ascanium non nisi sero et diutinis Anselmi perterrefactum minis gemmam ficte promissam exsolvisse, ut proinde exsolvisse videatur non in pretium paroeciae, sed ad iniustam vexationem redimendam. Iniusta enim vexatio haec dicitur, qua quis intendit alterum iure iam absolute quaesito, certoque privare, et quidem per media iniusta, qualia sunt minae propalandi, v. g., delictum; quod occultum supponimus, non sine magno delinquentis dedecore cum ingenti eiusdem damno coniuncto; id intendit Anselmus; ergo iniustam vexationem per minas inferebat Ascanio, paroeciam per ius quaesitum, quod valorem spectat, possidenti, ut paroeciae iure privaret: atqui sententia communis cum Angelico 2. 2. q. 100. 2. ad 5. docet simoniacum non esse, si quis pecunia redimat vexationem iniuste sibi factam in iure iam quaesito, textu expresso in Cap. *Dilectus* 1. *de simonia;* ergo post traditam etiam gemmam Ascanius potest in foro Poli paroeciam retinere ». Ithur. Cas. 36.

93. — DE SIMONIA REALI

Cleonicus, sacerdos, cuidam Comiti, iure patronatus ad beneficium gaudenti, pluribus annis officia praestitit, hanc habens in corde suo *spem,* ut a Comite ad beneficium aliquando obtinendum praesentaretur. Hinc, vacante beneficio, *sua merita* ipsemet *exponit* Comiti, cui gratum animum promittit; et amicum rogat, ut *ea exponeret* Ordinario. Comitissae autem, quam auri valde cupidam esse bene sciebat, *sexcentas dat libellas,* ut pro ipso apud Comitem intercedat. Quod Comitissa reapse praestat, et Cleonicus beneficium obtinet.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. 1°. Cleonicus nullam commisit simoniam ex eo quod praecise *sub spe beneficii obtinendi* Comiti servierit. Ratio est, quia in hac spe nullum habetur pactum dandi temporale pro spirituale, et obtinendi spirituale pro temporali. Haec spes nullum item dat Cleonico ius, nullam imponit Comiti obligationem. Neque vero simoniae arguendus est, quod sua *ipse allegaverit merita,* et amicum rogaverit ut *ea* Episcopo *referret.* Ad beneficia enim digni sunt promovendi, adeoque necesse omnino est, ut Candidatorum variae dotes et merita cognoscantur. Et sic, ut habet communis et recepta praxis, praesertim in concursibus, Candidati ipsi solent exponere varia, quae obierint, officia, studia olim facta, gradus academicos quos obtinuerunt, et alia huiusmodi. Quin immo simonia non est, licet sit periculosum, « si des alicui pecuniam, ut tua merita simpliciter episcopo proponat, quia ad simoniam requiritur, ut obtentio rei spiritualis, sit immediatus finis praestationis pecuniae, non autem sufficit, quod sit quid consequens ex alio immediato nullam habens connexionem cum illo ». Lig. l. 3. n. 64. Simoniae pariter insimulandus, *per*

se, non est Cleonicus, ex eo quod se gratum fore promiserit. Quia haec animi grati promissio nullum etiam, per se loquendo, continet pactum, neque ullam continet intentionem dandi temporale pro spirituali ; sed solum gratitudinem habendi, quae de iure naturae cuivis benefactori debita est.

2°. Simoniae reus est Cleonicus, pecuniam Comitissae dando pro intercessione; eiusdem criminis rea est Comitissa, pecuniam acceptando. Etenim ea pecunia non datur *mere* pro favore et intercessione, quae quid temporale in se est, *quin* nempe *intendatur* per eandem pecuniae oblationem beneficium; sed datur quidem pro favore et intercessione, intendendo simul et principaliter per eam pecuniae oblationem beneficium obtinere. Quod vel inde haud obscure colligere fas est, quia pro solo favore vel pro sola intercessione nunquam omnino daret tantam summam. Et certe, si Cleonicus Comiti obtulisset sexcentas libellas, simulque rogando postulasset, illud beneficium sibi conferri, simoniam incurrisset, CC. 18. 34. *de Simonia ;* idque propterea, quia prudenter praesumeretur, per oblationem hanc, velut motivum quoddam, principaliter intendisse beneficium. Ergo idipsum dicendum videtur, si oblato auri pondere supplicavit pro se per Comitissam. Neque dubitandum, quin et ipsa Comitissa, vel auri cupida, summam hanc magis intuitu beneficii quam intercessionis suae intenderit. Insuper, licet talis mediatio *formaliter* sit quid temporale, et extrinsecum rei spirituali, per se tamen et proxime « parat viam ad rem spiritualem obtinendam », S. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5., adeoque propter hanc connexionem et ordinem, quem habet ad beneficii collationem, est quaedam *virtualis* beneficii collatio; unde vera habetur temporalis et spiritualis comparatio. Lig. l. 3. n. 64. — Elbel 605.-608., G. 285.-287., I. M. 508. 511.

94. — FUNCTIONES SACRAE PROPTER STIPENDIUM

Anselmus, beneficiatus, die quadam constituit non ire ad chorum partim propter pigritiam, partim propter tempus valde pluviosum. Sed cum recordaretur ea die extraordinarias et pingues distributiones faciendas esse inter praesentes, occasione alicuius funeris, impiger omnino ad ecclesiam protinus convolat. Rem deinde animo suo recogitans timet, ne reus evaserit simoniae?

Quaer. *Utrum ille, qui vadat ad ecclesiam propter distributiones, alias non iturus, peccet ratione simoniae?*

R. Simonia habetur, si res spiritualis pretio temporali vendatur. Celebrare divinum officium in ecclesia actus quidem spiritualis est, competens clerico ex hoc ipso quod est clericus. Et ideo simoniam committit, qui hunc actum vendere intendit. In qualibet autem *venditione* pretium *ipsius finis* est. « Et ideo in praedicto casu distinguendum est. Si enim huiusmodi distributiones recipit, quasi *finem sui operis,* principaliter intentum, simoniam committit, et ita mortaliter peccat. Si autem habet *principalem finem,* Deum in tali actu, ad huiusmodi autem distributiones respicit *secundario,* non quasi *in finem,* sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem; constat, quod non *vendit*

actum spiritualem, et ita simoniam non committit, nec peccat. Sic enim acceptio distributionum non erit causa quare ad ecclesiam vadat, sed proprie huiusmodi determinatio quare nunc vadat, et non alia vice ». S. Th. Quodl. 8. a. 11., I. M. 512.

95. — DE SIMONIA CONFIDENTIALI

Gerontius, parochus, aetate iam grandaevus, statuit beneficium suum resignare nepoti suo Quirino; sed cum onere, ut Quirinus ex fructibus beneficii annuatim solveret certam pensionem suae nepti pauperi, Sophiae, durante huius vita. Onus acceptat Quirinus; et Gerontius assensum impetrat, et obtinet, episcopi, ut ipse possit beneficium resignare, eum simul humillime supplicans, ut Quirino velit parochiam conferre; quod episcopus praestat, pacti ignarus inter Gerontium et Quirinum.

Quaer. 1°. *Quid sit simonia confidentialis?* — 2°. *An simoniam confidentialem Gerontius et Quirinus commiserint?* — 3°. *An etiam episcopus reus fuerit simoniae?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 509. — Ad 2^{um}. Affirmative. Etenim id constat ex ipsa definitione simoniae confidentialis, « quae committitur circa beneficia ecclesiastica, dum scilicet unus beneficium ecclesiasticum alteri procurat, sive eligendo, sive praesentando, etc. aut resignando, sed ex confidentia, id est pacto vel expresso vel saltem tacito, ut alter vicissim illum *beneficium* procuratori aut tertio cuipiam resignet, vel certam *pensionem ex eodem beneficio* resignet ». Elbel 592. Hinc praedicta resignatio, utpote simoniaca, fuit prorsus nulla et invalida, et nulla consequenter fuit collatio ab episcopo facta. Insuper inhabilitas habetur ad idem beneficium, et excommunicatio Summo Pontifici simpliciter reservata. — I. M. 521., Elbel 647.-649., G. 291. 292.

Ad 3^{um}. Eatenus episcopus reus esse posset simoniae, quatenus *ad preces* Gerontii beneficium contulerit Quirino. Etenim « *munus a lingua* dicitur vel ipsa laus, pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit; vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus vel contrarium evitatur; et ideo, si aliquis *ad hoc principaliter intendit*, simoniam committit ». S. Th. 2. 2. q. 100. a. 5. ad 3. Si ergo episcopus dedisset beneficium *pro* precibus, obsequio, adulatione, favore sibi comparando, simoniam quidem commisisset; aequiparasset enim spirituale temporali. Sed simoniaca haec intentio ex casu non apparet. Si vero beneficium dedit, ut communiter datur a timoratis omnibus, intuitu quidem huiuscemodi intercessionis, h. e. a precibus illis tantummodo impulsus, adeoque sine pacto, sine onere, sine mente *rem* cum *re* comparandi, et rem *pro* re rependendi, nulla tunc fuit simonia. Ad simoniam enim non sufficit dare spirituale *ob* vel *propter* rem temporalem, consanguinitatem, amicitiam, preces, obsequia; sed opus est, ut detur *pro* re temporali, tanquam *pro* pretio, id est *in compensationem illius,* velut ex iustitiae obligatione. I. M. 512., Elbel 612., Laymann l. 4. Tr. 10. C. 8. § 3. n. 26. — Scav. Ed. 12^{a}. Mediol. 1874. l. 2. n. 274. 276.

96. — DE SIMONIACAE COLLATIONIS NULLITATE

Celinus, occulte data pecunia, pingue beneficium procuravit filio suo. Pluribus transactis annis, remorsu percitus conscientiae, rem confessario pandit, qui iubet Celino, ut rem filio suo revelet eique persuadeat, ut beneficio renuntiet, et perceptos fructus restituat, cum nulla fuerit collatio.

Quaer. *An Simonia inculpabiliter intercedente in re beneficiaria, nulla sit beneficii collatio?*

R. 1°. Si omnes immunes sint a culpa, tam dantes nempe, et promittentes, quam accipientes et acceptantes, aliique omnes qui in ea beneficii collatione cooperantur, valida est beneficii collatio. Ratio est, quia sicut excommunicatio et aliae poenae, sic etiam nullitas collationis simoniacae videtur poena non ex defectu solemnitatis, aut formae requisitae, sed in odium delicti, ut constat ex Extravaganti *Cum detestabile de Simonia*. Atqui, cessante causa, cessat effectus; et consequenter, cessante culpa, quae est causa illius irritationis, cessat ipsa irritatio. Ergo. Ita Lugo Resp. Mor. l. 6. D. 4. n. 8–10.

2°. Quando accipiens beneficium propter ignorantiam excusatur a culpa et a peccato simoniae, collator tamen vel alter tertius, rem bene animadvertens peccatum simoniae committit, nulla est beneficii collatio. Ratio est, quia Ecclesia tanto odio simoniae crimen prosequitur, ut, a quocumque commissum sit, impunitum non relinquat; licet ad punitionem alterius ipse accipiens innocens *per accidens* patiatur. Ita Lugo l. c. n. 11.–13., Suarez apud eundem Lugonem, aliique doctores communiter. Excipitur tamen 1°. casus, si alter in fraudem id egerit, nempe ut electum seu praesentatum ad beneficium reddat inhabilem. Schmalzgr. l. 5. T. 3. n. 266. 2°. Si accipiens beneficium per triennium cum eadem bona fide in pacifica possessione beneficii perstiterit: defenditur enim Regula Cancellariae 36ª. de triennali possessione, adeoque, triennio illo elapso, neque fructus neque ipsum beneficium restituere tenetur. Schmalzgr. ibid. n. 267., Castropal. apud Lugonem l. c. n. 8. aliique, Lig. l. 3. n. 507.

3°. Si Celini filius beneficium a triennio non possidet, illud consequenter dimittere debet. Fructus quidem extantes restituere etiam debet, minime vero reliquos, quos, durante bona fide, consumpsit, aut tanquam stipendium laboris recepit. Si vero a triennio possidet beneficium, illud retinere potest. — Elbel 640.–642., G. 288.–290., I. M. 521. seqq.

DE SECUNDO DECALOGI PRAECEPTO

97. — DE VANA NOMINIS DEI USURPATIONE

Caprasius, pastor, saepe iram suam significat, *contra capras*, ad montem fugientes, exclamando, Nomen, Magnum Nomen, Mille Nomina, Nomina Nominum. Aliquando vero etiam, exclamando, iratus ait: Benedictum Nomen, Sacrum Nomen. Itemque aliquando exclamat, Nomen Dei, Nomen Iesu, Nomen Mariae, Nomen Sanctorum omnium.

Quaer. 1°. *Quid vana Nominis Dei usurpatio, et quale peccatum?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 527. seqq. — Ad 2^{um}. Caprasius exclamando: *Nomen, Magnum Nomen,* etc. peccato vacat blasphemiae. Nam hae locutiones non sunt locutiones maledictionis in Deum, neque ex se, neque ex circumstantiis Casus. Non *ex se*, quia in aliquibus nomen Dei non intervenit; in aliis vero, in quibus intervenit, nullum verbum iniuriosum habetur. Non *ex circumstantiis,* quia Caprasius neque in Deum, neque in Sanctos irascitur, sed tantum in capras fugientes. — G. 293., I. M. 533.

98. — DE BLASPHEMIA SINE INTENTIONE

Hypparchus sese accusat in sacramentali confessione, quod saepe soleat blasphemare, veras proferens blasphemias. Ad se autem excusandum addit, id ipsum minime facere ex intentione Deo improperandi, sed equos tantum stimulandi, vel uxorem aut filios aliquando obiurgandi.

Quaer. 1°. *Quid sit blasphemia?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 531. seqq. — Ad 2^{um}. Hypparchus reus blasphemiae est. Neque vero excusatur, ex eo quod non *intenderit* improperare Deo. Nam eo ipso quod quis advertens blasphematoria pronuntiat verba si non *directe* et *explicite,* saltem *indirecte* et *implicite* Deo vult improperare. « Fatendum est tamen in praxi saepe a mortali peccato excusari *bonam* qui verbis blasphemis utuntur, sive *ob inadvertentiam,* sive *ob* illos, *fidem,* etc. ». G. 295. — I. M. 535. 536. 538.

99. — DE BLASPHEMIA EX IRA

Aman, debitor, post multas et inutiles promissiones, iam antea factas, se soluturum quam primum debitam pecuniam, iterum promittebat creditori suo Ioanni, et propriam invocabat honesti et nobilis viri fidem. Ioannes, *ira permotus,* ob saepe promissum debitum solvendum, et nunquam hactenus solutum, fidei Aman maledicere coepit, inquiens: *maledicta fides tua,* quae semper fallitur et fallit, *accidens arripiat te* et *fidem tuam, daemon ipse arripiat te cum tua fide.* Verum *paulo post cogitans* Ioannes, quae dixerat, ad confessarium statim accedit, suum accusans peccatum. At confessarius post auditam confessionem Ioanni dicit, non possum, fili mi, te absolvere, vel saltem non possum te statim absolvere: nam Angelicus Doctor 2. 2. q. 13. a. 3. inquit: « blasphemia est maximum peccatum ». Vade ergo in pace, et revertere post mensem.

Quaer. 1°. *Quid de blasphemia ex ira practice tenendum?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1um. « Hic advertendum, quod aliqui huiusmodi blasphemantes dicunt, se non animadvertisse ad malitiam blasphemiae. Aiuntque quidam dd., quod isti aliquando, *ob impetum irae vel habitus contracti,* possunt sine advertentia blasphemare. Sed puto.... semper adesse in blasphemando aliquam advertentiam saltem confusam de malitia illius prolationis; ira enim, aut habitus ordinarie non ita intellectum obtenebrat, ut penitus ad malitiam blasphemiae non advertatur, licet ipsa reflexe non cognoscatur ». Lig. l. 3. n. 127., I. M. 53. 57. Cf. I. M. 533. 536.

Ad 2um. Erravit quidem primo confessarius diiudicans praedictas locutiones continere blasphemias. Etenim, ut evidens est, nullum in illis continetur verbum Deo iniuriosum. Praedictae locutiones non continent, nisi *maledictionem,* et *contumeliam* sive *opprobrium,* ac *imprecationem.* Cum autem Ioannes fuerit ira permotus, et statim cogitans quae dixerat ad confessarium accesserit; et Aman, saepe fidem fregerit, neque illa *maledictio* fidei fallacis gravem continet reatum, neque illa *contumelia* sive *opprobrium* gravem continet laesionem honoris, neque illa *imprecatio* serio et malevolo animo fuit prolata. Quapropter Ioannes excusandus videtur non tantum a reatu blasphemiae, verum etiam a reatu gravis peccati. Ac, cum Ioannes debitis aliunde non careat dispositionibus, cum, timens peccatum commissum, statim currat ad illud expiandum in sacramento poenitentiae, male quidem confessasius agit illi denegans vel differens absolutionem. Et quamvis Aman reus fuisset blasphemiae, et blasphemia sit maximum peccatum, *secundum suum genus,* non ideo tamen sequitur, quod absolutio sit deneganda vel differenda. — I. M. 342. 541. 542. 1514.–1516.

100. — DE IURAMENTO EX CONSUETUDINE ET IRA

Rusticus, vir rudis, *saepe ex ira* iurat dicendo: *Per animam meam; puniat me Deus.* Tempore paschali confiitetur, et confessarius vehementer eum reprehendit, inquiens nonne, scis hoc esse grave periu-

rium et grave peccatum ? Rusticus perterrefactus, ea confessionis die, abstinet quidem ab illo periurio, deinde vero pergit iurando, ut ante faciebat.

Quaer. 1°. *Quid de consuetudine iurandi?* — 2°. *Quid de iuramento in ira prolato?* — 3°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1um. Consuetudo iurandi *per se* laedere tantum videtur *iudicium* in iuramento requisitum, adeoque *regulariter* et *per se* leve peccatum dicenda est, quatenus nempe voluntaria sit. Verum *ratione periculi,* quod continet peierandi, gravi non caret peccato, Perrone § 253. Hinc in Eccli. 23., 9. dicitur: *Iurationi ne assuescat os tuum, multi enim casus in illa.*

Ad 2um. Iuramentum in ira prolatum saepe gravi vacat culpa. Ita Busemb. et S. Alph. l. 3. n. 146.: « Ex ira proferentes verba, videlicet, *Per Deum, per Christum, te occidam,* communiter non peccant graviter, quia ex ignorantia, aut indeliberatione ut plurimum excusantur ».

Ad 3um. Propositus casus facile resolvi potest ipsis verbis S. Alph. l. 3. n. 150. « Excusari subinde quidam simplices a mortali periurio videntur posse, ratione inconsiderationis, cum usurpant quasdam formulas iuratorias, ut *per animam meam; puniat me Deus.* Etsi enim sciant id vocari iuramentum, non tamen apprehendunt, quod iurare, et invocare Deum in testem sit aliquid grave ; sed tantum apprehendunt confusam aliquam rationem mali non tanti momenti. Immo notandum, quod communiter rustici non apprehendunt gravitatem periurii ; dum, se confitentes de iuramentis, parum vel minime distinguunt iuramenta vera a falsis; et hoc ex praxi in Missionibus iamdudum intellexi. Quare pro iis, qui consuetudinem totaliter ad peierandum habent, confessarios potius censeo abstinendos esse ab instruendis his talibus de peccato gravi, quod revera est in periurio, ne peccata materialia in iis ob malum habitum, quem habent, formalia evadant; ex regula generali.... Bene tamen tales consuetudinarii sunt fortiter monendi, ut deinceps desinant falsum iurare. Ceterum non semper expedit monere huiusmodi rudem poenitentem de gravitate periurii, si monitio praevideatur non de facili profutura ». — G. 296., I. M. 549. 551.

101. — DE IURAMENTO NON LUDENDI

Candidus sacerdos, cum, operam dans chartarum ludo, illum die quadam inadvertenter protraxerit ultra mediam noctem, et consequenter omiserit ea die recitare vesperas et completorium, id sequenti die animadvertens iuramentum emisit *non amplius ludendi, ne iterum simili periculo exponeretur.* Verum admodum difficile est Candido suum iuramentum servare; siquidem duo eius fratres, et duo alii sacerdotes amici, qui sub noctem simul conveniunt, solent simul chartis ludere, recreationis causa, modica pecuniae quantitate exposita. Ac cum Candidus amplius non appareat, et in proprio separato cubiculo remaneat solus, praetexens debere se parare quadragesimales conciones ; tum eius fratres, tum amici sacerdotes valde eum urgent, ut velit saltem aliquando, vel breviori tem-

pore, sua praesentia, fratrum et amicorum conversationem hilariorem reddere, et ludo uti antea interesse, quod ut libentius faciat eius fratres ipsi proponunt, se pro ipso soluturos modicam illam pecuniae quantitatem, si victus ipse sit in ludo, et ipsi donaturos omnem pecuniam, quam in ludo victores obtineant.

Quaer. 1°. *Quid de iuramento non ludendi?* — 2°. *Quid de iuramento Candidi?*

R. Ad 1^um^. « Si iuramentum sit factum non ludendi in genere, conveniunt omnes non obligare ad abstinendum a lusu honesto et moderato ». Intelligitur enim factum tale iuramentum, ne quis notabile tempus terat, gravem pecuniae summam in ludo exponat, bona dilapidet, etc.; nisi aliud ex particularibus circumstantiis iudicandum sit, e. g., « si iurans maius bonum expresse intenderit in abstinendo se a ludo, puta ut Deo vacet, se mortificet, etc. ». Tunc enim tenetur se abstinere etiam a ludo licito et modicae quantitatis. « In hoc autem ludo bene potest dari materiae parvitas, quae metienda est iuxta finem intentum a iurante. Potest etiam talis iurans dare pecuniam alteri ad ludendum, et ipsum observare, et etiam adiuvare; quia hoc proprie non est ludere ». Lig. 178., I. M. 562.

Ad 2^um^. Si Candidus rogatus a fratribus et amicis ludo mere assistit, quin ludat, iuramentum *non ludendi* non frangit. Si Candidus horas canonicas mane et vespere omnes recitet, quin imo, si vespere anticipet etiam matutinum et laudes diei sequentis, neque, sero cum amicis et fratribus, urbanitatis gratia, ludendo, iuramentum violat. Etenim in huiusmodi casibus ad peccatum et grave peccatum definiendum, attendendum est tum ad materiae quantitatem, tum maxime ad finem, quem quis iurando sibi proposuit. — I. M. 562. 566., G. 298.

102. — IURAMENTUM REDEUNDI IN CARCEREM

Thomas dux exercitus, in bello omnino iniusto ex opposita parte, ab hostibus captus et in carcerem coniectus, legatus deinde mittitur ad suos, ut pacem concludendam pertractet, cum iuramento tamen, ut, quicumque sit negotiationis exitus, ad hostium civitatem et carcerem revertatur.

Quaer. *An Thomas reverti teneatur?*

R. « Qui promittit cum iuramento redire ad carcerem iuxta alios non tenetur redire cum probabili periculo gravissimi damni iniusti; nam esset se illi sponte offerri. Sed multo probabilius potest, quia, posita promissione, redire est actus virtutis ». Scav. Ed. 12^a^. Mediol. 1874. l. 2. n. 229.

103. — IURAMENTUM SECRETI SERVANDI

Ambrosius famulus, cognita filiifamilias fornicatione, illi iurat quod eam nulli manifestabit.

Quaer. *An tenet tale iuramentum?*

R. « Tenet iuramentum; nisi silentium det occasionem alterius fornicationis, vel nisi adsit necessitas correctionis, vel iusta interveniat Superioris interrogatio ». Scav. Ed 12ª. Mediol. 1874. l. 4. n. 229.

104. — DE VARIIS IURAMENTI FORMULIS

Minantius saepe iurat, elatiori voce dicendo: *Iuro per istam Crucem,* et manu ostendendo quodcumque obiectum ipsi primo occurrat. Quin imo saepe iurat inquiens: *Per Deum, per Christum te occidam, tibi amputabo caput:* Alias etiam iurat dicens: *Tot Angeli tollant animam meam, quot vicibus hoc feci: Ita faveat mihi Deus, sicut ego....*

Quaer. *Quid de huiusmodi formulis sentiendum.*

R. Non est verum iuramentum, « regulariter loquendo dicere: *Tot Angeli tollant animam meam, quot vicibus hoc feci....* Neque est iuramentum dicere: *Iuro per istam Crucem,* Cruce tamen non demonstrata, vel signata ». Lig. 143. Iuramentum vero est comminatorium, per se loquendo, dicere: *Per Deum, per Christum, te occidam, tibi amputabo caput,* et grave peccatum est: Deus enim expresse ibi nominatur, eiusque invocatio adiicitur ad confirmandam gravem et iniustam comminationem. Lig. 143. 146., I. M. 554.

105. — DE IURAMENTO IN IUDICIO

1°. Sisinus in tribunali iuramento affirmavit centum aureos, quos Caius Sempronio debebat, fuisse huic ab illo iam restitutos. Id tamen Sisinus non nisi ex assertione noverat ipsius Caii, amici sui, de cuius veracitate firmiter persuasus, nullam falsitatis suspicionem poterat habere.

2°. Idem Sisinus in tribunali falsum iuramento affirmavit. Iuravit autem secundum formam invectam in tribunalia propter eos, qui sanctum Dei nomen invocare recusant, nimirum: *Giuro di dire tutta la verità, e niente altro che la verità.*

Quaer. *An Sisinus periurus fuerit in utroque casu?*

R. Affirmative, in primo casu. Ratio est, quia ad iuramentum in iudicio requiritur scientia rei, quam non habet ille, qui rem audit ab aliis ipsi relatam, et a fortiori relatam ab ipsomet habente in ea causa interesse. Ad rem S. Alph. l. 3. n. 148. « Dicunt, posse quidem affirmari cum iuramento, quod auditum est a persona ita fide digna, ut moraliter certos nos faciat. Hoc tamen non currit in iudicio ». — I. M. 556.

Affirmative etiam in secundo casu. Ratio est, quia illa formula verum continet iuramentum. « Dicere, ait S. Alph. l. 3. n. 136., *Iuro ita esse,* non est vere iuramentum, quia tunc nec explicite, nec implicite divinum testimonium imploratur..... Nisi praecesserit interrogatio de iu-

reiurando, quia tunc per interrogationem praecedentem illud *iuro* satis determinatur ad verum iuramentum ». Porro formula illa ex ipsa interrogatione et monitione iudicis ad verum iuramentum determinatur. Etenim in Cod. Ital. Proc. Poen. postquam art. 297. ea forma est constituta, in art. 299. dicitur: « Il giuramento sarà prestato dai testimoni o periti, stando in piedi, alla presenza dei giudici, previa seria ammonizione, che ad essi dal presidente o dal pretore sarà fatta *sull' importanza morale di un tal atto, sul vincolo religioso, che i credenti con esso contraggono, dinanzi a Dio,* e sulle pene stabilite contro i colpevoli di falsa testimonianza o perizia », etc. — I. M. 550. 551.

106. — DE IURAMENTO CUM RESTRICTIONE MENTALI

Cum navis ad Massiliae portum ex Insulis Canariensibus pervenisset, rector navis a duce portus interrogatus est, utrum ad illas insulas appulisset, quas falso omnino publicis ephemeridibus asserebatur peste esse infectas. Rector navis respondit statim negative, cum illae insulae revera nullo morbo contagioso inficerentur.

Quaer. 1°. *An in iuramento liceat uti restrictione mentali?* — 2°. *Quinam regulariter uti possunt restrictione mentali?* — 3°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. n. 557. — Ad 2^{um}. « Regulariter possunt uti restrictione, late mentali, personae publicae, interrogatae de rebus suae fidei commissis, ut secretarii, parochi, duces, magistratus, advocati, medici, obstetrices, etc. Si enim eiusmodi personis commissa violarentur, gravissima certo sequerentur incommoda. Ceterum, non diffitemur, ardua est praesens quaestio, in qua possumus decipi, tum in assignanda legitima causa, tum in usurpandis legitimis loquendi formulis; de facili enim restrictio late mentalis esse potest pure mentalis. Quare caute procedendum, ne humanae societati noceamus, ne confusionem inducamus, ne christianae simplicitati derogemus ». Scav. Ed. 12^{a}. Mediol. 1874. l. 2. n. 231.

Ad 3^{um}. « Qui venit de loco, qui falso putatur morbo infectus, potest negare, se illinc venire, scilicet, *ut pestilentia infectus,* qualis est et esse debet interrogantium animus ». Scav. l. c.

Et sic etiam « qui fuit coactus ad matrimonium, potest asserere non contraxisse, nempe *libere*. Qui non tenetur ad gabellas potest dicere *se nihil ferre,* ut solvere teneatur ». Scav. ib.

« Invitatus ad mensam, et rogatus, an cibus sit bonus, potest affirmare esse talem, licet revera sit insipidus, intelligens, *ad mortificationem et poenitentiam*: et aliunde omnes sciunt, quod ex urbanitate, eo in casu, sic responderi soleat, quomodolibet sit confectus cibus ». Scav. l. c.

107. — DE VOTO SUB IMPERFECTIONE

Benedictus, pravum habens habitum male de omnibus loquendi, ut efficaciter corrigatur, votum emittit bene loquendi de omnibus, quantum id ex prudentia et ex recte ordinata caritate fieri possit. Timens tamen, ne votum transgrediatur et peccet, eo voto non sese obligat sub peccato, sed tantum sub imperfectione.

Quaer. 1°. *An valeat huiusmodi votum?* — 2°. *An aliquem saltem habeat effectum?*

R. Ad 1um. Praedictum votum nullo pacto valet. Nam votum est essentialiter promissio Deo facta. Promissio autem essentialiter continet obligationem ex fidelitate. Votum ergo, sine ulla obligatione, est votum sine promissione; est nempe votum sine voto, seu non est votum. Huiusmodi ergo votum nihil aliud esse potest, nisi merum propositum non loquendi male de aliis, sed bene, secundum tamen prudentiam et debitam caritatem. I. M. 570. 572. 573., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 1.

Ad 2um. Moralis imperfectio, prout a peccato mortali et veniali distinguitur, nihil aliud est nisi *privatio* seu mera *negatio actus perfectioris,* qui, ad melius *deberet* poni, seu *posset* tantum poni. Porro praedictum propositum non habet hunc effectum, ut ipsum reddat actum perfectiorem; nam hoc actus habet ab obiecto et a circumstantiis. Et sic, si bene loqui de proximo in his vel illis circumstantiis, actus perfectior est: id quidem non exoritur ex facto proposito, uti gravis vel levis obligatio exoritur ex ipso voto; sed quia actus ille bene loquendi de aliis, in se ipso perfectior est ratione obiecti et circumstantiarum, circa quae versatur. Unde eligendo non loqui etiam independenter a facto proposito minus perfectum esset. Verum praefatum propositum hunc tantum habet et sibi proprium effectum, quod non eligendo aliquando bene loqui de aliis, cum id secundum prudentiam et caritatem facere possit notam incurrat quis inconstantiae et instabilitatis, quae in genere moris non levis imperfectio ad minus est. Unde est, quod, quamvis quis non proponat sub imperfectione, seu sub imperfectionis poena, nihil de ea cogitans, adhuc tamen notam illam imperfectionis, et inconstantiae ac instabilitatis incurrat. Ac, si quis firmiter proponat, et propositum iteret, ei deficiens non solum incurrit imperfectionem communem ex carentia actus perfectioris, sed specialem adhuc incurrit imperfectionem ex carentia constantiae et stabilitatis in proposito, firmiter antea stabilito, et saepius coram Deo confirmato, unde vi huiusmodi propositi perfectior actus non tantum *poterat,* verum etiam fieri *debebat,* eiusque carentia non mera *carentia* et *negatio* sed *privatio* est, relate nempe ad factum propositum. — Lugo Resp. Mor l. c. D. 8., I. M. 572. 573.

108. — DE DUPLICI VOTO INCOMPOSSIBILI

Bibiana, femina valde religiosa, vovit, se die Dominica, vespere, post Ecclesiae visitationem, secundum eius pium morem, et post recitatum ibidem rosarium, piae lectioni per dimidiam horam, et orationi mentali deinde per horam vacaturam. Sed huius voti immemor, occasione primae puellarum paupercularum communionis, vovet, se eas iisdem illis horis Fidei Christianae rudimenta edocturam.

Quaer. *Quodnam votum ex illis insociabilibus fuerit servandum?*

R. P. Gury. 313. « votum prius, ait, servandum est. Votum enim illud tempus determinatum afficiens, ligat voventis voluntatem, et impedit, ne aliam obligationem huic eidem tempori affixam suscipere possit.

Ergo secundum votum eo ipso est irritum, quum iam voluntatem diversimode obligatam respiciat. Fit enim de re non amplius libera, et proinde de re impossibili ». — Verum Scavini, Ed. 12ª Mediol. 1874. l. 2. n. 220., inquit: « Servare debet quod dignius est, etsi posterius factum. *Censetur* enim votum *commutatum* in melius.... Si sint ferme aequalia, vel si dubitetur, prius posteriori voto praeferat; illud enim possidet ». Sed illa praesumptio commutationis commutatio reapse non est. Praesumptio autem cedit veritati. Quare, quando memoria incidet prioris voti, poterit utique quis illud in melius commutare: sed, si tunc reapse nolit, manet prius votum, cum nulla eius adfuerit commutatio, et illa, in casu, praecedens voluntas praedominans et praevalens erat; Ceterum Cf. I. M. 627. Ac ipse Scav. n. 228. ib. quaestionem movet de iuramento: « An obliget iuramentum factum contra primum iuramentum? » et respondet: « Si secundum iuramentum opponatur priori in materia iam iurata, non tenet, ut si iurasti matrimonium Caiae, et postea illud iures Titiae; quia esset *de illicito* ».

109. — DE VOTO CONDITIONATO

Ludentius, ludo addictus, et solitus contra castitatem peccare, vovet, se nunquam per totam vitam operam daturum ludo, si integro anno abstineat ab omni impuritatis peccato. Res optime succedit per maiorem anni partem. Verum sub anni finem, votum factum aegre ferens, ut ab ipso liberetur, ex industria contra castitatem peccat.

Quaer. *An Ludentius votum violaverit, et voto adhuc teneatur?*

R. Negative ad utrumque. Etenim primo peccando contra castitatem votum proprie non violavit; votum enim non erat de castitate servanda. Attamen graviter peccavit peccato sicrilegii, seu contra religionem, ex industria et dolo impediendo, ne voto deinde teneatur; siquidem ex eadem virtute religionis tenebatur nihil directe facere ad votum impediendum. Quamvis vero ex industria et dolo violata fuerit castitas, reapse tamen conditio impleta non est. Non impleta conditione, conditionatum non subsistit. Praeterea, cum conditio generatim fuerit apposita, *si integro anno abstineat ab omni impuritatis peccato,* hoc ipsum verificandum erat, quod neque etiam ex industria et dolo contra castitatem peccaret, ut a voto liberaretur, quum evidenter Ludentius maxime hoc implicite intendere debebat in suo voto, ne votum quod ipse adhibere volebat, tanquam medium ad non peccandum, fieret ipsi occasio peccati, quamvis ex eius malitia. — Suarez de Voto l. 4. C. 17. n. 11. 14., Laymann. L. 4. T. 4. C. 6. n. 4., S. Alph. l. 2. n. 218., G. 320. Scav. Ed. 12ª Mediol. 1874. l. 2. n. 218.

110. — DE VOTO DISIUNCTIVO

Aurelius, gravi correptus infirmitate, votum emisit in honorem B. Mariae Virginis, ut si ad sanitatem restitueretur per totam suam vitam singulis sabbatis vel ieiunaret vel eleemosynam daret alicui pauperi. Ab infirmitate plene convalescens singulis sabbatis ieiunare incepit, id-

que fideliter per tres annos praestitit. Quibus transactis, tali capitis dolore, et stomachi debilitate affectus est, ut ieiunare amplius non potuerit. Hinc anxius quaesivit a suo confessario, an teneretur saltem singulis sabbatis eleemosynam dare, cum amplius ieiunare non posset.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Si votum *disiunctivum* fuerit praestandi unum de duobus, votum nullum est, si quis disiunctive voveat rem bonam vel malam, aut vanam aut impossibilem. Si vero utraque pars est materia apta ut in casu, votum erit validum: et electio fit a voluntate, quae eam sibi reservavit. Quae vero pars eligitur praestanda erit, etiamsi *post electionem* altera pars pereat seu impossibilis evadat; nam votum iam determinatum est per electionem. E converso, si pereat una pars aut impossibilis reddatur *ante electionem* non teneris ad alteram, nisi tua culpa res pereat, aut fueris in mora culpabili, tunc enim ex modo te habendi tacite censeris voluisse determinare tuam obligationem ad illam partem. Quare a fortiori, si res ipsa electa pereat vel impossibilis fiat post eius electionem, independenter omnino a voluntate, ut in casu, ad alteram quis non tenetur. Lig. 224.

111. — DE VOTO RESERVATO

Trepidantius, dubitans de voto perfectae castitatis emisso, petit et obtinet ab episcopo dispensationem. Rem deinde melius perpendens certus omnino evadit de voto facto.

Quaer. *An iterum dispensationem a Summo Pontifice petere debeat?*

R. Negative. Ratio; nam votum castitatis dubium non est reservatum. Ergo potuit ab illo dispensare episcopus, qui legitime usus est potestate, quam habebat dispensandi in votis dubiis. « Quod mihi, inquit Lugo, verissimum videtur: quia alioquin dispensatio fuisset vana: non enim dispensatur sub conditione, si non fuit votum: sed potius sub conditione, si fuit vere votum: nam si non fuit votum non est dispensabile. Ergo, si episcopus potest tunc dispensare, potest tollere obligationem, casu quo fuerit ». De Poenit. D. 20. S. 2. n. 22. Cf. etiam Sanchez, qui eandem tenet doctrinam, In Decal. l. 4. C. 44. n. 3. 11., I. M. 620.

112. — DE VOTI INTERPRETATIONE

Chrysophilax, ludo addictus, magno negotiorum suorum detrimento et ingenti pecuniae iactura, ut his malis occurrat votum emittit per annum integrum non ludendi. At, eo decurrente, non semel pecuniam amico dat, qua, pro ipso assidente et congaudente, ludat. Interdum quoque alieno, bis vero suo nomine per horam circiter ludit, sed paucis tantum obolis expositis.

Quaer. *An Chrysophilax graviter votum violaverit in his casibus?*

R. Negative. Etenim in primo casu, quamvis Chrysophilax per alium ludat, et quod quis per alium facit per seipsum facit, in morali rerum aestimatione; reapse tamen non ipse ludit, sed alius pro ipso. Vota autem sunt propria et stricta interpretatione intelligenda. Insuper evidens res est, quod mens Chrysophilacis in eo voto respiciebat ludum per seipsum, cum alius casus ludendi per alium sit omnino extraordinarius, qui forte eius menti primum tunc occurrit, cum iam votum fecisset. Et confirmatur ex eo quod Chrysophilax ita revera per alium et non per seipsum lusit, quia existimavit, se ita votum non transgressurum; adeoque in eo voto non intendebat nisi ludum personalem; secus enim hac arte et industria non fuisset usus. Ceterum « in dubio, ait Busembaum, de mente voventis, debet fieri interpretatio secundum verborum, quibus usus est, proprietatem, vel potius communem et usitatam acceptionem ». Et S. Alph. « notandum, inquit, quod vota semper sunt interpretanda iuxta benigniorem partem ». L. 2. n. 222. 224.

In altero casu, quando Chrysophilax lusit nomine alieno, et consequenter alieno lucro vel detrimento, votum non violavit. Vota enim intelligenda sunt secundum intentionem voventis. Porro evidens res est ex casu, quod Chrysophilax non respiciebat ludum, materialiter talem, vel meram recreationem pro ipso, sed respiciebat ludum pro ipso lucrosum vel damnosum ad detrimentum avertendum propriorum negotiorum. Quare, quemadmodum votum non fuisset transgressus, ludendo merae recreationis causa, nulla addita pecuniae sponsione pro victore, ita neque votum transgressus est alieno nomine, h. e. alieno lucro vel damno ludens.

Tandem in tertio casu, cum per horam circiter lusit suo nomine, votum transgressus est. Sed, si tempus inspiciatur, materia gravis non est. Quare ex hoc capite non nisi leviter peccavit. Si quantitas vero inspiciatur pecuniae, quam exposuit, cum neque haec gravis fuerit neque ex hoc capite graviter peccavit.

113. — DE VOTI IRRITATIONE

Ioannes, anno 12°. aetatis suae votum emisit adeundi sanctuarium quoddam B. V. Mariae. Voti adimpletionem impedivit eius pater inquiens, votum esse nullum. Idem votum iterum emisit Ioannes anno 17°. aetatis; at iterum eius pater noluit, ut votum adimpleret Ioannes, declarans votum omnino invalidum esse. Patre tandem mortuo, quaerit Ioannes a suo confessario, an voti emissi obligatione teneatur.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Cum pater ex una parte non sit clare locutus, et videatur locutus potius *historice* vel *doctrinaliter* ad filium de sua obligatione instruendum, voti etiam obligatio adhuc persistere videri posset. Verum, cum, ex alia parte, filium omnino prohibeat ab executione voti, quod illi certe in ea hypothesi, qua non uteretur sua potestate, licite non fa-

ceret; et iuxta theologicam regulam, *peccata non sunt praesumenda, sed probanda,* pater videtur reapse omnino *auctoritative* locutus. Unde, cum Ioannes duodecimum agat aetatis annum, et consequenter non sit adeptus pubertatem; votum *directe* irritatum fuit; adeoque, mortuo patre, illius obligatio utpote non reviviscens, non subsistit. Cum vero Ioannes anno 17°. aetatis suae iterum idem emisit votum, interrogandus est, an voluerit ratificare prius illud votum a se emissum; vel voluit se voto obstringere independenter omnino ab illo priori voto. Si primum verificatur, liber est ab omni obligatione, ob duplicem rationem. Prima est quia cum prius votum non subsistat, ratificatio voti nullius, nulla est. Altera est, quia pater adhuc directe irritat vota filiorum puberum, quae isti emiserunt durante impubertate, licet ea ratificassent, pubertate iam adepta. *Non* enim *firmatur,* atque ideo nec firmius fit, *tractu temporis, quod ab initio non subsistit.* C. 18. de R. I. in 6°. Si secundum verificatur, tunc cum vota puberum non nisi *indirecte* a patre irritantur, mortuo patre, vota reviviscunt, adeoque Ioannes voti obligatione adstringitur. Verum putat D'Annib. 206. ex recentiori iure, potuisse patrem adhuc *directe* irritare votum filii puberis; quare tunc Ioannes voto non teneretur. Etenim recentiori iure distinctio inter puberes et impuberes non agnoscitur, et agnoscitur in parentibus patria potestas, usque ad filiorum maiorem aetatem, aut emancipationem. Neutra in Ioanne verificatur. — I. M. 599. seqq. G. 328. 329. La-Croix l. 3. P. 1. n. 488. 489.

114. — DE VOTI DISPENSATIONE

Claudina, ut oblatum sibi a patre matrimonium respueret, votum emisit ingrediendi quandam Sororum Congregationem, et nunquam petendi et acceptandi dispensationem a tali voto. Verum post tres menses, altero matrimonio sibi oblato, bona fide petit et obtinet dispensationem a voto praedictam Congregationem ingrediendi, non attendens ad alterum votum non petendi neque acceptandi dispensationem. Post inita sponsalia, die matrimonium immediate praecedente, ad illud secundum votum attendens rem confessario manifestat.

Quaer. 1°. *An utrumque votum Claudinae fuerit validum?* — 2°. *An opus sit nova dispensatione ad matrimonium ineundum?*

R. Ad 1^{um}. Votum ingrediendi Sororum Congregationem fuit validum. Nam non defuit debita intentio et deliberatio ex parte Claudinae; nihil enim habetur in casu, unde contrarium erui possit. Materia voti est certe de bono meliori; immo bonum hoc optimum est. Neque vero votum nullum reddit circumstantia illa, ut nempe matrimonium oblatum a patre, minus ipsi gratum, efficacius et firmius respueret. Haec enim circumstantia in se mala non est, sed bona: matrimonium enim non ex propria inclinatione, sed ex inclinatione patris contractum difficile bonum exitum est habiturum. Neque vero votum factum est a Claudina *motive* propter hunc unice finem, ita ut posset dici, quod, cessante tali fine, cesset votum, quasi votum vel conditionatum, si nempe pater persistat

in eo matrimonio offerendo, vel votum disiunctivum, nimirum vel ingrediendi Religiosam Congregationem, vel ab eo matrimonio abstinendi. Nihil eiusmodi ex casu apparet. Simpliciter et absolute votum emisit Claudina, *impulsa* quidem ab eo matrimonio sibi valde ingrato a se repellendo; eligens melius Religionem ingredi quam illud inire matrimonium; sed eligens simul simpliciter et absolute Religionem; unde votum aliud emisit, *nunquam petendi et acceptandi dispensationem;* et, *altero matrimonio sibi oblato, voti emissi dispensationem simpliciter petiit*, nullam movens quaestionem de valore ipsius voti. Quare illud votum validum omnino fuit, et erat adhuc cum alterum matrimonium sibi offerebatur.

Circa alterum votum Claudinae de non petenda et acceptanda unquam dispensatione, quaestio est, ait S. Alph. l. 3. n. 208., « an valeat votum de non petendo voti dispensationem, commutationem, aut irritationem, etiam cum iusta causa; nam sine iusta causa certum est, quod valet. Prima sententia negat..... Secunda vero affirmat..... Et haec videtur probabilior; advertendo, quod casu, quo sit utilius ob bonum spirituale petere dispensationem, votum non obligat; quamvis fuerit validum. Hoc tamen votum semper a Superiore relaxari potest, cui salva semper est sua potestas..... Notandum autem, quod vovens non petere dispensationem potest petere commutationem; et e converso ». Thom. Sanch. in Decal. l. 4. C. 8. n. 21. ait: « Probabilius existimo non valere id votum vel iuramentum Deo praestitum, et proinde in nullo eventu obligare..... Ducor, quia vota generaliter emissa, quae in quibusdam casibus apta sunt ad obligationem inducendam et utilia sunt, in aliis autem sunt inepta et inutilia, minime obligant, nisi quando, vel ex iure vel ex communi hominum intellectu, habent tacitam conditionem, ut ad solos casus utiles extendantur, qualem habet inclusum votum obediendi in omnibus superiori. Et ratio est, quia illa vota per modum unius emittuntur, ac aeque comprehendunt casus utiles et inutiles ».

Ad 2^{um}. Opus non est nova dispensatione; quare, si sit praesertim periculum in mora, poterit Claudina, quieta conscientia, matrimonium inire. Ratio est 1°., quia illud votum absolute et universim factum nunquam petendi et acceptandi dispensationem est saltem probabiliter nullum. 2°. Quia, quamvis fuerit validum, iam factum est impossibile. Etenim, bona fide, petita iam est et acceptata dispensatio. 3°. Quia votum, quod unice obstare potest matrimonio est votum ingrediendi Religionem, non votum non petendi et non acceptandi unquam dispensationem. Porro, quamvis etiam Claudina peccaverit petendo et acceptando dispensationem, dispensatio obtenta et acceptata valida esset. Ergo ad summum poenitentiam agere deberet de altero voto violato, sed minime prohiberetur matrimonium inire. Eius enim alterum votum neque adimit ullo pacto in Superiore facultatem dispensandi, neque facit quod non adfuerit iusta causa dispensationem petendi, si ea reapse adfuit, adeoque data et acceptata dispensatio valida omnino fuit et est. Cf. Sanchez l. c. n. 26. 4°. Tandem, si advertisset alterum eius votum, potuisset adhuc petere non simplicem dispensationem, sed commutationem prioris voti; votum enim fecerat de non petenda dispensatione, et ignara discriminis forte ne cogitavit quidem de commutatione.

115. — DE FACULTATE A VOTO DISPENSANDI

Antonius parochus dispensare et commutare solet vota fidelium suae paroeciae, sive *intra* sive *extra* confessionem sacramentalem, ratus hanc sibi competere potestatem, tum ob iurisdictionem, quam ipse habet in sua paroecia, tum ob aequalem potestatem, qua praeditus est, ex communi theologorum doctrina, dispensandi cum subditis pro casibus particularibus in ieiuniis, in abstinentia, in operibus die festo prohibitis, et in aliis similibus I. M. 245. Verum, dubio exorto de hac agendi ratione, quaerit, an in ea persistere possit.

Quaer. 1°. *Quid ad Casum?*

R. Antonius in ea praxi persistere non potest. Ratio est, quia potestas a votis dispensandi, secluso speciali privilegio vel legitima consuetudine, non competit nisi solis praelatis, qui habent iurisdictionem *in foro externo*. Hanc iurisdictionem non habet parochus, neque in hac re speciale adest privilegium vel legitima consuetudo ipsi favens. Audiatur Busembaum, quem tacite approbat S. Alphonsus: « Potestas dispensandi convenit omnibus praelatis, qui habent iurisdictionem in foro externo vel privilegium..... Unde dispensare potest episcopus respectu suorum subditorum; non autem parochus, quia tantum habet iurisdictionem fori interni », l. 4. n. 256. Haec autem habet de hac re eximius Doctor. « Parochus seu sacerdos proprius non habet potestatem ordinariam ad dispensandum vel commutandum vota. Est sententia certa et communis theologorum..... Ratio a priori est, quia dispensatio haec est actus iurisdictionis ecclesiasticae distinctae a iurisdictione sacramenti poenitentiae; sed in parocho et similibus non est talis iurisdictio; nullo enim iure illis conceditur, nec ex natura rei vel consuetudine colligi potest.... Unde argumentum ex dispensatione legis sumptum retorqueri potest, quia parochus non potest in legibus dispensare; quod si in aliqua posset ex speciali consuetudine, ad alias leges extendenda non est, nedum ad vota ». T. 2. de Relig. l. 6. C. 10. n. 11. 12. Hinc responsio patet ad duplicem Antonii parochi rationem. Ad 1^am^. respondetur, habere quidem parochum in sua paroecia iurisdictionem in sacramentorum administratione, minime vero ecclesiasticam iurisdictionem in foro externo, cuius actus est votorum dispensatio. Ad 2^am^. respondetur, posse utique parochum dispensare in illis ecclesiasticis legibus pro casibus particularibus tantum; sed id *ex consuetudine* potest, quae consuetudo pro votorum etiam dispensatione non adest.

116. — DE VOTI RESERVATI DISPENSATIONE

1°. Theotimus votum emisit perpetuae castitatis. Optimi matrimonii oblata occasione, dispensationem petiit a S. Sede matrimonii ineundi, quam obtinuit. Post annum moritur uxor, et aliud ipsi offertur matrimonium ineundum. Hinc anceps quaerit Theotimus a suo confessario, an nova indigeat dispensatione, et a quo illa petenda sit in casu affirmativo.

Quaer. *An maneat reservatum Summo Pontifici votum castitatis, postquam dispensatio obtenta fuerit ad effectum contrahendi matrimonium.*

R. Affirmative. Ita C. De Lugo Resp. Mor. l. 6. D. 1., G. V. 2. n. 331., aliique. Ratio est, quia quum, ob varias causas, quae allegari solent, dispensatio conceditur ad effectum matrimonii contrahendi, praecedens castitatis votum ut non irritatur, ita neque etiam commutatur secundum se totum in alia pia opera. Etenim, sicut materia illius voti erat divisibilis, ita et divisibilis erat eius obligatio. Per praedictam dispensationem aufertur tantum obligatio primum hoc matrimonium non contrahendi, et commutatur in obligationem novam ad alia pia opera. Licet ergo nova haec obligatio iuxta probabilem opinionem non sit reservata, illa autem alia pars obligationis praecedentis prohibens secundum coniugium, et alia omnia, quae castitati adversantur praeter primum coniugium, non est obligatio nova, sed est eadem omnino, quae antea erat, et quae nunquam fuit ablata. Haec ergo pars obligationis retinet eandem naturam et qualitatem reservationis, quam ab initio habebat. Quod autem, ex intentione Summi Pontificis dispensantis, *idem votum* reapse remaneat, et dispensetur tantum quoad effectum matrimonium contrahendi, minime vero quoad reliquos effectus eruitur ex clausula expressa dispensationi apposita, ut, si coniux moriatur, ille, qui votum emiserat *debeat caelebs remanere.* Cf. Lugo l. c. n. 1. et 8., G. l. c. Idem magis adhuc significant verba illa, quae apponi solent in commissione dispensandi ad discretum confessarium directa. Nam in fine commissionis iterum poenitens admonendus dicitur de voti perseverantia his verbis: *Quod si iterum contraxerit et consummaverit matrimonium, aut unquam extra matrimonium fornicatus fuerit, sciat se contra huiusmodi votum facturum.* Cf. Lugo l. c. n. 8. Unde adulterium commissum, durante primo illo matrimonio ex dispensatione contracto, et contra huiusmodi votum est.

2°. Carolina votum emittit ingrediendi recentiorum Sororum Congregationem. Verum, oblata ipsi boni matrimonii occasione, dispensationem ab episcopo petiit praedicti voti, quam sine difficultate episcopus concessit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Carolina a suo voto dispensari non posset, nisi tantum a Summo Pontifice, si ageretur de Ordine religioso proprie dicto. Verum cum non agatur nisi de *recentiori Sororum Congregatione* solvi potest a suo voto sive ab episcopo, sive etiam a regulari confessario, privilegium habente. G. 333.

3°. Polidorus votum emisit ingrediendi *Ordinem religiosum,* et Ordinem S. Francisci reapse ingreditur: Sed post sex menses Novitiatus, ex illo egreditur, cum minime idoneus iudicatus fuerit a Novitiorum magistro vitae religiosae. Matrimonium inire cogitans dispensationem voti petiit a suo confessario, qui negavit id posse a se fieri, et Polidorum ad Sanctam Sedem remisit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Polidorus liber omnino videtur a qualibet voti obligatione; adeoque nulla videtur indigere dispensatione. Ratio est, quia votum fecit Religionem ingrediendi, et eam reapse ingressus est. Secus vero dicendum esset, quod si aliam ingrediatur Religionem, et ex ea etiam egrediatur quia illi vitae generi impar sit, tertiam debeat ingredi Religionem, et ita porro, quod alienum est a modo ordinario ingressus in Religionem, et ab intentione voventis. Enimvero ordinarie Religiones recipere non solent eos, qui ex alia Religione egressi sunt; et qui Religionem ingrediuntur post debitam considerationem, eam ingrediuntur hac intentione, ut in ea perpetuo vitam degant, non ut post aliquod tempus eam deserant, et aliam ingrediantur. Haec igitur est etiam intentio illius, qui votum emittit ingrediendi Religionem, nisi explicite cogitet de suo egressu, in determinato aliquo casu. Tandem Polidorus, cum ex Ordine S. Francisci egrediatur, quia ineptus est ad vitam religiosam amplectendam, alium ingrediens Ordinem ex illo etiam egrederetur. Et sic non videtur teneri ad rem inutilem faciendam pro scopo et fine illius voti. Idque valet non tantum, si Polidorus dimissus fuerit, quia ex humana fragilitate, ex prava consuetudine, ex virium infirmitate impar omnino erat obligationibus implendis vitae religiosae et Monasterii; verum etiam, si ipse sponte ob huiusmodi causas, vel ob aliud rationale motivum, egredi debuerit. Minime vero valet, si directe vel indirecte procuravit, ut eiiceretur; tunc enim, sine legitimo motivo et rationali causa egrediens, contra votum agit et illud violat. G. 320. 321.

117. — DE DISPENSATIONE VOTORUM RELIGIOSORUM

Ferdinandus religiosus, simplicibus votis obstrictus, amisso pristino fervore, et in tepidam vitam paulatim, sed quotidie magis magisque incidens, taedio iam afficitur vitae religiosae. Hinc dimissionem petiit a suo Superiore, qui, cum frustra media omnia adhibuerit ex sua caritate, ut Ferdinandum revocaret ad bona consilia, eum tandem obstinatum a votis dispensatum, a religione dimittit. Post annum Ferdinandus uxorem ducit; verum multis conscientiae stimulis agitatur ob amissam religiosam vocationem, et praesertim, quia cum nullam habuerit gravem causam dispensationis a votis obtinendae, praeter eius tepidam vitam, illam existimat irritam, seque adhuc religiosis votis obligatum.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Ferdinandus ex duplici capite agitatur; primo quidem ob amissam, ex eius culpa, religiosam vocationem. Et magnum vere Ferdinandus amisit bonum. Facillimum enim ipsi fuisset non solum propriam animam salvare, verum etiam ad eximium sanctitatis gradum pervenire. « Status Religionis, ait Angelicus Doctor, 2. 2. q. 186. a. 3., est quoddam exercitium et disciplina, per quam pervenitur ad perfectionem caritatis ». Redeat igitur Ferdinandus, si adhuc integrum ipsi sit, vel ad eandem vel ad aliam saltem religionem, et firmum faciat propositum exacte se regulas et religiosa vota servaturum, ne iterum tantum malum

ipsi contingat. Si vero vel res impossibilis ipsi sit, vel certe non experiatur adhuc tale desiderium, sed e contrario contentus potius est in saeculo vivere, ne desperet. Divina gratia, quae non deest peccatoribus etiam obcaecatis, obduratis et obstinatis, ipsi non deerit, ut possit salutem operari animae suae, divinae gratiae cooperando.

Verum Ferdinandus potissimum agitatur ob nullitatem dispensationis religiosorum votorum ex defectu causae sufficientis. Ferdinandus quietus omnino esse potest; illa enim dispensatio ipsi concessa a Superiore, *si tamen talem haberet potestatem*, valida omnino fuit, ex parte gravis causae requisitae. Gravis enim et proportionata causa non defuit. Ipsa eius vita tepida et parum religiosa potuit causam hanc suppeditare non solum propter eius privatum bonum, si iam e. g. in Religione ipse constanter peccabat, et sperabatur, matrimonio inito, remedium allatum iri perversae eius vitae, verum etiam propter bonum commune, ne scandalo aliis esset, et relaxationem pravo suo exemplo induceret in Monasterium et in Ordinem. Quare, secluso casu, quod ipse, mala fide et fraude ac dolo, votorum dispensationem obtinuerit, si, postquam tepida vita vocationem amiserit, vel in graves iam inciderit lapsus, vel in periculo continuo constitutus fuerit peccandi, bona fide *rem totam suo Praelato manifestaverit,* et Praelatus hanc *habeat specialem potestatem eum dimittendi et a votis dispensandi,* tutus esse potest in conscientia quoad dispensationis validitatem. Cf. Epitome Instituti Soc. Iesu Prati 1882. pag. 245. num. 123. 125., pag. 251. num. 142. 143., Compend. Privileg. Soc. Iesu n. 160., S. C. EE. et RR. 19. Apr. 1893. Benedictus XIV. De Syn. l. 13. C. 11. n. 17., loquens de Religiosis Societatis Iesu ait: « Dimissionis causa plerumque ex eo desumitur, quod religiosus minime valeat incoeptum curriculum laudabiliter persequi, et ad Societatis Institutum vitam exigere ». S. C. EE. et RR. 15. Mart. 1892. Acta S. Sedis V. 26. p. 320.

Dicitur: *Si praelatus hanc habeat* specialem *facultatem. Etenim de iure communi* quoad recentiora Instituta, a S. Sede iam approbata, votorum *sive temporaneorum sive perpetuorum dispensatio* eidem S. Sedi est reservata. Ita ex constanti praxi S. C. EE. et RR. Itemque quoad Ordines Religiosos, proprie tales. « Vota simplicia, de quibus agitur, *perpetua* sunt *ex parte voventis,* utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient. Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est Romano Pontifici, cui professi gravibus urgentibus causis, preces porrigere poterunt. Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis professorum; ita ut data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant. Attamen Superiores procedere debent summa caritate, prudentia, *et ex iustis et rationabilibus causis,* quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis, post professionem votorum simplicium superveniente, dimitti potest ». S. C. EE. et RR. 12. Iun. 1858. Quin imo neque quoad recentiora Instituta dimitti professus poterit post vota tantum temporanea ex causa superveniente infirmitatis. Ita ex praxi eiusdem S. C. Requiritur insuper iudicialis processus, si de professo agatur dimittendo, qui simplicia vota perpetua emiserit vel vota simplicia temporanea ac in sacris insuper ordinibus sit constitutus. S. C. EE. et RR. 4. Nov. 1892.

Ex hisce quae praecedunt facile intelligitur resolutio casus data a praefata S. C. EE. et RR. 19. Nov. 1886.

« Nonnunquam evenit, ut simpliciter professus dimissionem suam petat, asserens se non habere, vel amisisse animum vocationemque ad vitam religiosam. Quaeritur nunc, utrum *haec ipsius assertio pertinaciter retenta, etiamsi alia causa dimissionis non subversetur, ratio sufficiens iusta, eaque rationabilis causa censeri possit eum in finem, ut simplici voto obstrictus ex Ordine dimitti queat?* — R. Negative, cum vota simplicia de quibus agitur, *ex parte voventis sint perpetua, eorumque dispensatio sit reservata Summo Pontifici* ».

118. — DE DISPENSATIONE VOTI RELIGIOSAE CASTITATIS

Cunegunda egressa e recentiori sororum Congregatione, dispensationem ab episcopo obtinuit religiosorum votorum, *manente* tamen *voto castitatis*. Matrimonium inire desiderans dispensationem ab eo voto petit, et obtinet a confessario, privilegium habente a votis dispensandi.

Quaer. *Quid ad Casum?*

Potuit quidem Cunegunda a religiosis votis dispensari ab episcopo, si illa recentior Sororum Congregatio, mere dioecesana erat, ab Ordinario loci tantum approbata. Verum, si illa recentior Congregatio approbata iam fuerit ab Apostolica Sede tunc Cunegunda ab episcopo dispensari non potuit. Vota enim, in tali casu sive sint *perpetua,* sive sint *temporanea* reservata manent S. Sedi. Bizzarri Collect. Meth. in fine, G. V. 2. n. 130. 134. — 136. 140. Verum, cum episcopus reapse dispensaverit Cunegundam a votis, dicendum est eam Congregationem mere dioecesanam esse, ab Ordinario loci mere dependentem, eamque nondum a S. Sede ullam obtinuisse approbationem.

Ad alteram vero dispensationem quod attinet, casus Cunegundae, non videtur carere aliqua difficultate. Etenim castitatis votum, licet coniunctum cum aliis votis religionis, bene esse potest ex affectu *absolute tali* erga ipsam castitatem; et tunc votum reservatum est, et non nisi a Summo Pontifice potest dispensari. Si autem votum castitatis non emittatur, nisi quatenus coniunctum sit cum aliis religionis votis, non ex affectu *absolute tali* ipsius castitatis, sed *ex amore tantum Religionis et religiosae professionis;* tunc votum reservatum non est, votis aliis dispensatis. Verum, *nisi constet votum non fuisse perpetuum, et absolutum, dispensari* non potest. S. O. 2. Aug. 1876. Quare Cunegunda interroganda est, utrum, e. g., votum castitatis in Religione emiserit, non praecise ex affectu erga ipsam castitatem, sed quia, e. g., cum non posset vel nollet matrimonium inire, nolebat tamen remanere in saeculo in statu caelibatus. Tunc enim ipsa *pro sola Religione* vovit, et nisi liberaretur a voto extra Religionem cogeretur remanere in caelibatu, a quo fuit semper aliena. G. V. 2. n. 132. 133.

DE TERTIO DECALOGI PRAECEPTO

119. — DE SANCTIFICATIONE FESTORUM

Silvius, degens in terra infidelium, tenet in officinis diversarum industriarum et artium plures quam ducentos artifices et operarios, omnes paganos, quibus solvit satis pingue salarium, et quos iubet, ut laborent etiam diebus dominicis et festis, ea ratione ductus, quod infideles non subiiciantur legibus Ecclesiae, quae prohibent dictis diebus opera servilia christianis. Sed non omnino certus de hac re consulit Missionarium loci illius qui resolvit ipsius casum sic: « Infideles possunt laborare licite *diebus festis,* et quae licita sunt tu potes imperare: Sed infideles, etsi non subiiciantur legibus Ecclesiae, subiiciuntur tamen legi universali latae a Deo ipso in Paradiso pro omnibus descendentibus ab Adam, ut cessent die septimo a labore servili. Hinc *die dominica* debes claudere tuas officinas ». Venit alius Missionarius in locum illum, et ipsum quoque consulit Silvius. Missionarius iste ita respondit: « Non solum *die dominica,* sed etiam *diebus festis,* debes claudere tuas officinas. Graviter peccasti: christianus non debet facere opera servilia, neque *per se,* neque *per alium,* etiam paganum, cum tu semper sis verus auctor operum servilium, mandando talia, quae tibi prohibentur, etiamsi sint aliis licita ». Silvius, obediens Missionario, proponit operariis suam resolutionem claudendi officinas *diebus festis et dominicis.* Sed operarii respondent ad unum omnes: « Si vis ut nos servemus tuas leges, solve nobis hisce diebus festis nostrum salarium. Nos enim non possumus perdere propter leges tuas nostrum salarium; secus quaeremus dominum alium nostri cultus ». Hinc Silvius, nolens amittere ingentem pecuniae summam, non iubet quidem, ut laborent dictis diebus, sed id permittit. Tandem venit Praelatus ad visitandam Missionem, qui consultus a Silvio dixit: » Non peccasti faciendo ita, scilicet permittendo, ut laborent diebus dominicis et festis; gentiles enim non obligantur ad servanda festa, et diem dominicam, quia non sunt membra Ecclesiae, nec ad sabbatum servandum tenentur, quia praeceptum sanctificandi diem septimum morte Christi sublatum est cum aliis Veteris legis caeremoniis. Neque vero peccasti ratione scandali; quum vivas in medio gentilium, qui bene norunt te ipsum nunquam laborare diebus festis et dominicis diebus. Sed tamen non convenit, ut iubeas, ut ipsi hisce diebus laborent; sed poteris te gerere passive, id permittendo, postquam exposueris voluntatem tuam, quam illi recipere nolunt, eosque fueris exhortatus, ut aliquam temporis partem in Dei cultum impendant.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. « Praeceptum de sanctificatione sabbati, *litteraliter intellectum*, est partim *morale*, partim autem *caeremoniale*. *Morale* quidem est quantum ad hoc, quod homo deputet *aliquod tempus* vitae suae ad vacandum divinis. Inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei necessariae deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni somno et aliis huiusmodi. Unde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, *secundum dictamen naturalis rationis, aliquod tempus* deputat homo. Et sic habere *aliquod tempus* deputatum ad vacandum divinis, cadit *sub praecepto morali*. Sed in quantum in hoc praecepto *determinatur speciale tempus*, in signum creationis mundi, *sic est praeceptum caeremoniale.... Observantia diei dominicae in Nova Lege* succedit *observantiae sabbati*, non ex vi praecepti legis, sed ex *Constitutione Ecclesiae et consuetudine populi christiani* ». S. Th. 2. 2. q. 122. a. 4.

« Hoc *de sabbati cultu* praeceptum, *si statutum tempus spectatur* non fixum, et constans est, sed mutabile, *neque ad mores*, sed *ad caeremonias* pertinet; *neque naturale est*, quoniam non a natura ad id docti, aut instituti sumus, ut, illo die potius, quam alio, externum Deo cultum tribuamus; *sed ex eo tempore, quo populus Istraeliticus a Pharaonis servitute est liberatus diem sabbati coluit....* Sed aliquid habet, quod *ad mores, naturaeque ius attinet*.. Nam Dei cultus ac religio, quae hoc Praecepto exprimitur, *a naturae iure existit;...* cum illud natura comparatum sit, ut *aliquot horas* in iis, quae ad Dei cultum pertinent versemur.... Est enim *naturale homini*, ut is *certum quoddam tempus* necessariis rerum functionibus det, veluti corporis quieti, somno et aliis huiusmodi rebus; et quemadmodum corpori, ita eadem naturae ratione factum est, ut menti etiam *aliquid temporis* concederet, quo in Dei contemplatione sese reficeret. Atque ita, cum *aliqua temporis pars* esse debeat, quo res divinae colantur, cultusque Deo debitus tribuatur, hoc sane *ad morum praecepta* pertinet. Quam ob causam Apostoli ex illis septem diebus, eum qui primus est, ad divinum cultum censecrare statuerunt, quem et diem dominicam dixere ». Cat. Rom. 4. 6. 7.

Ille, qui die festo aliis mandat, ut laborent, si peccat, eatenus peccat, quatenus *alios inducit* ad opus sub gravi vel sub levi *ipsis prohibitum:* minime vero quatenus *ipse directe transgrediatur praeceptum sanctificationis festi*. Hoc enim praeceptum non nisi duo continet, *auditionem missae, et abstinentiam ab operibus servilibus*. Inducendo alium mandato seu praecepto, ut non audiat missam, ut in operibus servilibus occupetur; non ideo ipse est non audiens missam vel sese occupans in illis operibus. Unde, si ille, qui non audit missam, non tenetur audire, si ille, qui servilibus operibus occupetur, illis incumbere possit, haec mandans nullatenus peccat; e. g., si quis haec mandet infirmario, qui infirmis assistere debeat, vel operariis, qui mox accurrere debeant ad incendium extinguendum.

Nemo tenetur grave aliquod damnum, sive spirituale, sive etiam temporale subire, ut alii retrahantur a peccato, quod omnino ab eorum libera voluntate dependet. Itemque nemo tenetur pecuniam aliis solvere,

ne peccent, legem transgrediendo, quam ipsi, si vellent, omnino possent implere. I. M. 434.

Hisce praemissis, patet: 1°. bene respondisse primum Missionarium quoad festos dies; errasse vero in omnibus quoad diem Dominicum. 2°. In omnibus simpliciter errasse alterum Missionarium. 3°. Bene in omnibus Praelatum respondisse.

120. — DE AUDITIONE MISSAE

Antonia confitetur, serius se ad missam audiendam decies advenisse. Sedulo quaerit confessarius, an, cum serius ad missam advenerit, lectum iam esset Evangelium. Huic interrogationi Antonia respondet: ter se advenisse ante Offertorium, lecto iam Evangelio, et Credo iam ad finem vergente; bis se venisse, Canone incoepto, ante Consecrationem, sed aliam deinde missam audivisse usque ad Consecrationem exclusive; quinquies vero advenisse lecto iam Evangelio, sed ante Credo; semper tamen integram missam se legisse in suo libello precum. Hisce expositis, addit deinde praefata mulier, se nonnullis scrupulis hac eadem in re angi quoad praeteritum tempus ante ultimam confessionem. Recordatur enim, semel se serius ad missam venisse, et cum iam peracta esset Consecratio ultimae missae, non permansisse tamen in ecclesia, ut reliquae Sacrificii parti assisteret, neque missam in libello legisse. Hisce auditis, cave, inquit confessarius, ne iterum quidquam horum facias, materia enim in his adest gravis peccati, a quo certe non excusat, integram missam in libello precum legere. Id citra omnem culpam omittere potes, dummodo tamen missae sacrificio attendas animumque applices ad actiones sacerdotis, vel ad mysteria per eas actiones significatas, vel ad ipsum Deum colendum.

Quaer. *An in his omnibus confessarius recte iudicaverit?*

R. 1°. Recte quidem iudicavit quoad omissionem precum: nulla enim adest earum obligatio. « Regula generalis est, inquit Suaresius, hoc praecepto colendi Deum in die festo quatenus affirmativum est non obligare ad exercendum intra illum diem alium actum divini cultus sive internum sive externum praeter missam... Dicendum ergo est hoc praeceptum non obligare ad alias orationes fundendas in die festo praeter eas, quae in missa dicuntur assistendo et attendendo ad illas.... Posset hic quaeri, an saltem cum aliquis non potest audire missam in die festo ex iusto impedimento teneatur loco illius aliquid recitare, vel religionis opus exercere; et similiter quando aliquis missam omisit, an teneatur aliis precibus eodem die illam compensare, vel in sequenti die missam audire. Dico tamen non teneri ». De Relig. Tom. 1. Lib. 2. C. 16. n. 1. 4. 16.

2°. Nonnihil certe severior est praefatus confessarius quoad attentionem, quam exigit a sua poenitente, ut gravem vitet culpam. Exigit enim attentionem *internam,* quae in hoc praecise est, ut quis advertat, et animum applicet aut ad verba et actiones sacerdotis, aut ad sacrificii mysteria, aut tandem ad Deum precibus vel meditatione laudandum, adorandum, colendum. Iam vero licet sententia, in praxi consulenda,

teneat requiri hanc intentionem internam; attamen iuxta hanc eandem sententiam sufficit attentio interna virtualis, et in confuso; ut nempe habeatur in principio missae, advertatur deinde aliquo saltem modo quid fiat, et non distrahatur *voluntarie* a missa per notabile temporis spatium, plene simul advertendo, se distrahi a missa audienda. Praeterea theologorum sententia, qui docent sufficere attentionem *externam*, quae in eo consistit, quod ille qui audit sacrum, non ponat actionem externam impedientem mentis applicationem, v. g., scribere, pingere, etc., *vera* non caret probabilitate. Cf. S. Alph. H. A. Tr. 6. n. 28., Op. Mor. l. 3. n. 313., I. M. 647. 648.

3°. Severior etiam videtur fuisse, grave peccatum asserendo in reliquis casibus adesse. Etenim primo multi sunt theologi, qui existimant non haberi grave peccatum, si omnia ab initio omittantur usque ad Evangelium inclusive, imo etiamsi omittatur *Credo*, ut dicit Lugo cum aliis apud S. Alph. H. A. l. c. n. 33. Hanc sententiam S. D. non putat improbabilem, quia missa iuxta S. Isidorum ab Offertorio olim incipiebat. Idem probabile arbitratur Scavini Ed. 12ª. Mediol. 1874. V. 1. n. 253. Positive autem hanc sententiam approbat idem S. Alph. in Op. Mor. l. c. n. 310. « Hanc (*recte* dicunt Salm.) quis neget esse probabilem in re, quae pendet ab aestimatione hominum, cum sit fulcita tot et talibus auctoribus ». Cf. etiam Layman. L. 4. Tr. 7. C. 3. n. 3., La-Croix l. 3. n. 665.

Probabilis praeterea est sententia Laymann, Navarri, Sà, Soti, et aliorum, qui docent praecepto satisfieri, si quis unam, v. g., missam audiat ab uno sacerdote usque ad Consecrationem exclusive; alteram vero ab altero a Consecratione usque ad finem. Nam iam audiret, quod est de essentia missae ab uno sacerdote. Conveniunt tamen, quod ille, qui duas sic dimidiatas missas audiret nullo modo excusari posset a peccato saltem veniali ob quamdam inordinationem. S. Alph. H. A. l. c. n. 34. Ac S. D., in Op. Mor. l. c. n. 311., affirmat probabilem esse saltem extrinsece eorum theologorum sententiam, qui existimant satisfieri praecepto, si quis duas missae dimidias partes successive audiat a duobus sacerdotibus, etiamsi audiantur inverso ordine, et etiam cum aliqua interpositione temporis, nimirum horae, ut sentit Mazzotta. « Immo, addit, si quis audiat missam ab uno sacerdote usque ad Consecrationem exclusive, et ab altero a Consecratione usque ad finem *vocamus probabilissimam* ».

Insuper S. Alph. H. A. l. c. n. 39. aperte asserit tanquam *tenendum*, quod « cum sit satis etiam probabile, quod essentia Sacrificii in sumptione consistat (si aliquis veniret *post Consecrationem* ultimae missae) dicimus illum bene obligari ad reliquam missae partem audiendam ». Cf. etiam Op. Mor. l. c. n. 310. Oppositum docet P. Gury n. 343. Ista sententia probabilis omnino videtur. Nam certe longe probabilius deficit tunc essentia sacrificii, adeoque et obligatio illi assistendi. Si tamen quis adveniret post consecrationem ultimae missae, ita ut adhuc notabili missae parti assistere posset, tunc *probabiliter* etiam ad reliquam missae partem audiendam teneri videtur. Etenim, etsi quis essentiae integrae sacrificii intersit, si tamen notabilem missae partem omittat graviter peccet. Ergo, si quis interesse possit notabile parti missae eidem interesse tenetur; quemadmodum, qui non potest recitare matutinum et

laudes potest autem reliquas horas recitare, ad eas omnino tenetur; ut constat ex prop. 54. ab Innocentio XI. damnata. Cf. La-Croix l. 3. n. 668. — I. M. 642. 647. 648. 651.

121. — DE ORATORIO PRIVATO

Augustinus, privilegio gaudens Oratorii privati, eo utitur sive in civitate, sive ruri, ubi *solet morari toto tempore autumnali.* Sacellum utroque in loco magna quaedam aula est, quae, tela quadam serica interposita, in duas partes dividitur, quarum altera sacello destinatur. Altare vero marmoreum in amplo quodam *quasi armario* reperitur, *profunda* quadam constructo, ad instar parvi cubiculi, parietis cavitate, quod post absolutum sacrificium lignea ianua, bene ornata, clauditur. Dum Augustinus ruri moratur, eius festum celebratur, et tunc per aliquot dies invitantur cognati et nobiles amici, qui omnes, die festo incidente, missam in praedicto Oratorio audiunt. Ac, cum plures sint, tota aula, durante die, a nepotibus Augustini occupatur, ibique noctu omnes dormiunt.

Quaer. 1°. *Quid sit Oratorium publicum et privatum?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Cf. Enchiridion Morale 387., I. M. 644. — Ad 2^um^. Augustinus uti quidem potest privilegio Oratorii privati, *in urbe* et *ruri* dum ibi commoratur, dummodo tamen simul utrobique eo non utatur. Hoc enim privilegium *personale* est, et longiori sane tempore *solet* ipse ruri habitare; ita ut, secundum Indulti clausulam dici etiam possit *solita habitatio.* Ferrar. n. 16., Lig. l. 3. n. 318.

Ad *aulam,* ad separationem *per telam,* et ad altare in parvo illo cubiculo in *parietis cavitate* constructo, quod attinet, inquietandus non videtur Augustinus. Haec enim habet S. Alph. l. 3. n. 318. « Nota.... non esse opus quatuor muris cum ianua, qui Oratorium ab aliis dividant locis, sed posse pro quarto muro aptari *tapes,* aut *tela,* quae reseretur vel claudatur ad commoditatem audientium Missam. Censet autem P. Fortunatus a Brixia non sufficere amplos armarios intra cavitatem parietis, qui lignea tabula post absolutum Sacrificium claudantur. Nulli dubium, quod huiusmodi Oratoria decentius intra quatuor vel saltem tres parietes in separato cubiculo construantur. Sed ego novi praefatos armarios in usu esse Neapoli, novique ab Archiepiscopo approbari. Et revera huiusmodi Oratoria, sic formata, non videntur iuxta tenorem Indulti, ut supponit P. a Brixia, esse vetita, quia tabulae laterales satis gerunt vices parietum; modo tamen altare ligneum ita sit parieti colligatum, ut non sit amovibile, iuxta Decr. S. C. Rit. 3. Dec. 1661., ... et Altaris portatilis imaginem non prae se ferat ». Augustini autem Oratorium revera in Armario non est, sed in parvo cubiculo quatuor extructo muris *in profunda* parietis cavitate.

Quod praedicta aula per diem occupetur a nepotibus Augustini, ibi conversantibus, ibique per noctem dormientibus, neque in hoc inquietandus est Augustinus, cum hoc non fiat nisi raro, semel in anno, Augustini festa die occurrente, et non sine necessitate prae cognatorum et

amicorum multitudine advenientium. Haec idem S. Alph. l. c. « Nota..., quod, occurrente necessitate, sicut permittitur etiam in Ecclesia consecrata comedere, dormire, et similia agere ; tanto magis ea permittenda in Oratorio, quod solum ad tempus est ad sacrum usum deputatum. Addit La-Croix l. 6. P. 2. n. 266., quod huiusmodi actiones, licet absque necessitate fierent, non excedunt culpam venialem. Docent enim dd. apud Bonac. et Suarez de Relig. l. 3. C. 5., quod illae etiamsi fierent in Ecclesia consecrata, non sunt mortalia, nisi fierent constanter, et per modum habitus, utendo Ecclesia vel Oratorio, tanquam quocumque loco professo ». Insuper advertendum est, quod, in casu, praedicta aula proprie Oratorium non constituat, cum sit *ante Oratorium,* quod proprie in praedicta *profunda* parietis cavitate est constructum, quasi parvum cubiculum, quod per ligneam portam a tota aula separatur.

Quod autem cognati et nobiles amici, die festo incidente, missam in praedicto Oratorio audiant ad satisfaciendum praecepto, Augustinus suo utitur iure. « Etenim vi indulti admitti possunt *nobiles hospites,* etiam « unius diei, et adhuc qui ad prandium invitantur a privilegiato, ut de privilegio participent », privilegiato tamen, cui Indultum principaliter concessum et directum est, praesente. Lig. l. c.

122. — DE ABSTINENTIA AB OPERIBUS SERVILIBUS

Tullius concionator, disserens de abstinentia ab operibus servilibus, in primis docet, ad haec a non servilibus discernenda, attendi potissimum oportere ad laboris gratuitatem, ad laborantis intentionem, et ad defatigationem corporis. Hinc infert, non exercere opus servile eum, qui sine ulla spe lucri, recreationis causa, die festo laboret ; vel qui id faciat animo otium vitandi ; vel demum, si ea praestet, quae levissimam defatigationem important, ut esset tibialia manu texere, rosaria et scapularia conficere, imagines acu pingere, typos componere, artem photographicam exercere, aliaque his similia.

Quaer. *An recta fuerit Concionatoris doctrina?*

R. 1°. Opus servile est opus quod directe et immediate exercetur corporis viribus, in corporis utilitatem directe et immediate tendit intrinseca natura sua, et quod a servis exerceri solet. Quare, uti patet, criterium ad dignoscendum, an opus aliquod servile sit, partim est *intrinsecum,* et ex ipsa operis natura est repetendum, partim *extrinsecum* ex communi consuetudine et existimatione desumendum. Falsum ergo est, quod primo loco docet Tullius, attendendum potissimum esse ad laboris gratuitatem, ad laborantis intentionem, ad corporis defatigationem. Gratuitas laboris et laborantis intentio utpote circumstantiae merae extrinsecae non immutant intrinsecam naturam operis. Corporis vero defatigatio habetur in operibus etiam *liberalibus,* quae animae viribus potissimum exercentur, et ad animae utilitatem praecipue spectant. Eaque consequenter a fortiori habetur in operibus *communibus,* quae ab omnibus et servis et liberis indiscriminatim fiunt. Ita servile erit arare alterius agrum, quamvis ex mera caritate fiat, et gratis omnino. E contrario

servile non erit pulsare organum, saltare, deambulare, quamvis id longo tempore, et notabili corporis defatigatione, fiat; uti etiam diuturna et laboriosa transcriptio lucri causa. Hinc patet, errare omnino Tullium, quando infert non exercere opus servile eum, qui sine ulla spe lucri, recreationis causa, die festo laboret; vel qui id faciat animo otium vitandi; vel demum, si ea praestet quae levissimam defatigationem important.

2°. *Tibialia manu texere* opus profecto servile est, sive in se ipso spectetur, sive consideretur communis existimatio et consuetudo. Levis defatigatio, quae in ipso est, efficere quidem potest, ut longiori tempore ex iusta causa permitti possit, minime vero, ut sit simpliciter licitum, cum opus servile non ideo desinat esse.

3°. *Rosaria et Scapularia conficere* opus etiam servile est, si in se spectetur. Etenim parum refert ad ipsam naturam operis, quod Rosaria et Scapularia conficiantur, vel conficiantur e. g. horologii catenulae vel sudariola. Discrimen non est nisi mere materiale. Dicitur *si in se spectetur;* nam in hoc opere facile subintrare potest elementum aliud extrinsecum, illud excusans, nempe pietas; vel illud simpliciter permittens, nempe legitima consuetudo, quae alicubi viget, si haec opera mere ad pietatem fovendam suscipiantur; tunc enim, quamvis ad ipsum opus, in se spectatum, nihil referat, gratis ne fiat an lucri causa; communi tamen opinione et existimatione, ut opus pietatis habetur, proprium monialium, aliarumque piarum personarum, et nullo pacto ut opus servile; puta, si pia haec obiecta, durante Missione, debeant in populum distribui.

4°. *Imagines acu pingere,* ut opus servile haberi non potest. Etenim illi non convenit definitio operis servilis. Et sane opus potissimum est ingenii, et a nobilibus etiam feminis exercetur.

5°. *Typos componere* opus per se servile non est; aequivalet enim scriptioni, et opus est quo potissimum vires animi exercentur. Enimvero, poterit quis, legendi et scribendi nescius, materialiter quidem typographicos characteres varie collocare et distribuere, sed nunquam uti verba efformentur apte sibi cohaerentia. Attamen, si in publica quadam officina exerceatur, opus servile est ex communi aestimatione et consuetudine. Fidelium sensus abhorret ab eo apparatu, qui mercenariam artificis operam praefert, omnesque damnant tales typographos die festo laborantes.

6°. *Artem phothographicam exercere* opus servile non est. Opus ingenii et scientiae est, et exercetur ab ipsis professoribus naturalium scientiarum. Aequivalet praeterea picturae, quae ars liberalis est, quam ipsi nobiles viri non raro exercent. Tandem communi opinione et consuetudine exercitium huius artis non habetur uti prohibitum festis diebus. Opus ad summum servile esse poterit, si vili fiat apparatu, et grosso quodam modo. — Scav. Ed. 12ª. Mediol. 1784. l. 2. n. 93. 244.

DE QUARTO DECALOGI PRAECEPTO

123. — DE FILIORUM OBLIGATIONIBUS

Aloisius nobilis iuvenis, et honestissimis praeditus moribus, summopere desiderat observantissimum Religiosum Ordinem ingredi, ad salutem securiorem reddendam animae propriae. Religiosae Sempronii vocationi obsistit pater, propterea quod, cum occulte plura familiae bona dilapidasset, sperat, fore ut Aloisius, suo ingenio et industria, familiae divitias in pristinum statum et decorem restituat. Accedit, quod frater Aloisii, qui uxorem duxit, et ipse bona suae familiae, vitiosa vita, consumpsit, ita ut fere non nisi necessaria ad sustentationem suae familiae habeat. Hisce non obstantibus, Aloisius, invito patre, religionem ingreditur et profitetur, et ut melius attendere possit chistianae perfectioni, et theologicis studiis, omnem interrumpit epistolarum etiam relationem cum sua familia. Orat quidem Aloisius pro tota familia sua, praesertim pro suo patre et fratre, qui a recto virtutis tramite declinant; quique, ad Deum conversi sincero corde, quamvis in graviorem temporalem necessitatem fuerint deinde prolapsi, sanctissime moriuntur. Notitia affertur Aloisio, a suis Superioribus, et plures ipse missas celebrat pro eorum anima.

Quaer. 1°. *Quaenam sint filiorum erga parentes obligationes? — Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 665. 666. — Ad 2^{um}. Quod Aloisius *religiosum ordinem* ingredi velit, suo utitur iure, cum liber omnino sit quoad electionem status. Laudandus praeterea est primo quidem, quod religionem ingredi velit, et ita amplecti evangelica consilia. Laudandus secundo est, quod velit ingredi *observantissimam* religionem: in ea enim facilius et certius obtinere poterit id quod intendit, *securiorem reddere salutem animae propriae.*

Non tenetur vero Aloisius suo patri obedire, et in seculo remanere, ut familiae divitias, patris culpa dilapidatas, restauret. Enimvero res est primum valde incerta. Praeterea bonum hoc opulentiae et honoris familiae longe inferioris ordinis est ac bonum proprium spirituale aeternae salutis et evangelicorum consiliorum; nec aliunde istud bonum familiae necessarium est, ad ipsius sustentationem. Hinc S. Th. Quodlibet 10. a. 10. inquit: « Si sine eius (filii) obsequio parentes *nullo modo* vivere possunt, tenetur eis servire, et alia opera perfectionis praetermittere.... *Si vero, sine eius obsequio, possunt aliqualiter sustentari, non autem honorifice,* non propter hoc *tenetur opera perfectionis dimittere* ».

Hinc multo minus tenetur Aloisius ab ingressu in Religionem abstinere, ut familiae fratris sui divitias adaugeat, et haec honorifice possit sustentari, quae vitiis et culpa ipsius fratris ad huiusmodi angustias redacta fuit.

Quod Aloisius Religionem ingressus totus detur studio religiosae perfectionis et theologicarum disciplinarum, laudabiliter omnino agit. Etenim « Religiosi dicuntur illi qui, se *totaliter mancipant divino servitio,* quasi holocaustum Deo offerentes..... Religionis status principaliter est institutus ad perfectionem adipiscendam per quaedam exercitia, quibus tolluntur impedimenta charitatis ». S. Th. 2. 2. q. 186. a. 1. Hinc, quod Aloisius nullam amplius velit recipere epistolam suae familiae, *per se loquendo,* laude etiam dignus est. Hoc legimus effectum a S. Ignatio de Loiola, aliisque Sanctis. *Per se loquendo,* difficultas enim pro Aloisio adest.

Enimvero eius parentes, post ipsius ingressum in Religionem et religiosam professionem, in sat gravem incidunt necessitatem. Obligari quidem Aloisius non potest, ut ideo e Religione egrediatur. Verum non videtur, quod possit omnino negligere gravem hanc parentum necessitatem. Angelicus Doctor 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4. ait: « Ille vero, qui iam est in Religione professus, reputatur iam quasi mortuus mundo; unde *non debet* occasione sustentationis parentum *exire claustrum,* in quo Christo consepelitur, et se iterum saecularibus negotiis implicare: *tenetur tamen, salva sui praelati obedientia, et suae Religionis statu, pium studium adhibere, qualiter eius parentibus subveniatur* ». Et Quodlibet 3. a. 16. inquit: « *Debet,* quantum potest, salva Ordinis obedientia, *satagere, ut per se, vel per alium, suis parentibus subveniatur, si in necessitate fuerint constituti* ».

Postremo omni etiam laude dignus est Aloisius, quod pro sua familia, praecipue vero pro patre et fratre ad Deum preces fuderit. Unde magna consolatione debuit affici eorum audiens conversionem, et sanctam mortem. Laudabiliter item se gessit plures missas pro ipsis post eorum mortem celebrando. Atque haec etiam, filiorum cura pro parentibus, in gravi eorum spirituali necessitate, spectat ad amorem, quem filii debent parentibus. Hinc S. Alph. 333. ait: « Graviter peccant filii, negligentes preces et sacrificia offerri pro parentibus..... Graviter peccant, si non curent, ut parentes in articulo mortis constituti suscipiant sacramentum poenitentiae, et alia ».

124. — DE FILIORUM OBEDIENTIA

Alphonsus, iuvenis 21. annorum, ex confessarii consilio, accedit quotidie ad missam audiendam in vicina Ecclesia, singulis vero hebdomadis Marianam frequentat Congregationem, in qua etiam accedit ad sacramenta poenitentiae et eucharistiae. Operam ipse dat studio Iuris Canonici et Civilis; advocati enim professionem, ex naturali inclinatione, amplecti desiderat. Haec omnia displicent omnino eius patri, viro ceteroquin catholico; siquidem multum timet, ne spiritualia illa exercitia noceant corporali sanitati filii. Unde vellet, quod abstineret a quotidiana missa audienda, eamque audiret tantum diebus dominicis et festis, itemque quod non nisi singulis mensibus ad summum accederet ad eucharistiam, ratione ieiunii quod saepe usque ad horam decimam protrahen-

dum est. Item vellet etiam, ut medici potius professionem amplectatur Alphonsus, cum ipse insignis medicus sit, et multos habeat clientes. Haec Alphonsus candide manifestat suo confessario, qui ei respondet, ut habeat patientiam, et patri obediat, quia filius in omnibus patri obedire debet.

Quaer. 1°. *An Alphonsus possit pergere in suis piis exercitiis, et advocati professionem amplecti?* — 2°. *Quid de confessarii responsione sentiendum sit?*

R. ad 1um. Affirmative. Ratio est, quia haec, in casu, non pertinent ad rectam *domus gubernationem,* et ad *rectam educationem filii.* Hinc exercitia illa spiritualia prudenter dirigere ad confessarium spectat non ad patrem. Patris autem timor pro sanitate filii excessivus videtur, et nullo modo fundatus. Item professio eligenda ad ipsum filium pertinet, secundum sua talenta et naturalem inclinationem. Pater hac in re poterit tantum filium dirigere, et prudenti consilio adiuvare, minime praecipere; ubi filius convenientem sibi professionem amplecti velit. Quare Alphonsus, ne desit reverentiae erga suum parentem, quin aperte ei resistat, conetur, suavi modo, ei persuadere rectitudinem suae rationis agendi. I. M. 665.

Ad 2um. Errat in sua responsione confessarius, asserendo filium debere in omnibus obedire parentibus. Etenim, « cum obedientia praelato debeatur, ad illa extenditur debitum obedientiae, ad quae extenditur ius praelationis. Habet autem pater carnalis ius praelationis in filium, primo quidem quantum *ad domesticam conversationem.* Sic enim est paterfamilias in domo, sicut rex in regno; unde sicuti subditi regis tenentur obedire regi in his, quae pertinent ad gubernationem regni; ita etiam *filii et alii domestici* tenentur obedire patrifamilias in his, quae pertinent *ad dispensationem domus.* Secundo, quantum ad morum disciplinam, unde Apostolus dicit, ad Heb. 12., 9., *Patres quidem carnis nostrae habuimus eruditores, et obtemperabamus eis.* Debet enim pater filio non solum educationem, sed etiam disciplinam, ut Philosophus dicit. In his ergo filius tenetur obedire patri carnali, *et non in aliis* ». S. Th. Quodlibet 2. a. 9., 2. 2. q. 104. a. 5.

125. — DE FILIORUM DOMINIO

Virginia, puella modesta et *laboriosa, sedulo in officina patris adstat ad commercii negotia peragenda.* Eius fratres magnas faciunt expensas in ludis et potationibus; immo ipsi parentes, parum providi, omnia in praesenti expendunt, nihil de futuro cogitantes. Hinc Virginia, ut sibi pro futuro provideat, immo ut provideat et ipsis suis fratribus et parentibus, in casu infirmitatis, mortis, alteriusque necessitatis, pecuniam, insciis parentibus, paulatim seponit; et *sua industria utens* iam penes se plura libellarum millia habet. Anxia nunc petit a suo confessario, an tuta conscientia esse possit.

Quaer. 1°. *An, et quale bonorum dominium habeant filiifamilias?* — 2°. *Quid Virginiae respondendum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 666. seqq. — Ad 2^um^. Quatenus Virginia pecuniam non sibi, sed toti familiae seponit, ut necessitatibus praesertim parentum, tempore opportuno, subveniat, certe tutâ esse potest conscientiâ; immo prudens haec virgo laudanda. Ratio est, quia ita agens, nihil sibi retinens, sed totum in familiae et parentum utilitatem expendens, non solum nulli facit iniuriam, sed bonum etiam totius familiae et parentum procurat. Et sane, si non peccat uxor, subducendo aliqua pro victu, vestibus, ceterisque familiae necessariis, quae mariti saepe non curant, et frustra ab illis peterentur; si uxor aspiciens maritum in detrimentum familiae bona dilapidare, potest ea abscondere et in bonum familiae reservare, ut habet theologorum doctrina, cur id ipsum non poterit filiafamilias, mortua matre, e. g. vel si mater et ipsa se sociaret marito ad omnia familiae bona dilapidanda? Cf. Gury Comp. 554.

Quatenus vero Virginia pecuniam etiam sibi seponat, ut sibi pro tempore futuro, mortuis parentibus, provideat neque inquietanda videtur, licet res maiorem facessat difficultatem. Etenim, si uxor, quae dotem attulit valde exiguam, clam et paulatim pecunias marito diviti et avaro subtrahere potest ad alendam matrem valde pauperem ac miseram, licet sciat maritum hoc aegerrime laturum, si cognosceret; si idem potest uxor ad honeste vestiendum filium, quem ex priori matrimonio habet, cui maritus praeter alimenta necessaria vix aliquid aliud vult concedere; si tandem idem etiam licet uxori ad sibimetipsi providendum pro futuro, ne necessariis careat ad decentiam sui status servandam, ut habet etiam theologorum sententia, idem profecto videtur concedi posse filiaefamilias. Cf. Gury Cas. V. 1. n. 560. 561. Et ratio in promptu est: etenim, ideo tali miserae uxori indulgendum est, si matri suae egenti, vel filio ex primo matrimonio orto opituletur, quia maritus non potest ea in re esse rationabiliter invitus. Ideo autem eidem indulgendum est, si et sibi pro futuro provideat, maritum aspiciens multo seniorem, infirmum, eumque certo sciens, nihil sibi donaturum, quia vir uxori in iis circumstantiis providere debet. Porro utraque haec ratio pro uxore militans, et pro filiafamilias, in iisdem constituta angustiis, valere videtur. Caveat igitur Virginia, ne coeca passione ducatur; si tamen res *certo constet*, non videtur ad restitutionem teneri, si tamen id quod rationabiliter sibi necessarium est, non excedat. Praesertim vero indulgentiam infelix Virginia meretur, si dum sibi non nisi necessarium seponat, labore omnino *indebito* utatur. Aliquid enim *industriae* ipsius *extraordinariae* debetur; fructus autem industrialis, ei qui industria utitur debetur.

Contrariam opinionem tenet P. Gury, Cas. Consc. V. 1. n. 503., qui consequenter dum uxori in simili casu constitutae indulgendum censet, loco supra citato, filiamfamilias vero a peccato mortali per se excusari non posse arbitratur. Ratio autem, quam affert P. Gury est « quia furtum in materia gravi commisit erga parentes rationabiliter invitos ». Verum id est, quod praecise in nostro casu negari potest, parentes nempe *rationabiliter* esse invitos. Etenim, si, in simili casu, maritus non est *rationabiliter* invitus erga uxorem; cur parentes rationabiliter inviti es-

sent erga filiam? — Obiicit autem sibimetipsi P. Gury l. c. n. 504.: « Iuxta auctores *plures, valde graves,* filiosfamilias in simili casu saltem mercedem famulo debitam mereri ». Respondet ipse, « illam doctrinam esse periculorum plenam, nec facile in praxi tolerandam ». At eandem istam doctrinam idem P. Gury in Compen. V. 1. n. 547. affirmat « *sat probabilem* apparere », et ob illam ipsam rationem, modo allatam, « quia filius non est peioris conditionis, quam famulus ». Sedulo quidem notat statim in eodem Comp. l. c., « in praxi recedendum non esse a sententia negante ». At, ut bene animadvertit P. Ballerini, « cum oppositam alioqui fatetur esse probabilem, non ita intelligendus est, quasi debeat, aut etiam possit cuiquam imponi obligatio; nam confessarius non est legislator, nec habet potestatem imponendi aut indicendi certam obligationem, quando haec est incerta: et incerta sane est, quando probabile est, eam non existere. Hoc itaque auctor tantum innuit, prudenter suadendam illam praxim; prudenter, inquam, ne dum hallucinationes timet in poenitente, ipse gravius hallucinetur, et sic poenitentem non iniusta utilitate privet ».

Quaestio ergo est prudentiae, non liceitatis. Neque vero valet obiicere contra allatum argumentum ex illo uxoris casu, non adesse paritatem; siquidem bona quae subtrahit, utpote communia et sibi et marito, non sunt tantum mariti sed etiam sua. Contrarium enim aperte habet P. Gury l. c.; indulgendum enim ait tali uxori, « si maritus esset multo senior, infirmus, et si constaret eum nihil uxori indigenti donaturum esse, quia vir uxori in iis circumstantiis providere debet ». Illa ergo bona, quae uxor subtrahit, bona mariti sunt non sua. Et confirmatur: statim enim pergens P. Gury haec subdit: « *A fortiori* non esset damnanda uxor, quae dum vir familiae substantiam dissiparet, pecuniam subduceret, et servaret pro filiis, vel etiam pro se, *si bona communia cum marito haberet* ». Nullo pacto ergo de communibus bonis agebatur.

Postremo, cum idem P. Gury in duobus casibus, immediate praecedentibus, 449. 502., tam facilis sit cum filiofamilias, non apparet, cur tam difficilis sit in casu sequenti pro filiafamilias. Nam, in primo illorum casuum, agitur de filio, qui post mortem patris remanet cum duabus sororibus in domo paterna, et solus prosequitur patris commercium cum notabili lucro; et P. Gury ait: « Leopoldus, qui non tantum aequalem pecuniae partem, sed etiam ipse solus totum laborem ac industriam contulit, maiorem partem de lucro memorato sortiri debet. Licet enim lex civilis huiusmodi casum non excipiat, videtur tamen dari locum alicui epicheiae, saltem *pro rata laboris extraordinarii et indebiti,* de arbitrio viri probi et periti. Si autem ius certum et evidens habeat ad aliquam compensationem, rigorose loquendo, eam occulte facere posset, si alio modo, id ad quod ius habet, repetere nequeat ». Auferatur *Leopoldus,* ponatur *Virginia,* et certe eadem remanet conclusio. — In altero vero casu agitur de filiofamilias, qui negotiatur cum pecunia patris, et lucrum inde percipit, et P. Gury ait: « Neque tenetur Marius restituere lucrum, quod negotiatione privata comparavit, quia *industriae ipsius extraordinariae* tribuendum est; fructus autem industrialis ei, qui industriae studuit, debetur ». Dicatur non Marius, sed Virginia, et eadem etiam hic manet conclusio. Quod enim Virginia illam

extraordinariam industriam non exerceat, ut Marius extra domum paternam, patre inscio, sed in domo paterna, parentibus praesentibus, hoc certe non immutat naturam et dominium fructus huius industriae. Res enim semper et ubique fructificat domino suo. Minor autem adhuc pro Virginia esset difficultas, si, ut ex ipso casu satis erui potest, ipsa non esset amplius *minor,* sed *maior :* ac nulla prorsus difficultas esset, si ipsa esset in bonis separata a patre et a familia ; si *non nomine patris,* vel *nomine familiae, neque ope communis pecuniae,* sed *nomine proprio* laboraret, et *propria pecunia,* ex servata, e. g., Virginiae *parsimonia,* quae satis ex casu in Virginia apparet. Fructus enim parsimonialis ex illis, quae ipsi omnino debentur, in familia, ut fratri, suus prorsus est.

126. — DE PARENTUM OBLIGATIONIBUS

Melania, vidua, duos habet filios ; unum valde diligit, alterum vero vix videre potest, hunc enim ipsa non lactavit. Quamvis iste bonae sit indolis, et non communis ingenii, mater erga eum naturalem experitur antipathiam, quam, ut ipsa ait, vincere non potest. Unde est, quod constanter eum verbis reprehendat, iniuriis et etiam verberibus afficiat. Alterum vero filium, quem ipsa lactaverat, licet sit pravae indolis et satis mediocris ingenii, omnibus cumulat blanditiis. Manualia dona continue ei largitur, obiecta ei dat pretiosa, notabiles pecuniae summas, et etiam parvam quandam villam, ab ipsa emptam, et quam simulat illi ab avunculo donatam. Quin imo in suo testamento *reliquam* partem disponibilem huic totam assignat.

Quaer. 1°. *Quaenam sint parentum erga filios obligationes?* — 2°. *An Melania in casu peccaverit ?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 671. seqq. — Ad 2^um^. 1°. Dubium esse non potest, quin Melania, ea agendi ratione peccet, et peccet graviter contra pietatem. In correctione enim et castigatione sui filii graviter moderationem excedit, et in eis nullo ducitur honesto motivo boni erga filium, sed ex naturali et inordinata passione ; quam utique vincere forte non potest, quatenus eam non possit in se exstinguere ; sed vincere certe potest, quatenus non agat secundum eam, sed secundam rectam rationem. Tam pertinax Melaniae agendi ratio grave tandem damnum suo filio inferre potest. *Vos patres,* ait Apost., *nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Ad Eph. 6., 4. Immoderata castigatio filiis multum nocet. Eos reddit morosos, stupidos, pusillanimes, et quandoque desperatione affectos. Pro amore parentibus debito contemptum ei odium parere solet. Reuter Neoconfessar. P. 2. 6. 4. q. 3. n. 9., Gur. Comp. 375.

2°. In donis illis, quae alteri suo filio Melania modis omnibus elargitur, graviter etiam peccat contra caritatem ; nam ex animi aversione ducitur contra alium suum filium, cui, tam excessivis donis, malum causat. Ex hac autem personarum acceptione grave etiam, lapsu temporis, exoriri potest dissidium et discordia inter duos fratres. Peccetne etiam graviter contra iustitiam legalem et commutativam ? Negandum videtur. Nam per varios actus inter vivos et per testamentum non nisi partem

disponibilem praedilecto suo filio donat et legat. Quare, si intacta remaneat alterius filii *legitima,* eximenda Melania videtur a gravi peccato contra iustitiam. Secus autem esset, si hanc *legitimam* partem laederet, et alter filius tunc, post eam iam acceptam, ad restitutionem teneretur, verum non ante iudicis sententiam. « Notandum autem, ait S. Alph. l. 3. n. 740., quod donatarius ante sententiam iudicis nihil tenetur restituere filiis ». I. M. 673.

127. — DE CONIUGUM OBLIGATIONIBUS

Philemon, uxoratus, peregrinationem Romam et Hierosolymam instituere cogitat. Desiderium suum Annae uxori manifestat, quae aperte asserit, se esse omnino invitam. Hinc Philemon quaerit a suo confessario, an, non obstante uxoris manifesto dissensu, discedere possit.

Quaer. 1°. *Quaenam sint coniugum obligationes?* — 2°. *Quid respondendum sit a confessario?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 674. 675., V. 2. n. 1051. 1052. — Ad 2^{um}. Confessarius respondere debet, non posse discedere. Adest enim gravis obligatio individuae vitae consortii; neque ratio, in casu, merae devotionis eum excusat a tali obligatione. Neque vero tenetur uxor, in hoc casu virum sequi cum hoc grave omnino sit mulieri. Hinc est, quod uxor possit etiam irritare votum a viro emissum longae peregrinationis, cum graviter sibi hoc votum praeiudicet. L. 235. Enimvero ea, quae sunt *necessitatis* non sunt praetermittenda propter ea, quae sunt propriae *voluntatis*. Unde etiam Dominus, Matth. 15., 13. seqq. reprehendit Pharisaeos, qui docebant praetermittere mandatum de honoratione parentum, ut aliquae voluntariae oblationes Deo offerrentur. Ex necessitate autem viro imminet, ut gerat curam uxoris, et cum ea cohabitet. Sed quod piam peregrinationem suscipiat, subiacet propriae voluntati. Verum, si sit de necessitate Ecclesiae, quod vir talem suscipiat peregrinationem, uxor tunc consentire in eam tenetur. S. Th. Quodl. 4. a. 11., S. q. 64. a. 6. ad 1.

128. — DE CONIUGUM DOMINIO

Polydorus, rem familiarem male gerens, mutuam petit pecuniam, ut possit *commercium,* quod ipse exercet, continuare. Eam quidem libenter dat Polydoro Aurelius, eius amicus; sed exigit, quod debitum etiam subscribat eius uxor Apollonia. Timens Apollonia, ne res male succedat, renuit omnino, sed precibus Polydori pressa, debitum subscribit. Paulo post moritur Polydorus, aere alieno gravatus. Solutionem debiti repetit Aurelius ab Apollonia ex eius dotalibus bonis. Cum agatur de ingenti pecuniae summa, tota familia gravissimae exponitur miseriae. Consulit Apollonia Philetum advocatum, qui statim ait, eam ad nihil teneri, secundum legem, cum eius privata subscriptio a lege non admittatur, neque posse ullum detrimentum inde timere, cum, si res coram iudice tractaretur, pro ipsa certe sententia esset ferenda. Hinc, subdit Philetus, rem alto premet silentio ipse Aurelius. Apollonia, scrupulis agitata, a suo confessario petit, an tuta conscientia stare possit consilio advocati, Phileti, optimi catholici.

Quaer. 1°. *Quaenam sint coniugum iura et obligationes circa bona?* — 2°. *An Apollonia teneatur ad debita solvenda mariti ex suis bonis dotalibus?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 677. seqq. 868. — Ad 2um. Negative. Etenim ex C. I. 1407, *nulla est alienatio et obligatio dotis quamvis coniuges consentiant, nisi in ipso contractu matrimoniali permissa fuerit, et praescriptae formalitates impleantur.* Ita etiam ex C. G. 1554. Huiusmodi leges, cum iustae sint; sunt enim directe propter publicum bonum; et cum sint definitivae et constitutivae iuris proprietatis, in conscientiae foro effectum habent et obligant. Apollonia igitur beneficio legis uti potest. Quin imo, si Apollonia, durante matrimonio, incaute permiserit marito dotis partem detrahere ad aliquem ineundum contractum, vel ad debita solvenda, ius habet ad obtinendam contractus rescissionem, vel compensationem pro *detrimento* doti illato; dos enim uxoris alienari non potest. — I. M. 677. 678. 953., Lig. 354., G. 506.

129. — DE UXORIS LUCRO

Felix sartor, propriam habens Neapoli officinam, matrimonio iungitur Felicianae sartrici, propriam etiam habenti officinam, absque ullo maritali contractu. Felix, durante per plures annos matrimonio, lucratur quinquaginta mille libellas. Feliciana vero lucratur nonaginta mille libellas. Capitali, communi consensu, unico constituto, pro commodiori eius administratione, ex eius fructibus ambo coniuges sustentantur, et plura peragunt pia opera, et eleemosynas largiuntur. Interim Feliciana, volens, pro futuro mortis casu, testamentum condere, cum harum rerum ignara sit, confessarium adit ab eo petens, utrum testari possit, et possit suo testamento relinquere 30,000. libellas suo marito superstiti, 30,000. libellas suae sorori, 10,000. mille libellas sacello Beatae Mariae Virginis, 10,000. libellas Patribus Capuccinis, 5,000. libellas pauperibus loci, 4,000. libellas pro anima sua, ut missae pro ea celebrentur, 1,000. tandem libellas, ut singulis annis decem missae pro ea in perpetuum celebrentur in *Ecclesia parochiali.*

Quaer. 1°. *An uxoris proprium sit id, quod ipsa propria industria lucratur?* — 2°. *Quid Felicianae sit respondendum?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 677. 4°. — Ad 2um. Summa illa 900,000. libellarum quam sua singulari industria Feliciana lucrata est, exercendo artem sartricis ad Felicianam integra spectat. Summa illa neque dotem et bonum dotale constituit, neque bonum commune. Nulla enim in matrimonii initio constituta fuit dos, et nullus contractus initus de communitate bonorum. C. I. 1388. 1425. 1433. Praeterea eam summam Feliciana lucrata non est *communi cum coniuge labore,* sed ex sua singulari industria, et extraordinario ac proprio labore. Quare huiusmodi summa bonum constituit extradotale et omnino Felicianae proprium. Quod autem ex 50,000. libellis Felicis et ex 900,000. libellis Felicianae

unicum confectum deinde fuerit Capitale, hoc fuit tantum pro *commodiore administratione,* adeoque duo illi coniuges, domini permanserunt, singuli, proprii Capitalis. Quare Feliciana bene per testamentum disponere potest de tota illa summa. — I. M. 677.

Quoad autem testamentarias dispositiones, quas Feliciana facere sibi proponit, haec notanda sunt.

1°. Ut ex casu erui videtur, Felix et Feliciana Itali sunt. Feliciana igitur, secundum Cod. Ital., testari potest de suis bonis, neque ad testandum consensu indiget sui mariti, vel iudicis decreto. I. M. 1037.

2°. Coniux, incapax accipiendi hereditatem lege non declaratur. Si coniux testator non relinquat ascendentes et descendentes, qui habeant ius ad *legitimam,* alter coniux ius habet ad usufructum tertiae bonorum partis. C. I. 814. Feliciana, ut ex casu apparet, neque ascendentes neque descendentes habet. Pars autem relicta Felici *legitimam* superat. Quare, cum non solum non laedantur iura Felicis, sed e contra longe plus accipiat quam ei debeatur, Felicianae dispositio potest in testamento consignari. I. M. 1043.

3°. Secundum civilem legem, nulla quidem est obligatio, haeredes vel legatarios instituendi fratres et sorores. Quin immo haec obligatio neque adest secundum legem naturalem, et in foro conscientiae, nisi in gravi versentur necessitate; quo in casu, sufficit illis tantum relinquere quantum sufficit ad eorum indigentiam levandam. Nihil igitur notari potest contra Felicianam, si alios fratres et sorores non habeat; vel, si habeat, indigentes isti non sint. Ad eius autem legatariam sororem quod attinet, Feliciana usa est iure suo, cum libere omnino de suis bonis Feliciana disponere possit, praeter usufructum marito ex lege debitum, siquidem heredibus necessariis caret. I. M. 682. 1040.-1042. 1044.

4°. Valet omnino legatum 10,000. libellarum pro Sacello B. Mariae Virginis tanquam pium legatum, quod non nisi Iure Canonico regitur. Neque vero ex lege civili haec dispositio pati potest ullam difficultatem; siquidem hic non agitur *de dispositionibus ordinatis ad instituendum beneficia simplicia, vel capellanias laicales, vel alias similes fundationes,* quas art. 833. nullas declarat. Gubernii tamen permissione opus est. C. I. 1060. Quare etiam haec dispositio poterit in testamento consignari. I. M. 1039. Verum ad evitandam omnem difficultatem ex parte huius permissionis, et cum, generatim loquendo, legata pia saepe civilium legum irritationi subiaceant, quia ea considerantur, ut entia moralia autonoma, quae a lege non approbantur, loco legandi praedictam summam Sacello B. Mariae Virginis in testamento, legetur Ordinario loci, eius nomine et cognomine expresso, et praevie, particulari epistola, eidem significetur destinatio huius pii legati.

5°. Valet legatum in favorem monasterii PP. Capuccinorum, quippe qui legatum ad instar eleemosynae recipere possunt. Sed ex lege civili gravis esse poterit difficultas, cum incapacia sint Instituta, Congregationes, et aliae fundationes, quarum existentia non est legaliter probata. Quin imo, corpora moralia, licet sint legaliter recognita, Superiorum indigent venia. C. I. a. 2., Lex 5. Iun. 1850., Decr. 26. Iun. 1864. Verum Religiosi, ex C. I., etiamsi sint professi, incapaces non sunt, neque ad testandum, neque ad haereditatem acquirendam. Quare poterit Feliciana relinquere 5,000. libellas alicui determinato Patri, e. g., P. Philippo a

Neapoli vel alteri, schedula eidem privatim tradita, et in Archivio monasterii conservanda, qua declaret eius mentem circa illud legatum in favorem monasterii. I. M. 1038. 1039.

6°. Neque vero ulla esse poterit difficultas, ex parte etiam civilis legis, quoad legatum 5,000. libellarum *pro pauperibus loci.* Haec enim dispositio expresse approbatur art. 832. Verum haec dispositio ex eodem art. devolvitur Instituto locali caritatis. I. M. 1039. Quare si velit, ut a parocho, e. g., inter praesentes pauperes distribuatur, legetur determinatae alicui personae, quae fiduciam mereatur; et, viva voce, vel melius schedula quadam, scripto, illius summae destinatio significetur. — Ceterum dispositio, qua testator assignat Ecclesiae parochiali determinatum reditum, constitutum schedulis debiti publici, cum obligatione quod parochus illum annuatim distribuat pauperibus paroeciae, iuridice valet. Itemque valet clausula resolutiva favore parentum, cum ex quacumque causa non possit amplius legatum impleri. Valet iuridice legatum in favorem consanguineorum pauperum testatoris. Legatum enim incertum non est, cum facile duplex illa qualitas certificari possit.

7°. Dispositio in favorem eius animae facta 4,000. libellarum valet, et ex ipsa civili lege admittitur. Felicianae enim dispositio nullo modo perpetua est, neque est *generice expressa,* sed omnino precaria est, et determinata est quoad eius scopum. I. M. 1039.

8°. Tandem valet etiam, ex ipsa civili lege, illa ultima dispositio fundationis decem missarum in perpetuum. Non enim hic agitur, vel de beneficio, vel de capellania, vel *simili fundatione.* Neque vero de opere pio *generice expresso* agitur, sed omnino determinato, C. I. 832., I. M. 1033. Legata autem facta Ecclesiae parochiali pro cultu et suffragiis, per testamentum mandata, iuridice valent. Testator enim non creat ens autonomum, sed legat tantum Fabricae parochiali bona quaedam cum obligatione huiusmodi onerum. Attamen bona immobilia legata a Demanio convertuntur, et respondens reditus ab eodem Fabricae solvendus est. — Iuridicum item habet valorem testamentum, quo testator imponit haeredi onus dandi parocho, vel aliis celebrantibus ab ipso testatore designatis, vel ab alia persona designandis, annuatim et in perpetuum determinatam quandam pecuniae summam pro officiis et missis celebrandis in suffragium animae suae. Cassaz. di Roma 10. Maggio 1882., Cassazione di Napoli 17. Dic. 1880.

9°. Haeredem in testamento nominet Feliciana coniugem vel sororem, et haeredi imponat *onus* reliquas exequendi pias dispositiones. Sic enim dispositiones erunt firmiores; erit enim dispositio testamentaria *sub modo.* Verum si Feliciana velit omnino certa esse de impletione suae voluntatis, ad pia legata quod attinet, multo melius est, quod, durante eius vita, de manu ad manum ipsamet ea Episcopo tradat, ut deinde ad destinatum scopum applicentur. — M. E. V. 4. P. 2. p. 103. seqq., V. 2. P. 2. p. 190.

130. — DE UXORIS CONTRACTU

Romanus et Romana, coniuges, bonis separati, administrationem suorum bonorum tradiderant filio primogenito Petro. Porro publicae venditioni exponebatur ampla et antiquissima quaedam villa. Romana de-

siderans eam emere, mandatum dedit Petro, ut eam suo nomine, suaque pecunia, emeret. Verum in eo momento non reperiebatur, in arca administrationis matris, pecunia numerata sufficiens. Valde cupiens Petrus morem gerere suae matri pecuniam sumpsit ex arca administrationis patris, eaque pecunia villam emit. Postquam iam contractus perfectus fuerat, Romanus rescit, adhibitam esse ad eam emptionem suam pecuniam, unde contendit emptam villam esse suam, quamvis integra restitutio pecuniae iam esset facta ex arca administrationis Romanae in arcam administrationis Romani.

Quaer. 1°. *An uxor contractus inire possit?* — 2°. *Utrum villa sit Romanae, an Romani?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 678. 953. — Ad 2^um^. Villa Romanae est. Empta enim est suo nomine, et ex suo mandato. Ipsa ergo est, quae emptionis contractu eius dominium acquisivit. Neque vero obest, quod emptio facta sit cum pecunia aliena. Etenim non est pecunia, quae acquirit dominium personae; sed est persona emptoris, quae per pecuniam, in emptione, actu suae voluntatis, dominium acquirit, quod a venditore in ipsam transfertur. Et sic acquiri potest rei emptae dominium, *etiam nondum soluto pretio.* C. I. 1448. 1507. seqq. Id praeterea constat etiam ex L. 1. Cod. tit. *Si quis alteri, vel sibi, sub alterius nomine, vel aliena pecunia, emerit:* « Si pecunia patris fundus, mancipiaque comparata sunt, tamen cum emptiones matris tuae nomine factas esse proponas, ignorare non debes traditione matrem tuam dominam esse constitutam ». Itemque L. 2. et 8. e. t., et 6. Cod. tit. *De rei vindicatione:* « Si ex ea pecunia, quam deposuerat is apud quem collocata fuerat, sibi possessiones comparavit, ipsique traditae sunt, tibi vel omnes tradi, vel quasdam ex his compensationis causa ab invito eo in te transferri iniuriosum est ».

131. — DE IURE SUCCESSIONIS EX MATRIMONIO VEL TANTUM ECCLESIASTICO, VEL TANTUM CIVILI

1°. Titius prius contraxit matrimonium dumtaxat *ecclesiasticum* cum Bertha, ex qua filios procreavit. Dein relicta familia, *civiles* nuptias inivit cum Caia, ex qua alios genuit filios. Morti proximus testamentum condidit, in eoque de Bertha eiusque filiis ne verbo quidem facto, totam hereditatem Caiae eiusque filiis attribuit. *Ad quid hi haeredes in conscientia tenentur?*

2°. Caius, cum filiis ex matrimonio solum *ecclesiastico* susceptis, moritur intestatus: et sic haereditatem ad eiusdem collaterales civiliter devolvitur. *Quid de istis in conscientia?*

3°. Seia, cum non posset, post contractum matrimonium *ecclesiasticum* cum Titio, hunc inducere ad actum *civilem* complendum, surripit aliquid de eiusdem bonis, ut se compenset de parte legali, quam in ipsius morte non poterit consequi. *An possit iuste ita se gerere in conscientia?*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Quaer. *Quid ad varios casus sit respondendum?*

R. *Ad Civilem Legem quod spectat,* haec in antecessum notanda sunt: 1°. Leges Civiles, definitivae iuris, et translativae dominii proprietatis, obligant in conscientia. Huiusmodi autem sunt leges, quae definiunt *haeredum necessariorum legitimam, et legitimam successionem haeredum legitimorum.*

2°. Leges interpretandae sunt convenienti modo, si id sit possibile, et trahendae non sunt ad iniquam et iniustam dispositionem, si id non sit necessarium. Porro lex *matrimonii civilis, si de vero ineundo matrimonio intelligatur,* ubi Conc. Trid. est promulgatum, iniqua et iniusta est, et tunc non est attendenda. Nullum enim legitimum *ius* profluere potest ex lege, quae est contra *ius* naturale et divinum, et quae non ex usu legitimae auctoritatis, sed ex eius abusu est. Sed haec interpretatio necessaria non est. *Intelligi enim potest tantum de exteriori quadam forma, ut constet de vero matrimonio in ordine ad eius effectus civiles,* qui non nisi *a vero matrimonio* dependent, eo ipso quod *effectus civiles matrimonii* sunt; minime vero ab illa forma legali, quae est tantum *ad probationem veri matrimonii.* — Praeter hanc communem et extrinsecam rationem, ratio etiam adest propria et intrinseca huius interpretationis. Etenim primo, ea lex de civili matrimonio fundamentum habet in potestate, quam habet Civilis Auctoritas *civiles matrimonii effectus regendi.* Ergo, si *effectus,* suam causam supponit, ea lex intelligi non potest, nisi de *vero matrimonio,* h. e. de mera Declaratione seu Probatione civili *veri Matrimonii.* Insuper ipsa lex distinguit inter *matrimonium, concubinatum,* et *adulterium;* et quod amplius est, inter matrimonium *validum* et *nullum.* Ergo iterum non nisi de *vero matrimonio,* h. e. de Probatione et Declaratione *veri matrimonii* intelligenda est. — Insuper Leges Civiles, aliae sunt ab Ecclesia probatae et obligant, aliae ab Ecclesia reprobatae et non obligant, aliae nec approbatae nec reprobatae, quae in particulari sunt examinandae quoad vim et naturam obligationis definiendam. Porro Lex Matrimonii Civilis, *si* iterum *de vero ineundo Matrimonio intelligatur,* ab Ecclesia pluries est reprobata. *Si* vero *intelligatur* tantum *de legali forma, et probatione civili matrimonii,* sic ea Lex nunquam fuit reprobata, imo positive approbata est. Neque vero *alio sensu* ea lex approbatur, nisi quatenus possit Civilis Auctoritas disponere *de civilibus effectibus matrimonii, veri* nempe *matrimonii.* Cf. Epist. Leonis XIII. *Il Divisamento* 8. Febbr. 1893. ad Card. Episcopum Veron. et ad Episcopat. Venet. circa schema Legis de praecedentia civilium formalitatum quoad matrimonium religiosum.

3°. Operae pretium est referre verba quaedam laudat. Epistolae, quae maxime ad rem faciunt: « Non è inopportuno dichiarare anche una volta, che il potere civile disponga pure *dei civili effetti* DEL MATRIMONIO, ma lasci alla Chiesa ciò che riguarda il matrimonio in se stesso; AMMETTA IL FATTO DEL VERO E LEGITTIMO MATRIMONIO, quale fu istituito da Gesù Cristo, e dalla Chiesa praticato, E INDI PRENDA LE MOSSE a concederne o negarne *gli effetti, che ne conseguono* nella civil comunanza ». Reprobat inferius Summus Pontifex Civilem Legem hac eadem in re, quae facere quidem non posset, ut *nullum* sit matrimonium, legitime

contractum; « poichè trattasi di diritto naturale e divino, contro il quale non vi è potestà al mondo, che possa prevalere: metterebbe però in opera tutti i mezzi per farlo considerare come nullo *per impedirne i doveri,* E FRUSTRARNE GLI EFFETTI, CHE LEGITTIMAMENTE NE CONSEGUONO ». Ac huiusmodi *effectus civiles* deinde Summus Pontifex asserit *unice* ad Civilem Statum pertinere, *ac sufficienter fuisse quoad ipsos provisum a Statu,* etiam ultra modum, *per Matrimonium Civile,* quin praecedentia quoque eiusdem Matrimonii imponatur.

4°. Eadem animadversio facienda est quoad Legem Civilem, constituentem *legitimam,* in dispositione *testamentaria,* et *legitimam successionem,* in dispositione *legitima,* in favorem *coniugis* et *legitimorum filiorum.* Cf. C. I. 721. Haec lex pia et iusta est, et pie et iuste intelligenda est non nisi *de vero coniuge,* et *de filiis,* ex *vero matrimonio natis,* qui *vere et unice legitimi* sunt, et appellantur. Impie vero et iniuste intelligeretur de concubina adultera, et adulterinis filiis, quos ipsa lex punit et excludit a qualibet successione. Neque vero convenienter et honeste eadem Lex intelligeretur de concubina simpliciter fornicaria, et fornicariis filiis; neque cohaerenter etiam ita ea Lex intelligeretur, cum Lex ipsa distinguat inter filios mere naturales, extra matrimonium natos et filios legitimos, natos ex matrimonio. Insuper Lex hic disponit reapse de *effectibus civilibus matrimonii.* Praesupponit ergo *verum matrimonium,* adeoque *de filiis vere legitimis, et de vero coniuge* agit. Cf. Tit. *Qui filii sint legitimi.*

Ad legem Naturalem quod attinet, 1°. nullum *ex Lege Naturali* et ex *stricta iustitia* collateralibus, et ascendentibus ius competit; sed tantum *ex Lege Civili, in caritate et pietate fundata.* Quare, deficiente Legis Civilis assistentia, et legitima successione, deficiente etiam pro eis testamentaria dispositione, non possunt ascendentes et collaterales excludere *a testamentaria successione* coniugem et filios, sive adfuerit tantum matrimonium civile, sive adfuerit tantum matrimonium ecclesiasticum. Hi enim legitime in utroque casu succedunt, tanquam haeredes saltem *voluntarii,* si pro eis adfuerit *testamentaria dispositio.* Si vero defuerit *testamentaria dispositio,* et adfuerit matrimonium tantum civile, legitime etiam succedunt, tanquam *voluntarie vocati* ad haereditatem ab ipso testatore, qui matrimonium iniens civile, et moriens *ab intestato,* iam censetur uxori et filiis, ex civili matrimonio, iura largiri, secundum ipsas leges, cui sese remittit. Si iterum defuerit testamentaria dispositio, et simul matrimonium civile, sed adfuerit tantum matrimonium canonicum, tunc ex Lege Naturali ascendentes et collaterales nullum habent ius ad successionem neque ullum habent ius ad successionem ex Lege Civili; siquidem vere *legitima* adest coniux, vere *legitimi* adsunt filii; quibus, in casu, ipsa Lex Civilis assistit.

2°. Coniux et filii, ut plures existimant, nullum habent ex Lege Naturali ius strictum et ex iustitia ad successionem, sed tantum ex Lege Civili, in aequitate et pietate fundata. Alii e contra tenent coniugem et filios habere ex ipsa Lege Naturali ius ad successionem. Verum hi, qui ita opinantur, reapse reincidunt in priorem opinionem. Nam convenire tandem necessario debent in hoc, quod huiusmodi ius, *ius in re* non est, sed *ad rem;* ius nullo modo est *ex stricta iustitia,* sed *ex pietate* tantum ortum, et *in pietate* fundatum; cui consequenter *naturalis* accedit

aequitas. Hoc autem ius neque certe *ad totam haereditatem* est, neque *ad hanc praecipuam partem* haereditatis, sed *ad aliqua* tantum *bona, ad alimenta* nempe *et debitam providentiam*, si his indigeant. Quare, deficiente Legis Civilis assistentia, nihil aliud, etiam ex Iure Naturali, praetendere possent. Lex autem civilis ad *legitimam successionem* admittit coniugem et filios, *legitimam* autem constituit pro filiis, non semper vero pro coniuge. Codex tamen Italicus *legitimam* etiam coniugi assignat.

Hinc ad 1^um^. Casum respondetur: Bertha eiusque filii ius habent ad totam haereditatem, *vi legitimae successionis,* secundum Legem Civilem. Testamentum enim in favorem Caiae adulterae, et filiorum adulterinorum, praetermissis legitima uxore et legitimis filiis, nullius roboris est quoad filios adulterinos, ipsa lege declaratos incapaces, et quibus tantum debentur *alimenta,* C. I. 767. Quoad Caiam vero adulteram plus ipsi, *vi dispositionis testamentariae,* deberi non potest, quam si esset legitima coniux Titii, quod excedere non potest in casu portionem unius e filiis, intra limites tamen partis *disponibilis,* C. I. 770., CC. 10. 13. *Qui fil. sint legit.*

Ad 2^um^. Collaterales Caii nullum habent ius ad haereditatem Caii, neque *vi testamentariae dispositionis,* quae locum non habuit, neque *vi legitimae dispositionis;* siquidem, cum adsunt *legitimi filii,* vel *legitimi filii et legitima coniux,* ut in casu, collaterales excluduntur.

Ad 3^um^. Seia, in casu, inquietanda ex dictis non videtur. — Cf. Gennari Consult. etc. Cons. 24. 27, Scav. 1. 4. n. 560. cas. 6.

132. — DE SUCCESSIONE FILIORUM ADULTERINORUM SACRILEGORUM

1°. Aristides uxoratus, et legitimos habens filios adulterium cum Vincentia commisit, ex qua filium et filiam habuit. Res est occulta et manet; Vincentia enim mortua est antequam adulterini filii ad usum pervenerint rationis. Providit autem Aristides sustentationi et rectae educationi suorum filiorum, tanquam orphanorum sibique extraneorum omnino, filium collocando in quodam Collegio Religiosorum, filiam vero in Monialium Domo. Hinc filius, iam grandior factus, sacris ordinibus initiatur, eique Aristides patrimonium constituit; filia vero nuptias contrahit, eique constituit convenientem dotem. Testamentum vero condit Aristides, et partem disponibilem utrique, filio et filiae, relinquit, opus simulans caritatis erga derelictos orphanos, quos etiam commendat suo executori testamentario.

Quaer. *An recte egerit Aristides?*

R. Recte sane egit Aristides providendo *sustentationi* suorum filiorum adulterinorum. Etenim de iure naturae est, ut filii alantur a parentibus, quamvis sint illegitimi, quia semper filii sunt. Si, attenta generatione, omnes eodem modo sunt filii, consequens est, quod, si parentes, quia sunt principium generationis, causa et auctores filiorum, debent ex iure naturae filiis legitimis alimenta, eodem pariter iure, eademque ratione, eadem subministrare debent quibuscumque illegitimis, respectu quorum habent eandem rationem principii et sanguinis coniunctionem.

Hinc contraria Iuris Romani dispositio, Auth. *Ex complexu,* C. *de incest. et inutil nupt.,* Auth. *Quibus modis naturales efficiuntur sui* Cap. fin., correcta est per Ius Canonicum C. *Cum haberet, de Eo qui duxit in matrimonium* etc., C. *Per venerabilem, Qui filii sint legitimi.* Iure autem civili recentiori huiusmodi filiis adulterinis alimenta positive conceduntur. C. I. 767., C. G. 762., C. N. 845., C. A. 166.

Recte etiam egit Aristides providendo rectae *educationi* suorum filiorum, idque ita prudenter et occulte, ut nullum in eius familia dissidium, et nullum scandalum exoriretur. Id enim etiam exigitur ipso naturali iure, et confirmatur iure etiam civili; siquidem alimenta ex iure civili concessa, extenduntur etiam ad convenientem instructionem, secundum conditionem personae. C. I. 138. 143. 846., C. G. 203, 308, 762.-664., C. H. 143., C. A. 166.

Neque vero inquietandus videtur Aristides, cum patrimonium filio, et dotem filiae constituit convenientem, minime vero excedentem, seu inofficiosam. Etenim C. *Cum haberet, de Eo qui duxit in matrim.* etc., dicitur, ut huiusmodi filiis *necessaria* sint subministranda, secundum quod suppetant facultates. Inter necessaria autem filio in casu computatur patrimonium, filiae vero dos; neque enim filius patrimonio carens poterit forte ad sacros ordines ascendere, neque filia dote carens poterit nubere, et, non nubendo, forte turpiter viveret. C. I. 143., C. G. 208., C. H. 143. 146., C. A. 166.

Recte vero non agit Aristides, haeredes etiam instituendo duos suos filios adulterinos in grave damnum filiorum legitimorum, quibus ideo subtrahitur integra pars disponibilis. Filii adulterini ex lege, *incapaces* sunt successionis sive legitimae, sive tastamentariae, itemque *incapaces* sunt donationis. Hinc, si filius et filia suam cognoscerent conditionem ad restitutionem tenerentur. L. *Si quis incesti* C. *de incest. nupt.,* L. 1. C. *de Naturalib. liber.,* C. I. 752. 767. 1053. 1055., C. G. 762. 908. 911., C. H. 139. 625. 628. 845.

2°. Iacobus, sacerdos, beneficiatus, cum filium habuerit ex soluta quadam muliere hunc eiusque uxorem instituit haeredes omnium suorum bonorum patrimonialium, et quae ex fructibus beneficii colligere potuit per plures annos. Id tuta conscientia existimat facere posse, cum lex non nisi de filiis *adulterinis* et *incestuosis* loquatur, eosque tantum, praeter alimenta, ab omni successione excludat. C. I. 180. 767. Praeterea, ait, lex civilis attingere profecto non potest saltem ecclesiasticos reditus, quos directe filio reliquit; bona enim patrimonialia reliquit eius uxori, quae cum nullo pacto sua filia sit, nullo modo reputat ab haereditate repelli posse.

Quaer. *An recte egerit Iacobus?*

Iacobus non recte egit. Dispositio in favorem filii sacrilegi invalida est, itemque dispositio in favorem uxoris eiusdem filii, tanquam interpositae personae, invalida etiam est. Id constat ex C. S. Pii V. *Quae ordini,* qua revocantur omnes facultates testandi, et disponendi de bonis ecclesiasticis, et etiam quoad clericos de bonis patrimonialibus in favorem quorumcumque illegitimorum, inhabilium et incapacium. Haec ha-

bentur §. 4.: « Dehinc vero districtius prohibemus, ne talia sive *in praedictos illegitimos* utriuslibet sexus, sive *in illorum coniuges*, sive ipsorum parentes, filios, descendentes, ascendentes, vel alios cognatos, sive defunctis, sive viventibus illegitimis, etiam paupertatis, dotis, aut alterius cuiuscumque pii operis intuitu fiant, neve ipsi unquam in rebus, bonis, pecuniis, iuribus, iurisdictionibus et actionibus praedictis, sive totis, sive in parte succedant, aut illa ad ipsos, quamvis dispensatione suffultos, etiam per praedictum circuitum deveniant, neve de eis ulla in alium seu alios concessio, donatio, translatio, aliave dispositio fiat, ut alia bona similia vel dissimilia, illegitimis, aut aliis supradictis concedantur ».

Atque haec nullatenus licite et valide fieri possunt, cum S. Pius V. ib. §. 2. decreverit, quod illegitimi nullatenus in bonis patris ecclesiastici « sive protinus, sive per interpositas personas atque quomodocumque succedere, aut illa alias ad eos etiam per quemcumque circuitum multiplicatarum in alios capaces successionum ullo modo possint devenire ». Et ib. §. 5.: « Quod si praedictorum quisquam fuerit praesentium violator, testamentum, donatio, legatum et dispositio omnino non teneat, nec etiam quoad alios capaces, et res alias valeat, etc. ». — Sanch. Cons. l. 4. C. 3. D. 20., Roncaglia Consil. Cons. 28.

133. — DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM

Vincentius iam saepius deprehendit famulum suum cum ancilla commercio lascivo vacantem; quia tamen advertit ex dimissione famuli, utpote summopere necessarii rei domesticae, non modicum sibi imminere detrimentum, hinc anxius sciscitatur, an possit tuta conscientia dissimulare.

Quaer. 1°. *Quaenam sint dominorum obligationes?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 693. 694. — Ad 2^um^. Non potest Vincentius famulorum peccata dissimulare. Ipsi enim tanquam superiori et patrifamilias incumbit obligatio ex iustitia impediendi subditorum peccata. Ac si, facta correctione, non emendantur; eos e domo sub gravi expellere tenetur, si ex tali eiectione prudenter creditur eos redituros ad bonam frugem. Imo, etiamsi id minime speretur; eos tamen eiicere omnino debet, tum quia, cum famulus non extra domum, sed in ipsa domini domo concubinam habeat, et cum alia peccet famula, praesens inde habetur et longe facilior peccandi occasio; tum etiam ob grave familiae periculum et scandalum quod adest, ut ipsa constat tristi experientia. Parentes, pravos domi retinentes famulos, proprios filios corruptioni gravissime exponunt. Vix autem credibile est, quod Vincentius ex discessu famuli timere possit tantum damnum, quod praeponderet gravissimae obligationi impediendi peccata subditorum. Ac, si familiae periculum et scandalum de facto adesset, nullum sane est temporale detrimentum, quo Vincentius et famulorum peccata dissimulare, et eos domi retinere posset. Superiori quidem peccata subditorum nullatenus imputari possunt, quando is pro viribus conatus fuit ea impedire, corripiendo, mi-

nitando, etc.; et ideo dumtaxat aliquid dissimulat, quia id sine graviori, aut certe satis gravi detrimento impedire nequit. Verum, ubi periculum et scandalum adest familiae, pravos famulos domi retinere est proprios filios in proxima et necessaria quadam peccandi occasione constituere, et ubi famuli advertant dominos scientes et tacentes, et eos expellere timentes, animosiores profecto fiunt ad peccandum, et securius peccant; quod prorsus illicitum est. — Elbel 17. 18. 19., Tambur. in Decal. l. 5. C. 1. §. 4. n. 21., G. 374. 375.

134. — DE OBLIGATIONIBUS DISCIPULORUM

Mathurinus, Theologiae Moralis studiosus, gravi premitur conscientiae angustia. Etenim discipulus, ait, magistro debet amorem, reverentiam, obedientiam. Amorem habeo erga meum magistrum, habeo etiam illi reverentiam; obedientiam vero illi habere non possum. Impossibile mihi est admittere omnes mei Magistri sententias. Aliqua enim opinio est, in qua Magister semper et multum insistit, et dogmati contraria mihi videtur; aliae vero sunt etiam opiniones, quae mihi videntur aeque saltem probabiles, ac etiam probabiliores, quam illae quas Magister defendit, ut probabilissimas, ut unice probabiles, ut saltem practice omnino tenendas.

Quaer. 1°. *Quaenam sint discipulorum obligationes erga magistros? — Quid de Mathurino tenendum?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 700. — Ad 2^{um}. Mathurinus antequam iudicium efformet et proferat contra doctrinam sui Professoris, eam debet primum bene intelligere, et matura consideratione perpendere, ne forte doctrinam ipse reputet et impugnet tanquam traditam a suo Professore, quam Professor nullo modo docuit. Ita agendo, et temerarium efformaret iudicium contra suum Magistrum; et, cum aliis loquendo, eius famam laederet. Verum, si post serium studium, aliisque etiam viris doctis consultis, doctrina sui Professoris erronea ipsi videatur, eam profecto sequi non tenetur. Itemque, si aliorum sententiae probabiles, probabiliores, probabilissimae ipsi videantur, et communiter a dd. uti tales habeantur, non tenetur sequi oppositas Magistri opiniones, tanquam probabilissimas, vel unice probabiles, vel omnino tenendas. Sed cum debita modestia poterit aliter sentire. Apposite S. Th. Quodl. 3. a. 10.: « Dicendum, quod diversae opiniones doctorum Sacrae Scripturae, si quidem non pertineant *ad fidem et bonos mores,* absque periculo *auditores utramque opinionem sequi possunt:* tunc enim habet locum, quod Apostolus dicit ad Rom. 14., 5., *Unusquisque in suo sensu abundet.* In his vero, quae pertinent ad fidem et bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius magistri..... alioquin immunes a peccato fuissent, qui secuti sunt opiniones Arii, Nestorii et aliorum haeresiarcharum.... Qui ergo assentit opinioni alicuius magistri contra manifestum Scripturae testimonium, sive contra id quod publice tenetur, secundum Ecclesiae auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari ».

Insuper, si ipse confessarius non potest imponere suam opinionem probabilem poenitenti, qui vult sequi alteram opinionem probabilem; multo minus poterit theologiae moralis magister imponere auditoribus suam opinionem, quando alia vere probabilis sit, et communiter ab auctoribus ut probabilis habeatur. Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 26.

Directe vero confirmatur ex Responso S. Poenit. 5. Iul. 1831. Etenim ad Quaesitum: « Utrum Sacrae Theologiae professor opiniones, quas in sua Theologia Morali profitetur B. Alphonsus a Ligorio, tuto sequi ac profiteri possit? », respondit: « Affirmative, *quin tamen reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.* Tum ergo theologiae moralis magister, tum eius auditores, sic proprias probabiles opiniones defendere possunt et tenentur, ut aliorum catholicorum doctorum contrarias sententias vere probabiles non excludant. Quod certe, praesertim in theologia morali, aedificare non esset, sed destruere.

135. — DE OBLIGATIONIBUS SUBDITORUM

Honoratus, catholicus, nunquam salutat Principem, quamvis alii eum communiter in publicis viis salutent, et sistant. Ait enim, Principem esse *acatholicum* et minime *virtuosum*, honorem vero non nisi virtuti deberi.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Honoratus neque recte ratiocinatur, neque recte, *per se*, agit. « Honor est quoddam testimonium de virtute eius, qui honoratur; et ideo sola virtus est debita causa honoris. Sciendum tamen, quod aliquis potest honorari non solum propter virtutem propriam, sed etiam propter virtutem alterius, *sicut principes et praelati honorantur, etiamsi sint mali,* in quantum gerunt personam Dei, et communitatis cui praeficiuntur.... et eadem ratione parentes et domini sunt honorandi propter participationem divinae dignitatis, qui est omnium pater et dominus. Senes autem sunt honorandi propter signum virtutis, quod est senectus, licet hoc signum quandoque deficiat.... Divites autem honorandi sunt propter hoc, quod maiorem locum in communitatibus obtinent. Si autem intuitu divitiarum honorentur, erit peccatum acceptionis personarum ». S. Th. 2. 2. q. 63. a. 3. « *Si praelati sunt mali,* non honorantur propter excellentiam propriae virtutis, sed propter excellentiam dignitatis, secundum quam sunt Dei ministri; etiam in eis honoratur tota communitas cui praesunt ». S. Th. 2. 2. q. 103. a. 3. ad 2., Quodl. 10. a. 12. Cf. I. M. 701. 704.

DE QUINTO DECALOGI PRAECEPTO

136. — VITAE PERICULO SE EXPONERE

Maurus, novitius, *validis viribus, et complexione robustus,* gravi capitis dolore laborare incepit, cum ante ingressum in Religionem *optima gauderet sanitate.* Plura adhibita sunt remedia, sed frustra, magno Mauri moerore, propterea quod, morbo ingravescente in dies, inhabilis omnino fiebat ad ministeria propria illius Religionis, et de eius egressu iam agebatur. Post alios medicos, advocatur Eugenius, medicus extraordinaria praeditus scientia et experientia, sed non paris famae. Eugenius observavit infirmum, et sine ulla haesitatione statim pronuntiavit, se posse infirmum curare, et *cum omni certitudine, si tamen res bene succederet.* Post enim, inquit, alias adhibitas medicinas, una adhuc superest efficacissima, quae infirmum quidem constituet in proximo mortis *periculo,* quod si superetur, *ut certa spes est,* Franciscus immunis in posterum erit per totam suam vitam ab huiusmodi infirmitate. Medicina adhibita est, et Maurus omnino convaluit, et bene adhuc se habet, et insignis concionator est.

Quaer. 1°. *An detur praeceptum conservationis propriae vitae?* — 2°. *An potuerit Maurus talem medicinam adhibere?*

R. Ad 1^{um}. Cf. I. M. 715. 716. — Ad 2^{um}. Cum *periculum* mortis non sit, nisi mera probabilitas et non certitudo mortis; unde *periculum* mortis a mortis *articulo* distinguitur; *proximum periculum* mortis revera non est, in casu, nisi tantum gravis et valde gravis *probabilitas* mortis; e contra moralis habetur, in casu, *certitudo* restaurandae sanitatis. Probabilitas illa huic certitudini *speculative* minime contradicit. Nam illud mortis periculum ex ipsa pharmaci extrinseca efficacia consideratur, non ex intrinseco infirmi morbo. Certitudo autem ab intrinseco status valetudinis infirmi repetitur. Unde *practice* revera non est, in casu, grave mortis periculum, sed e contra est moralis recuperandae valetudinis certitudo. Haec autem ideo, in casu, haberi potest, quia Maurus, iuvenis aliunde robustae sanitatis et validae complexionis, merito reputatur resistere posse crisi, quam in ipso determinabit violentum pharmacum; in qua et omnis mali radix prorsus sit directe perimenda ex potenti virtute praedicti pharmaci, vel ex vi eiusdem crisis praedicta infirmitatis causa sit dissolvenda. Cum igitur moralis habeatur certitudo et superandi periculum, et, ut asseritur a perito medico, morbi causam ipsumque morbum expellendi, licet se tali periculo committere, stante gravissima causa, quod secus inutiliter debeat Maurus totam suam vitam transigere, gra-

vique affici capitis dolore. Praeterea in prima illa hypothesi facta, quod nempe ex pharmaci virtute crisis directe determinetur, et directe infirmitatis radix extinguatur, actus habetur producens duos effectus, quorum unus est bonus, et est ille, qui solus intenditur, alter vero malus est, et iste praeter intentionem est, et mere permittitur. Ratio autem valde gravis non desideratur cur possit rationabiliter pravus permitti effectus, et actus poni. In altera vero hypothesi, quod pharmacum determinet praedictam totius organismi crisim, et hac eadem crisi resolvatur tota mali causa, ut in variis morbis contingit, crisis tunc mala simpliciter dici non potest, sed indifferens cum et mala et bona simul sit, mala ob virium resolutionem et debilitatem, bona ob extinctionem pravae qualitatis, quae morbi causa est. Quare redit iterum casus actus duos producentis effectus.

Hinc *a fortiori* videtur licuisse illud, quod narratum audivi de quodam, qui ex America in Europam veniebat. Gravissimo correptus morbo febris, quae vulgo *flava* nuncupatur, et iam omnino desperatus calida et potentissima quadam inebriante potione curatus est. — Cf. I. M. 334. et V. 2. n. 89.

137. — E FENESTRA SESE PROIICERE

Eulalia, virgo pia et castitatis amantissima, cum die quadam a milite ad luxuriam cogeretur, nec periculum aliter evadere posset, ex alta se proiecit fenestra, et decidens super arenam, quae casu cumulata reperiebatur, magna quantitate, in publica via, ad eam reficiendam, incolumis permansit. Post aliquot menses ab eodem milite violenter apprehensa, constantissime renuens peccare, instantissime eum rogavit, ut vellet potius eam occidere, quam violare, et eam tunc ferox miles, ira exardescens, gladio interfecit.

Quaer. 1°. *An liceat se interficere?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 710. seqq. — Ad 2^um^. Eulalia bene poterat sese proiicere e fenestra, quamvis id fieret cum evidenti periculo vitae, et quamvis de facto mortua deinde fuisset. Ratio est, quia primum Eulalia non intendebat se occidere, sed tantum evadere ex manibus pessimi viri, eam violare volentis. Illa autem actio sese proiiciendi e fenestra, in istis et similibus circumstantiis, actio indifferens est, *fugiendi* nempe, in casu, ex manibus lascivi viri, et *decidendi* e fenestra in terram. Ac, si bene consideretur, illa actio primum est actio *fugiendi,* et deinde in terram e fenestra *decidendi;* i. e. primum est *fuga,* et deinde *deiectio* e fenestra in terram. Et sic idem licet etiam ad evadendam duriorem mortem, e. g., in incendio, vel etiam probabiliter ad se ita per fugam liberandum a squalore perpetui carceris. G. 377. 379. 384., L. 367.

Potuit etiam Eulalia militem rogare, ut potius eam occideret, quam violaret. Etenim, hoc rogatu, Eulalia primum non intendebat certe inducere militem ad eam occidendam, sed eum tantum avertere a turpi sui violatione, cui ipsa mortem praeferebat. Eo autem rogatu Eulalia occisionem directe non procuravit; neque militem ad eam occidendam induxit. Nam, vi ei illata; siquidem violenter iam apprehensa fuerat; rogabat militem, ut potius ei inferret minus malum mortis, quam malum longe ipsi maius turpis violationis. *Directe* ergo non procuravit

mortem, neque militem ad homicidium provocavit; sed *directe* procuravit, ut *militem a maiori ipsi damno inferendo,* et a violatione sui, *averteret;* mortem sui potius permittendo, si miles ille a tanto flagitio desistere nollet. Et re quidem vera rogare militem, *ut potius eam interficiat, quam ut eam violet,* non est rogare, ut interficiat, sed rogare, ut non violet, animum simul ostendendo paratum ad mortem subeundam potius quam ad consentiendum ad sui violationem.

138. — BREVIATIO VITAE

Anselmus Carthusianus graves in suum corpus, disciplinis et ciliciis, cruciatus exercet, parco etiam utitur cibo, et brevem sumit somnum; licet existimet, se ideo forte citius moriturum. Attamen non nisi post plures annos graviter infirmatur, ipse tamen adhuc recusat carnes manducare, licet medicus eas praescripserit, tanquam necessarium medium ad valetudinem recuperandam. Itemque e claustro exire recusat, et ad suam familiam per aliquod tempus redire, quamvis idem medicus asserat, quod sit omnino ipsi necessaria aeris mutatio.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Anselmus minime peccavit, varias exteriores poenitentias exercendo. Eas enim *discrete exercendo,* quod in casu satis apparet, non aufertur vita, sed eius vigor et longaevitas tantum non procuratur, ad quod *per se* nemo tenetur. Spiritualis vero utilitas et virtutis exercitium corporali praevalet commodo. Alias tot Sancti graviter peccassent, nedum sanctificati fuissent. Ac, si licet artificibus duris insudare operibus, et vitam sibi, quotidie laborando, imminuere, ac tot mortis periculis sese exponere, cur non licebit viro religioso corporales austeritates amplecti propter bonum virtutis, consilio prudentis praelati vel confessarii? Lig. 371. Quare neque tenetur Anselmus carnibus vesci ad mortem etiam vitandam, nec salubriorem quaerere aerem extra claustrum in propria patria et familia. Hinc etiam potest quis Religionem ingredi, licet valetudine sit debilis, nec tenetur deinde e Novitiatu exire, vel cibum a communi diversum petere, licet praevideat suam vitam fore inde breviandam. — Lig. 370. 371., G. 386. 387.

Ceterum, in casibus singularibus, plurimum interest attendere cuius aetatis, physicae complexionis, indolis, status et conditionis persona illa sit, cui huiusmodi mortificationes et exteriores poenitentiae concedantur. « Aliter est iudicandum de fine, aliter autem de his quae sunt ad finem. Illud enim, quod quaeritur tanquam finis, absque mensura quaerendum est. In his autem, quae sunt ad finem, est adhibenda mensura secundum proportionem ad finem. Est ergo considerandum, quod in spirituali vita dilectio Dei est sicut finis; ieiunia autem, vigiliae, et alia exercitia corporalia non quaeruntur tanquam finis; sed adhibentur tanquam necessaria ad finem: et ideo huiusmodi adhibenda sunt cum quadam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia dometur, et natura non extinguatur... Si vero aliquis in tantum virtutem naturae debilitet per ieiunia et vigilias, et alia huiusmodi, quod non sufficiat debita opera exequi, puta praedicator praedicare, doctor docere, cantor cantare, et sic de aliis absque dubio peccat; sicut etiam peccaret vir, qui nimia abstinentia se impotentem redderet ad debitum uxori reddendum ». S. Th. Quodl. 5. a. 18.

139. DE VITAE DEFENSIONE

Martialis, miles, *rixatus est* cum suis commilitonibus, et cum is unum ex illis *verbis contumeliosis* affecisset, impatiens ille iniuriae scopletum, quod in manu tenebat, *in eum direxit, ut eum occideret.* Sed eum *praevenit* Martialis, qui contumeliam intulerat, *et suo scopleto invasorem occidit.*

Quaer. 1°. *An liceat vitam defendere occisione etiam iniusti aggressoris?* — 2°. *An Martialis reus fuerit homicidii?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 726. 727. — Ad 2^um^. « Posset in eius favorem afferri doctrina eorum, qui dicunt, eum, qui contumeliis, vel iniuriis alium provocavit, si tamen ab ipso ad necem invadatur, posse licite se defendere et invasorem occidere.... Unde adulter, qui a marito deprehensus fugere non potest, si aliter non potest mortem vitare, potest maritum interficere.

In casu tamen nostro difficile doctrina illa locum habere potest, quia, iuxta narrationem facti, prius adversarius contumeliis lacessitus scopleti clavem strinxit, ut ignem conciperet, et tunc hic alius strinxit clavem sui scopleti ad eundem effectum; quo quidem tempore inutilis erat illa defensio, per quam ictum adversarii non poterat effugere, sed solum repercutere, melius ergo erat tunc vel fugere, vel ictum declinare, *si poterat;* praesertim cum licet in aliis casibus miles invasus non teneatur fugere, sed possit se defendere occidendo, quando aliter non potest ab invasore eripi; quando tamen ipse iniustam causam invasionis dedit, debeat fugere, nec possit licite occidere invasorem, si detur fugae locus, quia ipse iniuste invasorem in eas angustias coniecit; quare debet eum indemnem reddere.... Deinde.... quia negari non potest, quod occisio, in casu nostro, fuerit culpabilis in causa, prolatis temere verbis contumeliosis in militem iracundum et armatum, in quibus circumstantiis praevideri potuit et debuit periculum occidendi illum, si vellet se vindicare, prout fere certo timeri poterat, quod sufficit, ut qui causam culpabilem iniuste dedit reus sit homicidii, postea consequuti ». Lugo Resp. Mor. l. 4. D. 17.

Verum quaestio proprie est, non utrum Martialis praevidere potuerit et debuerit homicidium, sed an de facto saltem in confuso praeviderit; et hoc ex ipso facto homicidii postea secuti, quin Martialis ipse interrogetur, ad noscendam rei veritatem, difficile est asserere cum certitudine. Agebatur enim de meris *verbis contumeliosis,* quae frequentia omnino sunt inter milites, neque tamen inde homicidium ordinarie sequitur.

Insuper difficile est etiam, asserere cum certitudine, quod non defuerit Martiali aliud medium sese defendendi, nempe fugiendo. Etenim, si scopletum, ut tempore Lugonis haec arma erant, non erat ad explodendum iam paratum intelligi potest, quomodo Martialis tempus revera habuerit et fugiendi, et ictum declinandi. Sed, si scopletum iam erat omnino paratum ad explodendum, non apparet quidem, quomodo Martialis potuisset aliter mortem vel grave saltem vulnus effugere.

Atque haec videntur non effugisse ipsum Card. Lugo: siquidem in fine sui discursus num. 7. concludit: « Haec ad minus reddunt casum nostrum dubium ». Non licet sane aggressorem praevenire, eumque occidere *ante actualem aggressionem;* hoc enim non est sese defendere, vim vi repellendo. Verum sese defendere, *in actuali aggressione,* non est in eo, quod quis primo expectare debeat, ut occidatur, vel ut actio ponatur, qua mox sit certo occidendus; tunc enim iam impossibilis erit defensio, et impossibile erit vim vi repellere. Sese defendere, *in actuali aggressione,* in eo est, quod quis sese defendat in iniusta aggressione, *actu, moraliter loquendo,* iam ita *impendente,* ut non possit, nisi adhibita vi, eam repellere. I. M. 727. Secus enim neque quis, gladio aggressoris versus se iam omni impetu directo, posset suo gladio aggressorem interficere, nisi prius fuerit ipse percussus et vulneratus; et tunc amplius locus non esset *vi repellendae,* cum vis iam illata sit. Si non gladio, sed sclopeto, iam ad explodendum parato, alium quis iniuste aggrediatur, et iam versus illum sclopetum direxit, ita ut nihil desit, nisi ut explodat, quid aliud *ad actualem aggressionem requiritur?* Num ut explodat, feriat et occidat? Poterit ergo alius, prius explodendo, se defendere. Hic est, in casu, unicus modus efficax sese defendendi, sui sclopeti ictu, letalem sclopeti adversarii ictum efficaciter praevenire. Aliud autem est praevenire *in actuali aggressione ictum,* aliud praevenire, actu, *actualem aggressionem.* In hac praeventione *actualis aggressio* non est, sed est *aggressor paratus ad aggrediendum.* Ac de huiusmodi praeventione an liceat, tres affert S. Alph. 387. sententias. Prima negat, quia praevenire inimicum, *solum paratum ad aggrediendum,* non esset vera defensio. Secunda affirmat, quia ad occidendum invasorem pro sua defensione *non est opus, ut aliter iam incoeperit laedere, sed sufficit, ut sit paratus ad laedendum.* Tertia affirmat, si quis ex aliqua actione noverit inimicum *esse determinatum ad invadendum,* puta, si certo moraliter sciat illum iam ad hoc *parasse arma,* vel *mandatum dedisse servo;* tunc, si aliter effugere nequit, licite potest praevenire. Secus vero dicendum, si non *certo* sciat, sed tantum *suspicionem,* seu *dubium timorem* habeat *de invasione.* S. D. suum proferens iudicium de tribus hisce sententiis inquit: « Censeo secundam sententiam, hac etiam distinctione supposita (tertiae sententiae), vix in praxi posse sequi, propter hallucinationis periculum, quod in huiusmodi re adesse potest ». Quare ad Martialem quod attinet, cum non praevenerit actualem aggressionem; sed, in actuali aggressione ictum tantum adversarii praevenerit, non videtur quod haberi possit ut reus homicidii.

140. — DE HONORIS DEFENSIONE

Martialis et Hector, militum duces, litem inter se movent, et asperis verbis contendunt. Post verba ad verbera veniunt. Hector primus repente insignem alapam sodali suo infligit, coram aliis conspicuis viris. Protinus Martialis incredibili dexteritate retorquet et auget argumentum, duas Hectori alapas infligendo. Hinc crescit procella, cum ab aliis amicis, duo certantes, alius ab alio, separantur.

Quaer. 1°. *An liceat honorem vi defendere?* — 2°. *An liceat honorem defendere etiam aggressoris occisione?* — 3°. *An Martialis peccaverit Hectorem repercutiendo?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 733. — Ad 2um. Cf. S. Alph. 381., I. M. 750. — Ad 3um. « Non licet occidere, si iniuria iam est contracta, vel aggressor iam fugit; quia id non esset se defendere, sed vindicare..... Sed Henr. et Nav.... dicunt, si laesus magnam faceret iacturam honoris, nisi fugientem mox persequeretur, posse eum persequi et percutere, quantum esset satis ad defensionem honoris. Sed oppositum tenendum omnino.... Ratio, quia tunc non recuperatur honor per se, sed per damnum alterius apud homines improbos, quod est intrinsece malum. Et nequeo intelligere, cur sententia contraria non debeat dici proscripta ex prop. 30. damn. ab Innoc. XI., quae permittebat repercutere percutientem, qui fugit, si aliter ignominia vitari nequibat ». Martialis ergo a peccato, et a gravi peccato, excusari non potest. S. Alph. 382., I. M. 733., Enchir. Mor. 398., G. 390.

141. — DE BONORUM DEFENSIONE

Gerardus, parochus, auream argenteamque Ecclesiae supellectilem, et magnam aureae pecuniae summam, ad varias pias causas pertinentem, domi asservabat, in arca bene obserata. Hoc tribus furibus innotuit. Ecce, intempesta nocte, armis instructi, et simulato vultu, in aedem parochi irrumpunt, et vitam se ei erepturos minantur, nisi sibimetipsis quidquid auri et argenti domi habet ocius tradat. Gerardus, in certo vitae discrimine constitutus, furibus id omne, quod requirunt, etiam propriam pecuniam, et propriam argenteam supellectilem, aliaque pretiosa obiecta expromere cogitur. Tribus arcis tres fures omnia secum asportant. Verum Gerardus, e periculo ereptus, vix fures egressi sunt e domo, ianuam bene claudit, et ad fenestram accedit tormento armatus. Statim ac eos vidit e palatii ianua egredientes, ne eos amplius propter densas tenebras noctis et copiosam pluviam amplius discernere non posset, tormentum in eos explodit, et unum occidit. Alii duo fugiunt. Sed arcas relinquunt. Et sic Gerardus rem totam recuperavit.

Quaer. 1°. *An liceat bona vi defendere?* — 2°. *Quid de casu Gerardi sentiendum?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 731. 732. — Ad 2um. « Concedit C. Lugo, Molin. Less. etc. cum Dian. licere furem fugientem, v. g. cum equo tuo configere telo vel sagitta, *quia invasio adhuc durat* ». Ita Busemb. 382. « Dicimus cum Less., etc. licere furem eminus telo occidere, si ipse rem asportet, et praemonitus de suo periculo, eam nolit dimittere ». Ita S. Alph. 383. Atqui tres illi fures, in casu, iam rem asportabant, neque alia via ea poterat recuperari, et inutilis quaelibet alia monitio fuisset. Res autem omnino magni valoris erat. Quare Gerardus damnari non potest de peccato homicidii. Neque vero obest, quod sit sacerdos; quia

ius defensionis est de iure naturali, et ideo unicuique competit. Unde neque ullam Gerardus incurrit irregularitatem sive ex delicto, quod abfuit, sive ex lenitate, quae locum hic non habet. Ea enim incurritur a militibus in bello iusto offensivo, et a ministris iustitiae in occisione rei. — S. Alph. 183. 184., G. 394. 395., I. M. V. 2. 1350.

142. — DE HOMICIDIO

Sempronius uxoris suae pertaesus, fecit sponsalia cum alia. Quare, ut a praesenti sua uxore se liberaret, eam in itinere constitutam in quodam loco solitario globo traiecit, eamque cum morte quasi luctantem cernens, famulo suo, quem velut comitem itineris secum assumpserat, sub poena mortis illico eidem pariter inferendae demandavit, ut spirantem dominam gladio trucidaret, trucidatam vero sine mora terrae mandaret.

Quaer. 1°. *An aliquando licitum sit homicidium?* — 2°. *An famulus in hoc casu potuerit licite obsequi suo domino?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 719. seqq. 736. seqq. — Ad 2^um^. Non poterat famulus domino suo obsequi, gladio trucidando dominam, potuit tamen licite obsequi, eam post mortem terrae mandando. Ratio disparitatis est: quia defunctam terrae mandare non est malum, sed bonum potius, aut certe de se indifferens. At quod bonum est vel saltem indifferens, licite facimus ex fine tam gravi, scilicet evadendi mortem, vel aliud grave malum nobis intentatum. E contra trucidare innocentem erat malum, intrinsece tale, iure naturae atque divino interdictum. Atqui malum intrinsece tale nunquam licet committere, quantumvis gravis mortis metus nobis impendat. — Elbel De Act. hum. 43.

Hinc alius resolvitur casus, an potuerint tempore *Communis Parisiensis*, et generatim, an possint tempore *anarchiae, regulares milites* praecedentis Gubernii, ex mortis metu, explodere in religiosos, clericos, honestosque cives, eosque trucidare. Negative omnino; siquidem neque privata neque publica auctoritate licitum est occidere innocentes. Idque intrinsece malum est; adeoque malum manet, etiam stante gravissimo mortis metu.

143. — DE ABORTU

Gaspar medicus mulieri cuidam pharmacum praebuit ad impediendam conceptionem, nempe, ut removeret gravissimum mortis periculum, quod noverat ex experientia illi imminere; adeoque *id unice intendit, videlicet eius salutem procurare*. Sed mulier illa, praegnans iam effecta, in summo vitae periculo reapse constituitur, simul cum prole; quae consequenter sine baptismo simul cum matre morietur. Hinc Gaspar ad salvandam a morte matrem, et ad baptismum proli procurandum, abortum arte medica opportuno tempore procurat. Et sic mater revera salvatur, et proles viva egressa non nisi post baptismum extinguitur.

Quaer. 1°. *An liceat abortum procurare?* — 2°. *An Gaspar recte egerit?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 742. seqq. Comment. Theolog. Moral. Comment. Quint. De Procuratione Abortus, Comment. sext. De Responso S. Officii circa craniotomiam.

Ad 2um. Gaspar primo graviter peccavit impediendo generationem, quod revera ipse *intendebat,* quamvis illusorie asserat, se unice intendisse salutem mulieris procurare. Id utique intendit tanquam *finem;* sed tanquam *medium* ad illum finem obtinendum, *hoc assumpsit medium* pharmaco impedire generationem, unde salus mulieris in periculum ex asserta experientia inducebatur. Ergo etiam hoc intendit. G. 400.

Graviter etiam Gaspar peccavit abortum *directe* procurando; quod ex intrinseca natura sua verum homicidium est. Neque vero excusari potest ex optimo fine salvandi matrem et prolem baptizandi; non sunt enim facienda mala, ut eveniant bona. *Directe* autem, in casu, abortus procuratur: nam abortus assumitur, et *in se intenditur,* ut medium ad utrumque. G. 400. seqq.

Hinc Gaspar, ob directam abortus procurationem, incurrit excommunicationem episcopis reservatam ex C. *Apostolicae Sedis.* Insuper fit irregularis: cum enim agatur de foetu, qui adeo nocivus sit matris valetudini, dubitari non potest, quin iam sit anima rationali informatus. Cf. l. M. V. 2. n. 1204. 1335.

144. — DE OPERATIONE CAESAREA

Hortensia praegnans, et proxima iam partui, gravi correpta morbo, in Indiis occidentalibus, moritur. Ricardus neo-missionarius existimans se obligatum ad operationem caesaream peragendam, illam mox exequitur, et prolem adhuc vivam baptizat, quae deinde vivere pergit. Verum statim ac res evulgatur, parum abest, quin ab incolis loci tamquam matris homicida trucidetur. Illico fugit Ricardus, neque amplius in eo loco eius notitia habetur.

Quaer. 1°. *An, et quando operatio caesarea fieri possit; et quaenam sint in praxi cautelae adhibendae?* — 2°. *An Ricardus recte egerit?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. V. 2. 469. seqq. — Ad 2um. Recte non egit Ricardus. Etenim, ut ex ipso casu apparet, non deerat gravissimum scandali periculum. Prohibitio praeterea adest missionariis facta Decreto S. O. 15 Febr. 1760. Cf. Enchir. Moral. N. 256.

Si, matre iam mortua, fieri non possit operatio caesarea, poterit tunc infans in utero matris baptizari meliori, quo fieri potest modo, ope nempe siphunculi vel alterius instrumenti, quo infans in utero materno attingatur et aqua super ipsum effundatur. Hinc ope huiusmodi instrumenti scindendae sunt membranae, quibus foetus involvitur, ut aqua foetum immediate attingat. Operatio haec facilis est, et ab obste-

trice vel ab alia femina bene fieri potest. — Si, ut ex casu eruitur, deficiebat revera chirurgus, vel alius vir peritus, ad operationem caesaream efficiendam, potuisset Gaspar procurare, ut baptismus infanti ministraretur per aliquam expertem mulierem modo dicto. — G. V. 2. 218. 220., Gennari Consultazioni etc. P. 1. Cons. 21.

145. — DE DUELLO

Marcus et Marcianus, milites, inter se rixati sunt, et alter alterum variis affecit contumeliis. Id ad ducem cohortis delatum est, qui iussit ut duo illi milites duellum inter se patrarent, secus in durum carcerem per mensem essent detrudendi. Duellum inviti instituunt et Marcus Marcianum graviter vulneravit.

Quaer. 1°. *Quid duellum, et an licitum?* — 2°. *Quid de Marci et Marciani duello?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 746. seqq. — Ad 2^um^. Peccat quidem graviter dux cohortis duellum praecipiens, et peccant etiam graviter Marcus et Marcianus duellum patrantes. Duellum enim intrinsece illicitum est, et tum lege naturali tum lege canonica graviter prohibitum est. Neque vero licitum duellum evadere potest illud patrantibus ex eo quod praecipiatur. Ex tali enim praecepto non adimitur periculum in ipso gravis vulneris, mutilationis et mortis, neque patrantes duellum ius acquirunt alter in alterius membra et vitam. Hinc neque eius adimitur illiceitas quoad mandantem, in casu, illud per modum poenae praecipientem ad vitandas frequentes militum rixas. Mandans enim, in casu, neque ipse ius habet in membrorum integritatem et vitam militum, neque consequenter illud ius conferre potest ipsis duellantibus. Patet deinde magnum scandalum quod inde obveniat; lata enim, hac agendi ratione, patet via duellis ineundis praesertim inter militares viros. Ac, si illicitum est duellum, spectaculi aut virtutis tantum ostendendae causa; quanto magis illicitum esse debet duellum in casu. C. *Felicis* 1. *de Torneamentis*. Idque etiam confirmari potest ex sequenti Resolutione S. C. C.

« In scholis Universitatum germanicarum specialia quaedam habentur duella. Scholariorum enim duella in eo consistunt, ut duellantes, armis specialibus, i. e. parvo quodam cultro utentes, et, ceteris partibus corporibus bene tectis, sibi in faciem incisionem seu vulnus inferant, cuius tamen vestigia plerumque brevi tempore oblitescunt. Nullatenus igitur *mors* vel *mutilatio* intenditur, atque raiissime, et non nisi *per accidens*, ex imprudentia, aut ex alia causa a duello extrinseca, haec tristia facta accidunt. Nec semper proprie, ex vindicta vel ob honorem reparandum, duella haec committuntur, sed potissimum ludi, crudelis profecto, vel exercitationis gratia. Ad hunc effectum, immo sub specie nempe huius ludi vel exercitationis praestandi ac fovendi, adsunt inter Universitatis discipulos societates, in quibus pro obtinendo altiore gradu certus duellorum instituendorum numerus praescribitur, et, quodam tempore sine duellis transacto, praesides societatum pro praetextibus suscitandis ad duella instituenda conveniunt ».

Proposito autem Dubio: « An, a quibus, et ex quonam titulo irregularitas contrahatur, quando duellum ea ratione committitur, qua his temporibus inter Germaniae Universitatis alumnos fieri solet in casu; » S. C. C. 9. Aug. 1890. respondit: « Affirmative, a duellantibus, eorumque patrinis ex infamia iuris ». Acta S. Sed. V. 23. p. 242. *Ex infamia iuris,* statuta a Conc. Trid. S. 24. C. 19; minime vero *ex lenitate,* quae in casu locum non habet, neque *ex delicto,* cum neque *mors* neque *mutilatio* sequatur. Cf. I. M. V. 2. n. 1332 seqq., 1350. seqq.

Marcus et Marcianus igitur incurrunt irregularitatem *ex infamia.* Ad irregularitatem *ex delicto* quod attinet, si *mors* reapse vel *mutilatio* secuta fuisset, ipsa etiam locum habuisset, sed cum Marcianus non fuerit nisi tantum *vulneratus,* irregularitatem etiam ex delicto Marcus non incurrit. I. M. V. 2. n. 1335.

An autem incurrerint etiam excommunicationem Summo Pontifici reservatam; primo adspectu dubitari potest: quia desiderari videtur, in casu, duellum *ex condicto;* cum duellum *inviti* instituant Marcus et Marcianus, et duellum patrent *ex mandato,* ipsis imposito sub poena carceris. Sed non videtur reapse *condictum* desiderari, in casu, quoad locum, quoad tempus, quoad arma; quamvis *inviti* et *ex metu* carceris in *praevium condictum* consentiant, uti consentiunt in ipsum *duellum.* Neque vero excusari posse videntur ex metu poenae carceris: cum lex etiam positiva, in casu, non cesset. Idque eruitur ex propp. damn. a Bened. XIV. Cf. Enchirid. Moral. N. 406. G. V. 2. n. 1118. 1128. seqq.

146. — DE BELLO

Bellum iniustum indictum est inter Principem Albinum et Principem Rubinum. Rubini, qui iuste se defendebat in bello, exercitus victus est; et, obtenta iam ab Albini exercitu victoria, signum utrinque factum est a ducibus cessandi ab hostilitatibus. Dum milites Albini redeunt pacifice ad castra ex campo belli, Leontius, ardentissimus Rubini miles, hostes adhuc insequebatur, et unum ex illis occidit. Id cernens miles quidam ex illis, quibus belli politia commissa fuerat in exercitu Albini, Leontium statim apprehendit, et ante se ducebat ad belli ducem. Leontius iam certus poenae mortis subeundae, dum per angustum locum esset pertranseundum, urbanitatem simulans militem invitavit, ut ante ipsum pertransiret. Vix praeiverat miles, cum Leontius gladio eum a tergo percussit et occidit, protinus incolumis fugiens.

Quaer. 1°. *An liceat bellum, et quaenam in bello liceant?* — 2°. *Quid de Leontio sentiendum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 751. seqq. — Ad 2^um^. Leontius duplicis reus est homicidii. Reus primi homicidii est; quia, cessatis iam hostilitatibus, et facto a belli duce signo treguae, nullus miles iam poterat adversarios insequi et ferire ac occidere. Et quamvis iuste omnino bellarent milites exercitus Rubini, bello tamen cessante, vel etiam tantum intermisso, nullus iam eorum licite et iuste occidere poterat; cum nullus

privata auctoritate hominem occidere possit, etiam reum et sontem. Hinc reus Leontius est etiam secundi homicidii. Nam miles ille legitime et iuste omnino eum apprehendit, nec erat iniustus eius vitae aggressor. Quod autem illum occiderit Leontius ad evadendam poenam mortis, iniustum homicidium, minime cohonestat.

Hinc alius resolvitur casus an, durante bello, possint *privati cives* occidere hostes milites, quos ipsi hospitio pacifice recipiunt, licet ad id sint coacti, vel qui eis in via, e. g., occurrunt inermes, vel pauci numero, vel singuli soli ab aliis separati. Negandum omnino: nam privata auctoritate neminem occidere licet; et, tempore etiam belli, privati cives hanc vulnerandi et occidendi potestatem non recipiunt. Id unum ipsis licet: vim, ipsis iniuste illatam, vi repellere, eodem plane modo, ac quando agitur de iniusto aggressore.

147. — DE ANARCHIA

Populari facta commotione, in magna quadam civitate, Princeps expellitur, et Anarchia, per plures hebdomadas proclamatur. Interim latrones et viarum grassatores impune furta, rapinas et homicidia committunt. Carolus, vir potens et honestus, existimans delicta debere puniri, ad honestos cives tutandos, publica deficiente auctoritate, ipse sibi hoc munus assumit. Hinc cum audit vel furta et rapinas, vel homicidia ab aliquo commissa, reputans nullam aliam poenam in praesenti esse possibilem et efficacem, nisi poenam mortis, noctu ipse cum suis famulis latrones et homicidas occidit. Ac res illis prospere semper succedit, ita ut ignoretur omnino a quonam fuerint interfecti.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Carolus omnino male agit. Nullam enim ipse habet potestatem exercendi publicam delictorum vindictam, cum nullam habeat in civili societate auctoritatem. Cives autem ad se tutandos bene uti possunt, si eos latrones et homicidae aggrediantur, naturali defensionis iure, vim vi repellendo cum moderamine inculpatae tutelae. Enimvero « occidere malefactores licitum est, in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis; et ideo ad illum solum pertinet praecidere membrum putridum, quando ei commissa fuerit cura salutis totius corporis. Cura autem communis boni commissa est Principibus, habentibus publicam auctoritatem, et ideo *eis solum licet malefactores occidere, non autem privatis personis* ». S. Th. 2. 2. q. 64. a. 3. Neque vero valet obiicere ex eodem S. D. ib. q. 108. a. 1., quod *vindicatio* sit virtus privatae personae, adeoque privatis etiam licet saltem illatas sibi iniurias ulcisci. Est enim singulare in hac virtute *vindicationis,* quod persona, quae est subiectum virtutis non potest per seipsam consummare actionem propriam illius virtutis, propter necessitatem materiae; quia videlicet materia eius est malum poenae, quod coactivam potestatem exigit in auctore; adeoque licet *vindicatio* sit virtus privatae personae, non potest tamen consummare actionem suam privata persona, nisi adiuncta publica potestate propter conditionem materiae reddendae, scilicet mali poenae pro malo illatae iniuriae. Caietan. in l. c.

DE SEXTO DECALOGI PRAECEPTO

148. — DE INHONESTIS COGITATIONIBUS

Maevius pravas saepe habet cogitationes contra castitatem. Existimans se non obligari sub gravi ad positive eis resistendum, mere negative se habet, et sinit consequenter eas cogitationes diutius immorari in mente, et vividius pravas res repraesentare. Hinc fit, ut pravarum rerum imaginatione pro re nata crescente, frequenter, et fere semper, pravos motus et pollutionem experiatur. Attamen, quia pravis istis effectibus omnem ipse renuit consensum; immo, ait, valde id mihi displicet; nunquam de hac re confessionem instituit, quia putat, se immunem ab omni peccato.

Quaer. *An Maevius graviter peccaverit?*

R. Affirmative, *per se,* et seclusa bona fide, vel simplicitate, vel ruditate, et causa cohonestante *aliquando* hanc rationem negative se habendi. Cf. I. M. 58. 295.-297. — Ratio est, quia tenetur quis sub gravi auferre causas *per se graviter influentes* in venereum delectationem et pollutionem, qualis profecto est turpium rerum *morosa et diuturna cogitatio*. Adest praeterea, practice loquendo, proximum consensus periculum. Hinc S. Alph. l. 5. n. 7. ait: « Quando delectatio venerea supervenit, tenemur sub gravi ei positive resistere, quia huiusmodi commotiones, quando sunt vehementes, plerumque, si positive non repellantur, saltem per actum simplicis displicentiae, trahunt secum consensum voluntatis ». — G. 22. 143., Lig. l. 3. n. 426. 482., l. 6. n. 914., Sanch. l. 9. D. 45. n. 19. 24. 25., Lessius De Iust. et Iur. l. 4. C. 3. Dub. 14. n. 102., Billuart de Temper. Dissert. 6. art. 12. *Hinc colliges diuturnas,* Scav. Ed. 12ª. Mediol. 1874. l. 1. n. 780.

Apposite Lessius l. c.: « Cum causa est privativa, nempe *negligentia amoliendi causam positivam involuntariam,* v. g., *turpem cogitationem,* tenetur homo illam apprehensionem excutere, mentemque alio transferre, quantum potest. Quod si omittat, illa omissio erit causa voluntaria effectus; sicut negligentia navarchi est causa submersionis navis, quae quidem in genere physico est causa *per accidens;* tamen in moralibus censetur quasi *per se,* quia subest intentio interpretativa.

Hic tamen adverte: Si opus illud, unde praeter intentionem oritur illa imaginatio turpis, sit licitum, non teneris illud ad eam vitandam praetermittere, modo absit periculum consensus..... Si autem non sit licitum, tenemur illud omittere etiam propter illum effectum *per accidens* provenientem; non tamen sub mortali, nisi opus sit mortale, et

secundum se ad luxuriam pertinens; sed sub veniali; ut cum opus per se ad luxuriam non pertinet; vel, si pertinet, solum est veniale... Non enim magis teneris vitare talem imaginationem, quam pollutionem; cum illa solum sit medium et via, haec vero finis et terminus. Unde sicuti istas actiones non tenetur sub peccato mortali vitare ob periculum pollutionis praeter intentionem secuturae; ita nec propter imaginationem et voluptatem inde praeter intentionem consurgentem; seposito tamen in omnibus periculo consensus.

Si tamen alia ratione, opere priore non intermisso, facile potes huiusmodi imaginationem et voluptatem partis sensitivae depellere, teneris et quidem sub peccato mortali. Unde non potes tunc habere te negative, i. e. medio modo absque consensu et positiva displicentia. Ratio est, quia non depellendo, cum commode potes, interpretative in eam consentis. Quare, cum obiectum per se sit grave, erit peccatum mortiferum. Neque hic est consensus dumtaxat in causa, sicut cum causa non amovetur, sed est consensus immediatus in ipsam delectationem: quia etiam, manente causa, facile potes eam tollere vel impedire.

Idem dicendum de pollutione. Utrum autem, quando tolli non potest nisi amotione causae, et causam non tenemur tollere sub peccato mortali, eo quod sit causa remota, aut per accidens, possimus nos negative circa illam delectationem habere, ita ut per hoc non peccetur novo peccato, aut saltem non mortaliter dubitari potest.

Resp. breviter: Non fore peccatum mortale, si absit periculum consensus. Ratio est, quia tunc negative se habere, non est ullo modo consentire nisi in causa, quem consensum ponimus ex dictis non esse mortiferum. Confirmatur: quia non potest depelli nisi amotione causae, ut supponitur; ergo non teneor conari illam aliter depellere: non enim teneor conari, quod mihi est moraliter impossibile: ergo neque teneor positivam illius habere displicentiam. Haec enim erit inefficax ad depellendum effectum, et ex alia parte minime est necessaria ad impediendum consensum. — *In praxi tamen, quia magna est hominis fragilitas, et facile, durante diu delectatione trahitur in consensum, vitanda est haec subtilitas, et excitanda quam primum detestatio illius voluptatis* ».

Ad rem etiam Sanchez l. c.: « Quinto infertur inter.... solutos.... nullum actum habere malitiam mortalem, eo quod sit pollutionis praevisae et non intentae causa, nisi, secluso eo pollutionis periculo, esset mortalis contra sextum Decalogi praeceptum. Quia soli tales actus sunt notabilis causa pollutionis. Et, quando ex se notabiliter influerent, et excusaret notabilis necessitas a pollutione; similiter excusaret a culpa contra sextum praeceptum.... *Excipe tamen,* nisi in venerea delectatione voluntas *negative* se habeat, nec admittens nec respuens. Quamvis enim sit probabilissimum non esse mortale, cessante consensus periculo; at, *si periculum sit pollutionis,* quamvis non sit consensus periculum, est mortale. Quia tenetur homo sub mortali auferre causas notabiliter ad pollutionem concurrentes; qualis est haec. Imo.... est mortale tunc tepide resistere, praeviso eo periculo. Sed tenetur voluntas ferventius se habere, quo causam illam pollutionis avertat ».

149. — DE INHONESTIS ASPECTIBUS

Ioannes, peregrinus, visitans civitatis musaea, per eorum aulas incedens, ex mera curiositate aspicit occurrentes tabellarum et statuarum nuditates; insurgentibus tamen motibus consensum denegat. Curiose item aspicit, per publicas vias incedens, mulieres infantes lactantes, vel collum parum denudatum ferentes; cum in sua patria nihil unquam huiusmodi observaverit.

Quaer. 1°. *An inhonesti aspectus sint semper grave peccatum?* — 2°. *Quid de Ioanne sentiendum?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 774. 775. — Ad 2^um^. S. Alph. 424. de picturis loquens ait: « Aspicere picturas obscoenas tantum ex curiositate, non est mortale, si delectatio turpis et eius periculum absit. Sed in praxi virum morose aspicientem pudenda mulieris depictae difficulter puto excusari a mortali, quia difficulter se liberare hic poterit a delectatione turpi, vel ab eius probabili periculo, nisi aspiceret per brevissimum tempus et in magna distantia ». Hinc idem videtur dicendum de aspectu statuarum. Quare graviter quis peccat, si earum nuditates sint totales, et aspectus fiant ex industria, proxime et cum notabili mora. Sine enim sufficienti ratione, causam ponit tunc, graviter *per se* influentem, in turpes motus, et proxime sese exponit peccandi periculo. Secus vero, *per se,* si aspectus fiant obiter et a longe, aut etiam, si ars in tabella vel in statua non emineat.

Quoad alium autem mulierum lactantium adspectum, a gravi peccato quis non excusatur, si hic ita diuturnus sit, et cum spirituum commotione, ut proximum tunc inducat pollutionis periculum, et proximum periculum consensus. Idem dicendum est de alio adspectu mulierum, quae collum deferunt parum denudatum, si item morosus seu diuturnus sit, cum spirituum commotione, ita ut proximum habeatur pollutionis periculum et proximum periculum consensus, uti facile contingit in adspiciente valde ad venerem proclivi. Leve vero tantum erit peccatum, si tales adspectus obiter fiant, vel sine tali periculo. In praxi vero magna semper adhibenda est cautela ad vitandos praesertim nimis diuturnos aspectus rerum inhonestarum, et etiam minus honestarum; neque enim, in hac naturae corruptione, diu esse potest, quin concupiscentia stimulos acuat suos. L. 422. 423. 484., Sanch. l. 9. D. 45. n. 19. 20. 24., D. 46. n. 23.–26., Lessius de Iust. et Iur. l. 4. c. 3. Dub. 14. n. 98.–102., Billuart De Temper. Dissert. 6. art. 16. *Colliges* 11°., Scav. Ed. 12^a^. Mediol. 1874. l. 1. n. 792.–795.

Ad Ioannem vero quod attinet, cum dicatur in casu eius aspectus *ex mera curiositate,* fuisse, et ex aliis circumstantiis satis appareat, eos non nisi obiter factos fuisse, et omnem ipsum denegasse consensum insurgentibus motibus, a gravi peccato immunis esse videtur. Ioannem nisi mera curiositate ductum fuisse satis constat ex eo quod rerum extra patriam novitate percellebatur; unde etiam diversa morum ratione non nihil commoveri potuit.

150. — DE INHONESTIS LECTIONIBUS

Nicolinus, bonus quidem christianus, sed amore scientiae lectioni inhians, saepius legit libros qui, licet pravi in se non sint, attamen paulo minus castigati passim apparent. Inter legendum, *nonnullas* cogitationes minus castas et concupiscentiae motus *aliquando* experitur, quibus spretis, denegatoque firmiter consensu, incoeptam prosequitur lectionem. Sed postmodum stimulis conscientiae exagitatus ad confessarium properat, et ab ipso quaerit, utrum possit, non obstantibus, quae suboriuntur, tentationibus, huiusmodi lectionibus indulgere?

Quaer. 1°. *An inhonestae lectiones graviter prohibeantur?* — 2°. *An Nicolinus peccaverit?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 776.–778. — Ad 2^um^. Negative. Ratio, quia licet causam posuerit leviter ad summum, in pravos motus influentem, id tamen egit non ex curiositate, aut ex naturali delectatione; sed ex honesta et utili ratione; ex scientiae nempe acquirendae desiderio; et actum displicentiae studiose simul elicuit in pravum effectum. Billuart De Actib. hum. Diss. 1. art. 1., G. 10. — Si vero legat ex curiositate, peccat quidem, sed *per se* venialiter tantum, quia causa non est nisi venialis, secluso semper consensus periculo. — Si praeterea absque causa legat res valde turpes, graviter peccat, saltem ob complacentiae periculum. Excipe forte, si legens ex sola curiositate, ob aetatem provectam, et frigidam complexionem, aut aliam peculiarem rationem grave libidinis periculum non incurrat. L. 1. 3. n. 426., G. 21.

151. — DE INHONESTIS COLLOQUIIS

1°. Medardus, cum ex conditione sua medici conversari saepe debeat cum personis cuiuslibet generis, eisque mederi, maiorem propensionem sentit ad agendum cum feminis, easque curandas, quam ad agendum cum viris, eosque curandos.

2°. Anatolia, mercaturam exercens, blandam, comem et familiarem cum emptoribus solet se exhibere, ut eorum augeat ad suam officinam frequentiam, et maius inde lucrum percipiat. Anxia tamen est, quia timet, ne plures forte occasione sui interne peccent.

Quaer. *An peccent Medardus et Anatolia?*

R. A peccato excusandus est Medardus, modo honeste cum omnibus agat, et exurgentibus tentationibus resistat. « Nec refert, quod Medardus sibi videatur sentire maiorem naturae inclinationem, dum intelligit, se postulari ad succurrendum feminae, quam ad succurrendum viro; tum quia etiam feminae succurrere malum non est, sed potius bonum, et sin minus ex iustitia, saltem ex caritate debitum; tum quia huiusmodi pruritus naturae non est moralis et liber, sed naturalis potius, praesertim post lapsum Adae. Ergo formaliter malus non est, etsi fatendum, quod

possit esse satis molestus castae menti, immo et periculosus, proptereaque suadendum Medardo, ut studeat illum per rationem reprimere pro possibili, et contrariis protestationibus animum obfirmare ». Elbel De Act. hum. 15.

« Anatolia non peccavit per hoc, quod se familiariorem exhibuerit erga emptores confluentes, modo terminos honestatis non excesserit, nec scandalum dederit. Ratio est, quia familiarem immo et familiariorem aliis sese exhibere, intra terminos tamen honestatis, non est malum, sed ex se indifferens. Atqui medium de se indifferens licite amplectimur in ordine ad finem bonum, uti erat ille ab Anatolia intentus ». Elbel l. c. 75. Unde neque scandalum ullum, per se, ipsa praebet, si, ut apparet, illa comitas et familiaritas intra terminos sistat merae urbanitatis et honestatis, nec ad alia refertur, quam ad bene gerenda mercaturae negotia. — G. 24. 25.

152. — DE OSCULIS ET AMPLEXIBUS

Livonia filiae suae, ad nuptias valde favorabiles adspiranti, consuluit, ut erga sponsum cordialem se exhibeat, eidemque blandiatur, et colloquia, oscula, amplexus, aliave lenimenta nullatenus recuset eo fine, ut ipsius amorem captet, et matrimonium non impediatur.

Quaer. 1°. *An graviter illicita sint oscula et amplexus?* — 2°. *An graviter Livonia eiusque filia peccaverint?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 782. et V. 2. n. 946.-948. — Ad 2^um^. Livonia graviter peccat tum contra pietatem, tum contra castitatem, ratione scandali filiae dati; siquidem sine ullo discrimine honesta et inhonesta filiae suae indifferenter suadet. Eius autem filia graviter etiam peccavit contra castitatem, si ideo ne a sponso derelinqueretur, actus graviter turpes suo sponso reapse permisit. Ac quamvis forte gravida iam evasisset, ab iis omnino abstinere debet. In peccato enim continuari non debet; sed ab eo omnino cessandum est. Aliis mediis honestis, honestisque amoris signis studeat lucrari animum sponsi. Matrimonia mediis illicitis obtenta plerumque infaustum sortiuntur exitum. — Elbel 74. 76. 77. 308., G. 26.

153. — DE CHOREIS ET SPECTACULIS

Gaudentia materfamilias, sinit imo iubet, filiam suam Honoratam, in arte sonandi varia musicalia instrumenta, cantandi et saltandi, a magistro doceri. Saepe autem fit, ut Honorata debeat variis conventibus, quae in domo paterna habentur, etiam cum iuvenibus diversi sexus cognatis, vicinis et amicis saltare. Id Honorata agit nihil mali in eo videns aut capiens. Unde eius confessarius rem resciens eam quidem adhortatur per modum consilii, ut quantum possit a choreis abstineat, sed nullam ei imponit obligationem.

Quaer. 1°. *Quid de Choreis generatim tenendum?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1um. Choreae *per se* illicitae non sunt inter personas etiam diversi sexus. Illicitae tamen esse possunt, si fiant modo minus honesto, ratione nuditatum, aspectuum et tactuum, itemque ratione periculi et scandali, quod in eis adesse possit. Hinc choreae generatim dissuadendae quidem sunt, utpote plus minusve periculi habentes; sed earum illiceitas et grave aut leve peccatum affirmari absolute non potest, quin variae in praxi occurrentes circumstantiae attendantur. Attendenda etiam est necessitas, quam quis habere possit choreis assistendi. Non raro enim fideles gravi de causa, et morali necessitate ad choreis interveniendum impelluntur. Idem fere dicendum est de spectaculis, quae *per se* mala non sunt, nec proinde illicita. Attamen mala et illicita esse possunt, si res turpes repraesententur, si verba et cantus sint inhonesti, si sint indecentes vestitus; itemque, si periculum gravis peccati ex variis circumstantiis quae vitiis fomentum praebent habeatur, vel scandalum habeatur, quod praesertim in parvis civitatibus haberi potest, cum singuli ab omnibus ibidem cognoscantur. — I. M. 777. 782., G. 233. seqq.

Ad 2um. Gaudentia, per se loquendo, argui nequit de peccato praesertim gravi, si media adhibeat, quae in tali casu suggerit prudentia, ut nempe magister vir honestus sit, et ipsa praesens sit, vel saltem per aliam prudentem personam invigilet. Honorata pariter de gravi praesertim peccato culpanda non est, cum nullum sit pro ea periculum, et nihil mali in illis choreis videat, unde concludendum est, quod non nisi honestae sint. An vero arguenda sit saltem ratione cooperationis aliorum peccatis, non constat; neque potest affirmari, cum actum ipsa ponat non malum, sed in se indifferentem, nesciatque omnino, utrum alii adsint, qui sua occasione scandalum patiantur. Neque vero necessitas quaedam saltandi pro ipsa deesse videtur ex eo quod illae choreae in propria domo a suis genitoribus instituantur. Quare bene agit confessarius Honoratam adhortando, et importune non increpando, vel erronee obligando. — G. 233. seqq.

154. — DE FORNICATIONE

1°. Mauritius carnale habuit commercium cum meretrice. Facti poenitens, ad confessarium accedit, et ait semel se esse fornicatum.

2°. Tiburtius post propositum non amplius peccandi cum sua concubina, infeliciter in peccatum iterum labitur. Valde dolens suum confitetur peccatum, inquiens bis in fornicationem incidisse.

3°. Urbitius omni industria virginem ad peccatum sollicitavit; eamque tandem consentientem defloravit. Sese accusans in sacramentali confessione, ait, fornicationis peccatum se commisisse.

4°. Sulpitius cum sua sponsa peccavit. Peccatum autem confitendo simplicem fornicationem accusat.

Quaer. 1°. *Quid sit fornicatio et quale peccatum?* — 2°. *An integre omnes, in variis casibus, fuerint confessi?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 788. 789. — Ad 2um. *Meretricium* status est mulieris, quae omnibus parata est sub mercede sui corporis copiam facere. Carnale igitur commercium cum meretrice habere speciale peccatum a fornicatione distinctum non est, *per se loquendo*. Attamen speciale peccatum, in casu particulari, facile haberi potest, si aliquid positive fiat ad impediendam generationem, vel proli iam conceptae nocumentum afferatur. Cum nulla sit casus circumstantia, qua id coniici possit; dicendum consequenter est, Mauritium, si sit *solutus,* sufficienter explicasse suum peccatum. Si tamen meretrix ipsa ad confessionem accederet, explicanda in praxi esset ista circumstantia, ad cognoscendum statum et genus occasionis poenitentis, et consequenter ad debitam eius directionem.

Concubinatus est frequens concubitus soluti cum una eademque persona soluta. Nihil refert, quod personae in eadem vel in diversis domibus maneant, si tamen uxorio more secum vivant. Imo, si hic concubitus habeatur cum uxorato vel uxorata, adhuc dicitur concubinatus, quamvis improprie, quia tunc etiam adulterii malitia includitur. In hoc igitur differt concubinatus a simplici fornicatione, quod fornicatio indicat simpliciter concubitum soluti cum soluta, modo una, modo altera; concubinatus vero exercetur erga eandem personam, ac si esset coniux. Gravissimum peccatum est concubinatus; quia concubinarius et peccat et perseverat in statu peccati mortalis, unde ordinarie non debet absolvi, nisi dimissa concubina. Tiburtius igitur sufficienter speciem peccati explicavit, si solutus sit; illa tamen concubinatus circumstantia a confessario dignoscenda est propter relapsum et occasionem.

Stuprum, stricto sensu acceptum, est defloratio virginis, ipsa invita, et speciale peccatum est, quia praeter fornicationem gravissimam continet iniuriam oppressae virgini irrogatam. *Stricto sensu acceptum;* lato enim sensu stuprum etiam dicitur non solum stuprum violentum, sed etiam voluntarium, seu virgine omnino consentiente, et tunc communius habetur uti mera fornicatio. Quare Urbitius sufficienter suum peccatum explicavit, si tamen omnis abfuerit fraus. Etenim, si virgo fraude ad malum inducatur, v. g., falsa matrimonii, aut magnae dotis promissione, vel gravi etiam metu reverentiali, licet ipsa quoque peccet consentiendo; eius tamen consensus extortus est per gravem iniuriam, et per vim moralem. — I. M. 790.

Fornicatio sponsi cum sponsa probabilius diversae speciei non est. Quare Sulpitius sufficienter suum peccatum confessus est. Illa tamen sponsalium circumstantia aliunde esset a confessario cognoscenda, ad debitam poenitentis directionem, et ad occasionem peccati diiudicandam.

155. — DE STUPRO

Bertina famula, mulier timens Deum, adeoque a peccato abhorrens, pluries ab hero enixe ad malum sollicitata toties ei restitit. A confessario inducta ad huiusmodi peccandi occasionem deserendam rogat et instat, ut in eodem famulatu remanere queat, quia stipendium maius a

domino accipit, aliumque locum honestum difficile invenire valeret. Eius votis annuit confessarius. Verum mox ab hero iterum sollicitatur, et ab eo invita opprimitur. Quid misera? Primum clamare non audet, ne herum simul et seipsam diffamet. Subinde clamare volenti, mortem minatur ille libidine furiosus. In extremis igitur versans angustiis Bertina externe se habet mere passive, interne vero ex corde et animo peccatum detestatur.

Quaer. 1°. *Quid sit stuprum?* — 2°. *An debuerit Bertina occasionem hanc peccati deserere, et ad hoc a confessario obligari, etiam sub poena denegandae absolutionis?* — 3°. *An graviter peccaverit non clamando ob infamiae metum?* — 4°. *An graviter peccaverit non clamando, et se passive habendo ob metum mortis?* — 5°. *An, si potuisset, herum in casu occidere debuisset?*

R. Ad 1^um^. Cf. I. M. 790. 791. — Ad 2^um^. Si Bertina facile invenire potuisset alium dominum, debuisset quidem praesentem peccandi occasionem deserere, cum nulla tunc fuisset rationabilis causa in ea persistendi. Si vero facile non potuisset alium dominum invenire, cum revera occasio peccandi sit pro ipsa remota; siquidem *mulier est timens Deum, a peccato abhorrens, et tentationi semper restitit,* a confessario obligari non poterat ad eam deserendam sub poena denegandae absolutionis.

Ad 3^um^. Controvertitur. Iuxta plures non peccavit. Nam dicunt, « quando ex clamoribus timet sibi grave damnum infamiae, mortis, aut nimiae verecundiae, ad id non teneri. Ita Sot., Navarr., et Reginald., quam etiam sententiam amplecti videtur Bonac., quod mihi etiam probabile videtur, quando grave damnum sibi ex vociferatione timeret ». Lugo D. 10. n. 198., La-Croix l. 3. P. 1. n. 916. Iuxta alios peccavit graviter *per se,* primum non clamando, nisi bona fide fuerit excusata. Adhibere enim remedium facile debuit ad tantum castitatis periculum evadendum. Neque vero valet allata excusatio metus infamiae. Etenim nullam ipsa famae iacturam incurrit clamando; siquidem solae honestae mulieres in pari casu clamare solent. Quod autem ad famam heri attinet, propriae imputet malitiae, si famae periculum patiatur. — Elbel 40.

Ad 4^um^. Controvertitur pariter. Sententia negans multo magis probabilitate non caret ob gravissimum mortis metum. Etenim « illa permissio non est tunc cooperatio moralis, sed tantum materialis; et ideo ob periculum mortis satis excusatur... Non tamen negandum affirmantem sententiam in praxi omnino suadendam esse, saltem ob periculum consensus, quod in illa permissione facile adesse potest ». L. l. 3. n. 368.

Ad 5^um^. Licite quidem, si potuisset, herum occidisset Bertina invasorem suae pudicitiae. Fuisset enim iusta defensio. Ad id tamen non tenebatur, licet ipsa fuisset interficienda. « Nemo enim tenetur aggressorem occidere, sed licite et laudabiliter potest occisionem propriam permittere; ne alter vita temporali et aeterna privetur ». L. 380. Cf. I. M. 727. 729. 730. — G. 19. 20.

156. — DE USU MATRIMONII

Marina, post initum matrimonium, non sine gravi difficultate copulam prima vice perficere potuit. Ea enim aliter perfici non potuit, nisi sese excitando, in ipso viri accessu, usque ad seminationem antequam nempe copula reapse perficeretur. Eadem perseveravit semper difficultas propter angustiam organi, unde nisi illud agat, impossibilis ipsi est coniugalis copula, vel non sine gravi dolore. Rem saepe suis exposuit confessariis. Alii ei dixerunt licere ei ita se excitare etiam usque ad seminationem, immediate ante ipsam copulam; quemadmodum liceret se excitare eodem modo immediate post copulam. Alii vero dixerunt, minime licere ita sese excitare immediate ante ipsam copulam, et addiderunt matrimonium, in casu, esse nullum ob impotentiam; cum copula non sit possibilis nisi medio omnino illicito.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Quod huiusmodi matrimonium fuerit nullum ob impotentiam mulieris hoc quidem nullo pacto admitti potest. Etenim de facto perfecta fuit copula, ut ex casu apparet; adeoque matrimonium hoc nullum esse non potest ex impotentia, quae impotentia ad coeundum simpliciter est, et non ad coeundum facile vel difficile, cum dolore vel sine dolore; eaque vero, quae in casu adest, qualiscumque impotentia, bene tolli potest, et de facto tollitur, absque corporali periculo, et remedio ceteroquin licito, ut mox explicabitur. Nullitas enim ratione impotentiae in casu aliter ab illis confessariis rationabiliter affirmari non potuit, nisi quatenus ipsi putarent illum congrediendi modum esse illicitum, adeoque impotentiam in casu non tolli nisi *illicito medio*.

Quoad autem confessariorum discordiam circa illam excitationem, immediate ante copulam, forte ad concordiam adducerentur, si alii aliis rite explicarent suam mentem. Etenim, si illud *immediate ante* grosso quodam modo, et lata ratione accipiatur, ut nempe mulier, ante ipsum *coitum,* immo ante ipsum viri *accessum,* sese excitet usque ad perfectam seminationem seu pollutionem, id quidem illicitum omnino apparet. Etenim ille actus reapse totus quantus est, in se plene perfectus est, independenter a copula, adeoque vere naturam habet pollutionis. Et, si deinde copula de facto sequatur, quantum est ex ipsa natura talis actus, haec copula secuta non se habet *per se* ad illam praeviam excitationem, tanquam naturalis eius perfectio et naturale complementum, sed illa copula sese habet mere *per accidens*. Verum in tali casu revera non habetur quod illa excitatio fiat *immediate ante ipsam copulam,* cum revera inter hanc et illam aliae intercedant actiones, adeoque illud *immediate ante* lato et grosso modo sumitur.

Sed, si proprie et stricte sumatur illud *immediate ante ipsam copulam,* ita ut praedicta excitatio locum habeat in *ipso accessu* viri ad uxorem, et non ante; qui accessus solum, est illud, quod vere et proprie intelligi potest *immediate ante ipsam copulam,* tunc gravis illius excitationis illiceitas non apparet, ita ut non possit sine gravi et proportionata causa permitti. Ratio brevis et urgens videtur, quod iam illa

excitatio minime *per accidens*, sed e contra *per se ad ipsam* copulam referatur, et non nisi ad copulam referatur, cum sit reapse *initium et inchoatio ipsius copulae*. Et hoc tantum *initium, et inchoatio copulae*, ipsam copulam *immediate* praecedit, non aliud. Confirmatur eadem assertio ex theologorum auctoritate. Nemo enim revera est, qui illiceitatem huiusmodi excitationis ex parte uxoris, in ipsa copula inchoata iam, denegat.

Etenim 1°., licet theologi communiter id *explicite* non doceant, quia hanc quaestionem non tractant, supponentes mulierem frigidioris semper esse naturae, *implicite* tamen id innuere saltem videntur, cum permittunt uxori ante actum, « tactibus se praeparare ad copulam ». S. Alph. n. 919. Enimvero talis praeparatio *natura sua* usque ad seminationem progreditur : quod confirmari potest ex ipsa comparatione, quam S. Doctor l. c. instituit, quae secus nihil omnino probaret, « *sicut* potest uxor tactibus se praeparare ad copulam, *ita etiam* potest *actum copulae perficere,* » nempe postquam vir se retraxerit. Et idem evincitur etiam ex alia ratione, quam addit S. Doctor, quod nempe possit uxor, postquam vir se retraxerit, statim tactibus se excitare ad seminationem, quia ista mulieris seminatio *multum confert ad generationem*. Iam vero magis adhuc confert, ex physiologia et medicorum sententia, illa excitatio tum actui maritali, tum ipsi generationi, si statim antea fiat in ipso nempe accessu viri, et inchoatione copulae. Pont. de Matr. l. 10. C. 11. n. 5., Giribaldi Tr. 10. de Sacr. Matr. C. 19. D. 7. n. 41-47.

2°. Principium a theologis communiter admissum est: « Non est necesse utrumque coniugem seminare simul ». Sanchez de Matr. l. 9. D. 17. n. 9. Potest vir prius seminare et deinde uxor; potest uxor prius seminare et deinde vir, in actu coniugali. Cf. S. Alph. l. 6. n. 918. 919. Hinc communiter deducitur *immediate* etiam *post* actum coniugalem posse uxorem seminare; quia ista uxoris seminatio habetur, *supposita viri seminatione,* ut *complementum* actus coniugalis. Porro inde sequitur etiam, logica deductione, quod *immediate ante* possit uxor seminare, in ipso viri accessu, siquidem tunc *inchoatio* copulae habetur quae copula peracta, viri seminatione completur et perficitur. Attentis autem physiologicis doctrinis de hac re, illa mulieris impropria seminatio potius pertinet ad praeparationem et dispositionem proximam et immediatam actus coniugalis eiusque *inchoationem* quam ad eius *complementum*. Insuper magis *ad copulam* refertur, et magis *copulae praeparatio* et *inchoatio* est, si fiat *immediate ante,* dum nempe vir in eo est, quod coitum perficiat, et est iam ad os vaginae mulieris, quam si fiat *immediate post,* nempe, ut communiter dicunt theologi, *postquam vir se retraxerit;* copula enim tunc non amplius ullo modo habetur; et tamen mulieris seminatio ut *Copulae Complementum* a theologis reputatur.

3°. Praeterea actus coniugalis in eo est, quod *maritali congressu* vir et exor fiant una caro per seminum commixtionem. Hoc quidem non impedit, quominus mulier, quae non seminavit *in maritali congressu* eo cessato iam, statim post seminet, quia adhuc habetur seminum commixtio *vi eiusdem maritalis congressus*. Atqui idem prorsus, et multo magis verificatur, si, immediate ante illum congressum, mulier, ad eumdem *proxime* se praeparans et disponens, in ipso nempe eius initio et inchoatione, seminet; secuto enim immediate post, *ex ista proxima praepa-*

ratione et *congressus initio,* ipso congressu, seminum commixtio iam habetur *vi eiusdem coniugalis congressus.*

Accedit, quod, ex sententia iam communiter admissa, licet viro instituere copulam imperfectam, i. e. *inchoare* tantum *copulam,* et hac *copulae inchoatione,* ex rationabili et sufficienti aliqua causa, effundere etiam semen ad externam feminei organi superficiem, seu ad os vaginae. Cf. Ballerini, nota ad n. 855. P. Gury Vol. 2. pag. 830. seq., D'Annib. P. 3. n. 431. Ergo *a fortiori* potest mulier, quin aliquid faciat naturae repugnans *in eiusdem copulae inchoatione* sese excitare usque ad seminationem. Aliquando quidem non alio modo possibilis est ex parte feminae naturalis copula, neque alio modo fieri potest sine gravi feminae dolore et incommodo: nam fibrae naturaliter tunc relaxantur et dilatantur.

4°. Idem sequitur ex alio principio communiter admisso, quod ut habeatur mortale peccatum inter coniuges aliquid fieri debet *contra bonum matrimonii.* Atqui ille actus immediate ante copulam, in ipsa copulae inchoatione, secundum physiologiae documenta, nihil nocet humanae generationi; immo utilis et multum utilis, tum ipsi actui coniugali, tum ipsi prolis generationi, a physiologis communiter reputatur. Ex praedicto principio theologi colligunt, secluso voluntariae extra vas pollutionis et sodomiae crimine, vix aliud gravis culpae certe damnari posse in coniugibus. Non agitur, ut patet, hic de sodomia, neque quaestio esse potest de pollutione *extra vas,* cum feminea seminatio naturaliter et communiter *extra vas* non fiat; nisi ex proposito et ex lascivia illam extra vas humoris effusionem femina in se procuret, et hic non est praesens casus. Scav. Ed. 12ª. Mediol. 1874. l. 1. n. 778. Neque vero quaestio esse potest de pollutione, *simpliciter tali,* nam haec est seminis effusio sine congressu cum alio, ita ut *frustranea seminis effusio* habeatur *contra naturae ordinem.* In casu, de quo agitur, inchoatio copulae habetur, adeoque dici non potest quod verificatur illud *sine congressu cum alio;* et multo magis non verificatur in hoc casu, quam in alio iam indicato, in praedicto illo *complemento copulae.* Sed certo certius *frustranea seminis effusio* non habetur, cum perfecta mox copula, seminum commixtio, completo utrinque coniugali actu, habeatur. — Cf. Verricelli De Apost. Miss. Tit. 18. q. 303. seqq., Quaest. Mor. leg. Tr. 4. q. 27. S. 7. Mendo Statera etc. D. 5. Q. 18. in fine.

157. — DE ONANISMO

1°. Candidus, confessarius, licet prudentem suspicionem habeat, quod coniuges onanistice matrimonio utantur, eosdem coniuges, de illo peccato sese non accusantes, semper interrogare omittit. Etenim primo, omnes ipse considerat tanquam constitutos in bona fide. Praeterea ita ipse agit, ne coniuges offendat.

2°. Pius, confessarius quaerit: 1°. an possit absolvi mulier, quae pateretur quidem virum, si recte ageret in copula coniugali, vehementer autem desiderat, ut vir se retrahat; quia mulier illa prolem habere formidat. 2°. An possit absolvi mulier, quae, in copula coniugali, posset suis blanditiis obtinere a viro, quod non se retraheret, et non facit; quia illa copula sibi displicet.

3°. Bertha virum habet, quem constanti experientia cognovit esse onanistam. In vanum omnia tentavit media, ut illum a tam nefando crimine retraheret. Quin immo gravissima, aut saltem gravia mala ei imminent nunc probabiliter, ita ut vel haec mala incurrere debeat, vel fugere e domo mariti, nisi permittat saltem aliquando abusum matrimonii.

Quaer. *Quid ad Casus?*

R. Candidi praxis probari non potest, omittendo semper coniuges interrogare, etiam quando prudenter constet de matrimonii abusu. Falsum autem omnino est, omnes huiusmodi coniuges, male agentes, esse in bona fide. Ac ad omittendam interrogationem, alioquin faciendam, ratio quidem sufficiens non est, ne praedicti coniuges offendantur. S. Poenit. 21 Maii 1851., 10 Mart. 1886. Enchir Moral. N. 827. Interrogatio autem discrete et prudenter, quando eam fieri oportet, facienda est. Praefatus confessarius revocet in mentem adagium illud *sancta sancte esse tractanda.* Ac ne in interrogationibus excedat, verba etiam perpendat S. Alph., qui in Praxi Confessariorum § 4. n. 41. inquit: Circa autem peccata coniugum, respectu ad debitum coniugale, *ordinarie loquendo,* confessarius non tenetur nec decet interrogare nisi uxores, an illud reddiderint, modestiori modo quo possit. De aliis taceat, nisi interrogatus fuerit. S. Poenit. 8. Iun. 1842.

Ad utrumque Pii quaesitum negative respondendum est. S. Poenit. 27 Maii 1847. In primo enim casu mulier illa rem intrinsece malam desiderat, siquidem res est iuri naturali matrimonii contraria. S. Poenit. 21 Maii 1851. In altero vero casu, mulier consentiens est in abusum matrimonii ex parte mariti.

Ad Bertham quod attinet, « cum *in proposito casu,* mulier a sua quidem parte *nihil contra naturam agat, detque operam rei licitae,* tota autem actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui loco consummandi, retrahit se, et extra vas effundit; ideoque, si mulier post debitas admonitiones nihil proficiat, vir autem instet, minando verbera aut mortem, aut alia gravissima mala, poterit ipsa, ut probati theologi docent, citra peccatum permissive se habere: cum, in his rerum adiunctis, ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat, idque *ex gravi causa,* quae eam excusat; quoniam caritas, qua illud impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat. » S. Poenit. 1. Febr. 1832. — Gury Comp. Vol. 2. n. 927. seqq. Scav. Ed. 12ª. Mediol. 1874. l. 3. n. 921. 922.

158. — DE CONCEPTIONIS IMPEDIMENTO

Moevia, *plures timens habere filios, statim* post coniugalem actum solet se lavare aqua *frigida.* Verum timens simul, ne hoc sit peccatum quatuor interrogat confessarios. Primus respondet, id esse omnino illicitum. Alter asserit, id esse simpliciter licitum. Tertius affirmat, id quidem esse illicitum si fiat *statim* post maritalem congressum, vel *paulo post;* minime vero, si fiat saltem post *tres vel quatuor dies.* Quartus ait id esse illicitum, si fiat aqua *frigida,* minime vero si fiat aqua *calida.*

Hinc Moevia post tot diversas resolutiones quintum adit confessarium, ut sciat, an in ea praxi pergere possit, candide asserens, se revera nullum amplius habuisse filium, postquam eam lotionem adhibere inceperit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Dubium primo esse non potest de gravi Moeviae peccato in praedicta praxi, ex *prava,* quam habet, *intentione, generationem impediendi,* praescindendo etiam ab ipsa natura et vi illius lotionis. Satis superque apparet Moeviam in illa persistere ex timore, quo afficitur, plures habendi filios; eam consequenter adhibet ad conceptionem impediendam.

Verum quid de praedicta praxi, satis communi, sentiendum? si illa in se consideretur, et absit prava intentio; siquidem ex medici praescriptione adhibeatur propter infirmitatem, nempe propter humoris fluxum, quem non raro mulieres experiuntur.

Ex medicorum et physiologorum sententia, aqua frigida vel occidit germen, vel certe imminuit eius virtutem foecundativam, quae determinato quodam indiget caloris gradu. Activitas enim foecundans spermatozoidum conservatur calore, 30. gradus exsuperante; calore vero sub 20. gradus decrescente, quamvis adhuc conservetur, minor tamen est eius energia. Hinc lotiones seu interiores irrigationes aqua frigida factae, illicitae *per se* sunt, quia vel impediunt generationem, vel saltem periculum satis proximum continent generationis impediendae.

Item, si aqua, licet sufficienter calida sit, non sit tamen simplex aqua, sed aqua medicata, tunc casus in particulari examinandus est; nam sunt pharmaca quaedam, quae habent eandem vim occidendi germen, alia vero sunt quae omnino innocua sunt.

Insuper, si lotio fiat non solum statim verum etiam paulo post coniugalem actum, semen disperditur, et impeditur generatio. Necesse est, ut saltem dimidia hora, vel ad summum tres quadrantes, vel etiam integra hora elapsa fuerit, ne generatio impediatur. Si praeterea lotio seu irrigatio non tantum fiat in vagina, verum etiam in utero, ita ut aqua maiori quadam pressione in ipsum uterum immittatur, eumque penetret, praedicta lotio et irrigatio illicita omnino est; siquidem vel germen ea asportatur, vel, si iam conceptio facta sit, abortus procuratur. Quare lotio non nisi levi aquae pressione fieri debet, ne vaginam praetergrediatur, et ex utero semen asportetur vel fetus eiiciatur, et quia, si semen adhuc in vagina remanserit, eo facilius tunc semen e vagina asportatur, quo maior erit aquae pressio qua intus introducitur. Praegnationis autem initio saltem prudens est ab huiusmodi lotionibus seu irrigationibus abstinere, cum aliquale periculum in ipsis adesse possit abortus.

Hinc, si debitae adhibeantur cautelae, tum ne semen eiiciatur, tum ne conceptio impediatur, tum etiam ne abortus procuretur, illicita praedicta lotio non videtur, ita ut debeat uxor sub gravi ab ea abstinere, licet aliunde omnino *necessaria* sit ipsi ob infirmitatem, quam patitur, fluxus acris et nocivi humoris; sed, si posset ab ea abstinere, vel eam saltem diutius differre post actum coniugalem, et integrum diem vel duos tres dies expectare, melius profecto esset. Neque sane apparet, saltem ordinarie, tam urgens ratio, cur ita non differatur. — Cf. Debreyne Essai sur

la Theol. Mor. P. 3. C. 1., Legrand de Saule Médecine Légale, Paris 1886. pag. 265. 266., etc.

Ea quae praecedunt confirmari possunt doctrina et auctoritate S. Alphonsi quoad alios casus, valde hac in re practicos. 1°. « Possunt quidem coniuges ex gravi causa aliquid facere, ex quo *per accidens* sequatur effusio seminis; peccant tamen, si in usu matrimonii, vel post usum *faciant aliquid,* quo *impediatur conceptio,* aut *semen conceptum reiiciatur.* Ratio prioris est, quia non impeditur generatio, ne indirecte quidem, sed tantum permittitur, ut non fiat, quod licet ex causa rationabili. Ratio posterioris est, quia agunt contra fidem et finem principalem matrimonii. Unde tales non excusat paupertas imminens aut periculum ex partu ». Lig. 954.

2°. Hinc grave est, si mulier in usu matrimonii animum ad alia divertat, *ut conceptionem impediat.* Lig. 918. 954. Itemque « uxor peccabit mortaliter, *si statim post copulam,* mingit, aut surgit, vel aliud aliquid facit, *animo ut semen receptum expellat,* quia frustrat finem, ad quem semen est a natura institutum.... Dictum est autem, si mulier id facit *statim,* et *animo expellendi semen,* nam si id faceret ex aliqua necessitate, puta ad vitandum periculum mortis, aut scandalum aliorum, omnes dicunt non peccare; sicut etiam conveniunt non opus esse, ut uxor post copulam *diu immota et resupina* maneat, eo quod *brevi tempore* matrix semen attrahit, et arctissime clauditur ». Lig. 954. 918.

3°. Loquens S. D. de situ naturali haec in fine subdit: « Dicunt autem Sanch., Pont., Pal. et Boss., cum Perez, Hurt. et Aversa, non esse mortale, si, *ob variationem situs, pars tantum seminis decidat, reliquo intra vas retento, sufficienti ad generationem;* quod dicunt Sanch. et Bossius aliquando evenire; imo fere semper evenire aiunt Palaus et Pontius, qui testatur sic medicos asserere. Verum Salm. hanc opinionem vocant nimis laxam, quia, ut inquiunt, prodigere semen humanum sine rationabili causa non potest excusari a mortali; ceterum dicunt ipsi Salm. ac Sanch. et Spor. cum Aversa, non teneri confessarium interrogare coniugem de hoc se accusantem, an semen effusum sit vel non, quia raro, ut aiunt, accidit semen effundi; et sic etiam ego pluries audivi ab eis, qui apud me in confessione se accusabant praepostere coivisse. Eos vero, qui coeunt stando, vel sedendo, vel muliere incuba, puto esse in maiori periculo semen effundendi. Sed per hoc non audeo damnare sententiam Sanchez, Pontii, Palai, et aliorum, ut supra: nam possent ipsi Salmanticensibus respondere, quod sine iusta causa prodigere semen, sive, ut melius Salmanticenses dicere debebant, *permittere,* ut semen prodigatur, nunquam licet, quando semen extra vas uxoris effunditur, non vero quando intra immittitur, et *per accidens* non autem *ex ipso actu* prodigitur; quia tunc matrix, ut dicunt aa. praefati, *iam attrahit quod est sufficiens ad generationem, et reliquum tanquam superfluum expellit* ». Lig. 917.

« Sumens vel dans potionem, vel aliud efficiens, quo prolis conceptio impediatur, et sterilis evadat coniux, peccat mortaliter, quocumque fine id fiat, puta, quia uxor solet parere cum mortis periculo; ratio est, quia data opera impeditur semen a suo naturali fine generationis, et contra naturam est. Ita Caietan. in 2. 2. q. 154. a. 1. ad 2., Sanch. de Matr. l. 9. D. 20. n. 2. Et constat ex C. *Aliquando* 32. q. 2. V. Lig. l. 6. n. 954 ». Scav. Ed. 12ª. Mediol. 1874. l. 3. n. 839.

159. — DE POLLUTIONE VOLUNTARIA IN CAUSA

Lubanus, sive utilitatis causa, sive etiam non raro recreationis gratia, equitare solet. Ast saepe inter equitandum, motus carnales, imo quandoque et ipsam pollutionem experitur. Licet autem huiusmodi pravos effectus ex animo detestetur, timet tamen, ne conscientiam graviter maculet, et iterum anxius a confessario quaerit, utrum propositum non amplius equitandi efformare debeat?

Quaer. 1°. *An pollutio voluntaria in causa grave aliquando sit peccatum?* — 2°. *An Lubanus peccaverit?*

R. Ad 1^um^. Affirmative, nimirum cum causa posita influat *per se proxime* et *graviter* in pollutionem, eaque ponatur *absque iusta* necessitatis, vel utilitatis, vel commoditatis *ratione*. Porro actiones seu *causae per se proxime* et *graviter* in pollutionem *influentes* eae sunt, quae directe, natura sua, ad pollutionem *per se* tendunt, eo fere modo, quo dicitur causa *per se* mortis inflictio lethalis vulneris; atque idcirco gravem constituunt culpam in genere luxuriae. Sunt, v. g., cogitationes morosae de rebus venereis, voluntarius aspectus concubitus humani, colloquia aperte nimis inhonesta, lectio vel auditio rerum valde turpium, tactus turpes in pudendis. I. M. 35.–37. 40., Scav. Ed. 12^a^. Mediol. 1874. l. 1. n. 780. Licet autem *iusta ratione,* non obstante pravo effectu, praedictas causas ponere.

Ratio est, quia nullus artifex debet omittere inchoationem aut prosecutionem operis propter defectus consequentes ex necessitate materiae. Stulte enim aliquis omitteret constructionem serrae vel gladii ex eo quod rubiginem contrahent, propterea quod ex ferro fiant, et sic de aliis. Pollutiones autem et stimuli carnis in proposito contingunt ex necessitate materiae, ex eo quod res venerea est materia purganda, lavanda, disputanda, praedicanda, cogitanda; exinde naturali sequela sequitur commotio carnis, etc. Non igitur debet homo propter defectus contingentes ex necessitate materiae venereae omittere non solum necessaria, sed utiles cogitationes, locutiones, auditiones etc. Nam alioquin oporteret aut angelos aut viros valde privilegiatos tantum de eiusmodi disputare, audire, etc., cuius oppositum ecclesiastica habet consuetudo et ratio docet. Ita Caietan. Tom. 1. Opusc. Tract. 22. q. un. Billuart De Temper. Dissert. 6. art. 12. par. *Confirmatur Conclusio.*

Et Lessius l. 4. C. 3. D. 14. n. 102.: « Si actio illa seu causa sit *per se propinqua dispositio* ad pollutionem, qualis est contactus et aspectus partium inhonestarum etc., tenemur illam ratione pollutionis sub peccato mortali vitare, *nisi aliqua necessitas ad illam actionem nos cogat.* Ratio est, quia eiusdem moris est, per se loquendo, consentire in effectum et in causam eius propinquam. Quando tamen subest *alia iusta causa* illius actionis, tunc effectus ille non censetur *volitus*, sed solum *permissus,* utpote praeter intentionem obveniens. Confirmatur in proposito. Nam contactus ille non movet, nisi ut apprehensus a phantasia. Sed apprehensus a phantasia, v. g., ut medium necessarium ad curandum non habet vim concitandi libidinem. Quod si cum ea apprehensione simul subrepat alia, ut rei delectabilis, eaque moveat, id *per accidens* est, ex miseria naturae, et praeter intentionem agentis, non ex

natura obiecti sub ratione medii ad sanitatem considerati. Unde ob talem effectum non tenemur nos eo commodo privare. Dicitur autem, *per se dispositio, seu causa propinqua;* quia, *quando secundum se,* non ut medium ad alium finem, apprehenditur, talis est ».

Ad 2^um^. Inquietandus non est Lubanus. Ratio, quia ea causa remota et per accidens est; unde in tali et simili casu, « homo potius patitur, quam agit, dum pollutio non ex sua malitia, sed ex infirmitate naturae procedit.... Cui accedit, quod quando causa habet duos effectus, unum bonum, alterum malum poni potest ex intentione solius effectus boni, permissive se habendo ad malum. » L. 483., S. Th. 2. 2. q. 64. a. 7., G. 11.

160. — DE INVOLUNTARIA POLLUTIONE

Marchantius delectationem turpem semel habuit, sed dubitat, an dormiens aut vigilans. Saepe in somno pollutionem patitur. Mane vero gaudet, quod ideo bene se habeat, et liber sit a tentationibus. Incoeptam tandem pollutionem in somno expergefactus impedire non conatur. Saepe etiam distillationem patitur, circa quam valde anceps est, an sit peccatum.

Quaer. *An Marchantius peccaverit?*

R. Marchantius in 1°. casu a peccato excusari potest. Praesumptio enim stat pro statu somni; siquidem quae in statu vigiliae fiunt advertuntur et cognoscuntur. Voit 37. — In 2°. casu excusandus adhuc magis est a peccato, propter defectum voluntarii. Voluntarium tamen esse potuit *in causa,* si illum pravum effectum praevidens, saltem confuso modo, eius causam posuerit turpibus lectionibus, colloquiis, cogitationibus etc. Cf. Sanch. l. 9. D. 45. n. 28. — In 3°. casu excusandus saltem est a gravi peccato, si non nisi de bono effectu secuto gaudeat. Cf. I. M. 292. 294. G. 23. — In 4°. casu « nec tenetur eius fluxum actualem cohibere, quia, ex quo in dormiendo excitatus est motus carnis, non subiacet ulterius voluntati vigilantis, et quamvis subiaceret, cohiberi non posset absque notabili gravamine corporis et periculo infirmitatum; quapropter potest illum permittere tanquam effectum causae naturalis, quae amplius impediri non potest.... Idem dicendum videtur de quacunque pollutione involuntaria, sive in somno sive in vigilia eveniat, cum sit utriusque ratio eadem quantum ad hoc ». Billuart de Temper. Dissert. 6. art. 13. in fine., Scav. Ed. 12^a^. Mediol. 1874. l. 1. n. 782., Lig. 479.

Postremo ad *distillationem* quod attinet, hoc primum notandum est, quod *distillatio* proprie differt a *pollutione. Pollutio* enim est, humani seminis effusio sine congressu cum alio. *Distillatio* vero est fluxus quidam humoris medii inter urinam et verum semen, qui guttatim in parva decidit quantitate. Deinde vero advertendum est, quod, si distillatio evenit praeter intentionem, sine voluntario sensu carnis, et sine voluntaria genitalium spirituum commotione, peccatum non est, neque plus oportet de ea inquietari, quam de simplici alio quocumque corporis sudore. Si vero eveniat cum voluntario carnali sensu, et cum voluntaria commotione spirituum generationi inservientium, v. g., ex turpi tactu, ex turpi colloquio, ex turpi aspectu, grave est peccatum. Quare mortale est data opera etiam levem distillationem procurare, quia ipsa semper vel ut plu-

rimum secum fert aliquam carnis commotionem, et aliquantuli veri seminis effusionem; aut certe proximum illius periculum continet. Idem a fortiori dicendum, si voluntaria distillatio sit in magna quantitate, quia notabilis distillatio esse non potest sine notabili venerea delectatione, et notabili commotione, quae pollutio inchoata est, et sine aliquali etiam veri seminis effusione. Scav. Ed. 12ª. Mediol. 1874. l. 1. 778. 783., Lig. 477.

Hinc S. Alph. l. c. ait: « *Sicut* graviter peccat, qui *notabilem commotionem* procurat (quae *inchoata pollutio* est), *ita etiam* qui *magnam* procurat *distillationem* ». Et Sanch. l. 9. D. 45. n. 32. inquit: « Quoties est peccatum mortale dare causam pollutioni praevisae, non removendo causas notabiliter influentes; similiter est mortale dare causam *notabili distillationi* aut commotioni spirituum vitalium servientium generationi per similes causas. *Quia* haec distillatio, et commotio spirituum, est notabiliter turpis et quasi *inchoata pollutio* ». Idem habet Baller. Op. Theol. Mor. Ed. 1ª. V. 2. pag. 725., ubi asserit, quod distillatio « *frequenter* et ipsa contingit cum genitalium commotione et delectatione; *coniungitur* enim *seminis alicui effusioni, vel ad illam disponit.* Identidem vero ea habet locum absque ulla delectatione. Si ergo priori modo contingat, malitia moralis sita erit in procurata vel in se vel in causa *delectatione venerea, et etiam pollutione seu effusione seminis, vel huius proximo periculo.* Si vero altero modo contingat, sine delectatione, etsi cum quadam naturali commotione, de ea haud curandum esse aiunt theologi, sicut de qualibet alia excretione, nec eius causam cavere debemus ». Atque ex his abunde patet, quid de Marchantio sentiendum sit in 5°. casu.

Iam vero ulterius hac in re progredientes, illud notandum est, quod habet laud. Sanch. l. c. *de coniugatis.* Etenim post verba modo relata statim subdit: « Quod num *in coniugatis* habeat verum, dicemus num. ultimo ». Hoc autem num., nempe 43., ait: « Non existimo esse mortale *in coniugatis* per tactus, aspectus, et verba turpia delectationemque venereamex copula cogitata consurgentem dare causam commotioni membrorum servientium generationi, et incurrere *in distillationes praevisas* ». Et P. Gury Comp. V. 2. n. 919. 3°. inquit: « Non peccant graviter *coniuges,* etsi tactibus, *etiam sine intentione copulae,* habilis exurgat commotio spirituum, vel membrorum generationi inservientium, aut sequatur *distillatio*... Ratio, quia, secluso voluntariae extra vas *pollutionis* aut sodomiae crimine, nihil fit contra bonum matrimonii ». Verum haec Sanchesii et Gury conclusio *ad distillationem* quod attinet, non videtur *absolute* per se admitti posse, ut vel ex ipsa ratione a Gury adducta facile eruitur. Etenim admitti quidem potest *de distillatione,* quae sit *sine effusione seminis.* Verum quoad illam *distillationem,* quae *cum effusione seminis,* licet partiali tantum, *coniungitur,* eadem ratione praedicti actus prohiberi videntur, *ratione distillationis,* ac *ratione pollutionis.* Quare uti a praedictis actibus, qui a coniugibus exerceri possunt, saltem citra gravem culpam, excludendi omnino sunt illi actus, qui *natura sua sunt inchoata pollutio,* vel *per se proxime disponunt ad pollutionem,* ita excludendi consequenter videntur illi actus, qui *per se proxime disponunt ad distillationem, coniunctam cum seminis effusione,* et qui consequenter *ratione huiusmodi distillationis coniunctae sunt natura sua inchoata pollutio.* Cf. I. M. V. 2. n. 1079.–1083.

DE SEPTIMO DECALOGI PRAECEPTO

161. — DE BONIS ECCLESIASTICIS

Ioannes a Deo, piissimus medicus, partim ex suo patrimonio, partim ex donationibus sponte ipsi factis, partim ex donationibus eidem factis ad eius petitionem, ingens fundavit nosocomium, in quo mille pauperes gratis omnino admittuntur et curantur. Ut animarum etiam bonum promoveretur Ioannes Patres Capucinos ex vicino Conventu solebat advocare, ut infirmorum audirent confessiones, et ad eos dominicis et festis diebus concionem haberent. Deinde etiam ex vicina domo Sororum a Caritate Sorores saepe advocabat, ut auxilium mulieribus infirmis praestarent. Sed ecce moritur Ioannes, et eius filius haereditate accipit a patre nosocomium. Cum ipse etiam medicus sit et aeque pius ac pater pium opus continuare aggreditur. Verum parochus loci litem ei movet contendens nosocomium esse bonum ex sua institutione ecclesiasticum, et parochiale, cum situm sit in sua paroecia; adeoque ad ipsum pertinere.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Parochus in casu omnino decipi videtur. Ex eo enim, quod huiusmodi opus institutum sit ex pio fine et scopo caritatis et misericordiae, non sequitur profecto, quod illud nosocomium sit bonum ecclesiasticum. Secus enim, si laicus in propria domo reciperet pauperes pueros, ut eos doceret rudimenta fidei christianae, et si totam vel eius partem destinaret huic pio operi, iam eo ipso amitteret ipse dominium et proprietatem domus, quod absonum est. Ex eo autem quod Ioannes advocaverit Patres Capucinos et Sorores a Caritate, ut in praedicto nosocomio exercerent opera misericordiae sive corporalis sive spiritualis, neque inde sequitur, quod praedictum nosocomium bonum sit ecclesiasticum. Tandem hoc certe erui nequit ex eo quod praedictum nosocomium fundatum sit patrimonio ipsius Ioannis. Id tantum affirmare forte potest parochus ex eo quod fundatum sit oblationibus et donationibus fidelium sponte factis Ioanni, vel ad instantiam ipsius Ioannis. Verum etiam hoc fundamentum debile omnino est. Nam, facta Ioanni oblatione et donatione, iam res oblata et donata Ioannis est; licet oblatio et donatio facta sit *sub modo,* seu onere nosocomii fundandi, et ad pium scopum pauperibus subveniendi. Ex hoc enim capite sequitur tantum, quod Ioannes non poterat ad libitum disponere de acceptis oblationibus et donationibus; sed non sequitur, quod nosocomium fundatum non sit suum, sed sit bonum ecclesiasticum, parochi loci proprium.

Distinguitur sane 1°. *locus sacer,* et est Ecclesia, quae sacra fit vel solemni episcopi consecratione, vel simplici etiam presbyteri benedictione. Locus sacer est etiam Coemeterium, quod sacer benedictione evadit. 2°. *Locus religiosus,* in quo, auctoritate episcopi, pietatis et misericordiae opera exercentur. Loca huiusmodi subiacent auctoritati episcoporum, et immunitate gaudent asyli. Unde ad *locum religiosum* requiritur 1°. ut in eo *religionis* vel *caritatis* opus exerceatur; 2°. ut sit erectus auctoritate Summi Pontificis vel episcopi, ut e. g. Monasterium vel Confraternitas laicorum, quae ad opus religionis destinantur; Orphanotrophium vel Hospitale, quae ad caritatis opus inserviunt. C. *Ad haec* 4. *de Relig. domib.* Quare locus *sacer,* locus *religiosus,* non est orphanotrophium, vel hospitale a laicis erectum, nullatenus episcopi auctoritate interveniente, neque Oratorium privatum in domo privata, quae idcirco magis *loca pia* dici solent ex eorum destinatione ad *pium opus;* neque consequenter Ordinarii subiacent iurisdictioni, neque asyli gaudent immunitate. Schmalz. l. 3. t. 36. n. 2. 4., t. 40. n. 19.

Loca *sacra* et *religiosa* episcopus *visitare* potest, Trid. S. 22. C. 8. de R., exceptis tamen Regularium domibus, ex privilegio exemptionis. Loca vero *pia visitare* non potest, praeterquam in casibus in iure expressis. S. C. C. ap. Fagnan. C. *Ad haec* 4. *de Relig. dom.* n. 54. Nihilominus, fundatore mortuo, inspicere potest, utrum secundum defuncti voluntatem cuncta procedant, C. 7. *de Testam.,* ideoque rationes administrationis quotannis exigere, nisi vel sub Regum immediata protectione sint, Trid. S. 20. C. 9. de R., vel aliud in limine fundationis cautum sit ex Clem. 2. pr. *de Relig. domib.,* Trid. l. c., Schmalz. l. 3. t. 40. n. 18.

Nosocomium ergo a Ioanne erectum licet haberi possit ut locus *pius,* minime vero locus *sacer,* locus *religiosus* est: ac ut Oratorium privatum, licet locus *pius* sit, non desinit tamen esse *privata proprietas,* ita etiam Ioannis nosocomium omnino *privata proprietas* est, et neque parochus neque episcopus ullum in ipso praetendere possunt ius dominii et proprietatis, praeter alia iura omnino distincta iam indicata, quibus episcopus et non parochus gaudet. Parochus ius et obligationem tantum habet administrandi ibidem sacramenta, siquidem situm est intra fines propriae paroeciae, neque locus exemptus est. Audiat igitur infirmorum et moribundorum confessiones, ministret viaticum, et extremam unctionem, assistentiam praestet infirmis in ultimo vitae agone, et tum Ioannes de Deo et deinde pius eius filius, tum Patres Capucini, tum etiam Sorores a Caritate gaudebunt omnino de hoc eius zelo, eique congratulabuntur. — Cf. I. M. 869.

162. — DE DOMINIO CLERICORUM

Polydorus, parochus, neglectis pauperibus, notabilem pecuniae summam ex stipendiis missarum, aliisque honorariis, ex beneficio, ex pensione quadam a Gubernio accepta, ex reditibus sui patrimonii, ex parcimonia in victu collectam, partim in varios cognatos et amicos distribuit, partimque in senectutem reservat. Sed repentina morte correptus, absque testamento e vivis sublatus est. Quare ea omnia quae a Polydoro relinquuntur inter haeredes dividuntur.

Quaer. 1°. *An et quomodo peccaverit Polydorus?* — 2°. *An haeredes reservatam illam pecuniam teneantur pauperibus restituere?*

R. Ad 1^um^. Polydorus *per se* non peccavit erogando in cognatos et amicos pecuniam acceptam ex missarum stipendiis aliisque honorariis, itemque ex adhibita parcimonia in sua sustentatione; haec enim bona sua sunt, neque quoad illorum usum specialem aliquam habet obligationem. Itemque non peccavit distribuendo pecuniam ex illa Gubernii pensione provenientem. Nam, cum haec pensio, ut satis apparet ex casu, non sit ex titulo beneficii, sed ex alio titulo, quia in casu non indicatur, sua etiam est, neque etiam *per se* ullam specialem affert obligationem. Idem a fortiori dicendum est de reditibus sui patrimonii distributis inter amicos et cognatos. Verum graviter *per se* peccavit reditus ecclesiastici beneficii, neglectis pauperibus, similiter impendendo. Beneficiatus enim dominium utique habet perfectum horum redituum, ita ut iis uti libere possit ad honestam sustentationem; obligationem tamen gravem habet, sed saltem probabiliter *non ex iustitia,* superfluum erogandi in pauperes, vel in causas pias. I. M. 870., Lugo Resp. Mor. l. 5. D. 11.

Ad 2^um^. Non tenentur. Polydorus enim saltem probabiliter non peccavit *contra iustitiam,* non erogando in pauperes superfluum redituum beneficii, de quo tantum esse potest quaestio. Ergo *multo minus* haeredes teneri possunt *ex iustitia.* Polydori enim obligatio non erat *realis* sed mere *personalis;* haeredes autem neque hanc *personalem* habent obligationem. Praeterea maxima adest revera in casu difficultas sciendi, utrum pecunia, a Polydoro relicta, ex reditibus superfluis proveniat beneficii, vel ex aliis bonis. Ac, quamvis hoc affirmari forte posset de aliqua quantitate, admodum difficile est, quod constet, Polydorum neque secreto sufficienter eleemosynas dedisse. — I. M. 871. G. 508. 509.

163. — DE OCCUPATIONE

1°. Civitas P., durante bello, obsidione premebatur, et iniectione globorum ignivomorum infestabatur. Hinc palatium cuiusdam divitis, flammis in immensum statim crescentibus, incensum est. Domestici omnes, de extinctione incendii omnino desperantes, aufugerunt. Chrysophorus tunc domum latenter ingressus est, ibique cistulam auro plenam abstulit, evasitque protinus de felici sua sorte gestiens. Praedictam autem pecuniam absque ullo scrupulo retinet, tanquam fructum suae extraordinariae et audacis industriae.

2°. Fortunatus, urbe ab hostibus capta et dirempta, emit ab aliquo milite pretiosa quaedam vestimenta, exiguo prorsus pretio. Haec deinde lustrans vestimenta in uno eorum insutas reperit varias schedulas nummarias, quarum unaquaeque valoris est 10000 libellarum. Id divinae tribuens providentiae totam hanc summam sibi servat.

Quaer. *Quid ad Casus?*

R. Chrysophorus in primo casu rem sibi retinere non potest. Ratio, quia cistula illa auri plena ad dominum domus pertinebat, ut ipsa domus pertinebat. Quare quemadmodum, si ipsa domus extraordinaria et

audaci industria Chrysophori, incendium extinguentis, integra servata fuisset, non desiisset pertinere ad proprium dominum, ita etiam cistula auri, ab incendio erepta, pergit pertinere ad pristinum dominum, eique est restituenda. La-Croix l. 3. P. 2. n. 112., Elbel 172.

Fortunatus non tenetur militi reddere schedulas, in vestimentis repertas. Ratio est, quia quamvis ille miles in bello iusto et iuste vestimenta illa occupaverit et earum dominium acquisiverit, illas tamen schedulas, in vestimentis praeter omnem suam opinionem latentes, neque occupavit, neque consequenter eorum dominium acquisivit. Si vero vestimentorum et earum schedularum dominus cognosci possit, huic quidem schedulae illae sunt restituendae, quum is animum non abiecerit rem suam possidendi eiusque dominium retinendi. Si vero dominus cognosci amplius non possit, tunc praedictas schedulas sibi potest retinere. Elbel ib., I. M. 883. — G. 510. 511.

164. — DE OCCUPATIONE ANIMALIUM

Ambrosius hortum habet undique apertum. Hinc gallinae Augustini vicini proprietarii libere eius hortum ingrediuntur et devastant. Ad tantum damnum sibi impediendum noctu Ambrosius Augustini gallinas occidit.

Quaer. *An recte egerit Ambrosius?*

R. Negative. Gallinae enim animalia fera non sunt, sed mansueta et domestica. Neque vero ratio adest, in casu, sufficiens impediendi sibi damnum. Nam hoc facile potest removere, hortum suum claudendo, vel Augustinum monendo, ne gallinae ex eius campo egrediantur et in vicinum hortum ingrediantur; et agendo secus pro damni reparatione. Hinc etiam communiter dicunt, quod non liceat occidere alienas columbas, si proprio campo grave damnum non inferant vel facile abigi possint, v. g., terricula ponendo, vel earum proprietarium monendo. Secus vero, si graviter noceant fundo, neque alio modo damnum vitari possit. Unicuique enim licitum est rem propriam servare et defendere, licet aequale damnum indirecte alteri sequatur. Columbae autem non praesumuntur graviter nocere, nisi tempore messis aut seminum.

165. — DE THESAURO

1°. Iacobus, opifex structor, in aliqua antiqua domo laborando, quae pluries vendita fuerat ab eius proprietariis, et a pluribus habitata, ingentem invenit aureae pecuniae summam saeculi decimi septimi, intra duos vicinos muros absconditam, qui unicus murus apparebant. Dimidiam huius pecuniae partem abscondit et sibi retinet, alteram dimidiam domus domino cedit.

2°. Philippus famulus magnam pecuniae vim reperit in vetere quadam et magna arca, reposita iam a longo tempore in aliquo cubiculo Castelli sui domini. In hoc cubiculo veteres domus supellectiles solebant reponi, et magna cura asservabantur in memoriam antiquitatis familiae. Gaudens Philippus pecuniam illam totam sibi assumit.

3°. Blondina famula pisces emit. Unum ex illis exenterando veterem invenit aureum; in alio vero gemmam invenit pretiosam. Aureum et gemmam Blondina sibi retinet.

Quaer. *Quid ad Casus?*

R. 1°. Pecunia a Iacobo inventa veram habet rationem thesauri. Attentis enim circumstantiis casus, nulla adsunt vestigia, quod illa pecunia pertineat ad talem personam vel familiam; neque possibile moraliter est id cognoscere. Quare recte agit dimidiam partem sibi retinendo et alteram domino cedendo, G. 523.

2°. Pecunia vero a Philippo inventa rationem thesauri habere non videtur. Ex omnibus enim casus circumstantiis apparet, quod illa pecunia fuerit ibi deposita ab aliqua persona illius familiae, quae Castellum semper habitavit; adeoque licet oblivioni data, constat ad haeredem eiusque familiam pertinere. Secus enim huiusmodi ditissimi Castellani, qui saepe ignorant ea quae possident, et quae haereditate accipiunt, spoliandi essent propriis bonis ab eorum ministris et administratoribus.

3°. Ad Blondinam quod attinet, alii volunt totum esse adiudicandum ad dominum ancillae, etenim piscis et quidquid in eo erat fuit eius sumptibus et pro eo emptum; alii vero volunt dividendum inter dominum et ancillam, sicut dividitur thesaurus; siquidem aureum illud, et illa gemma pars piscis non sunt, adeo ut potuerit haberi eorum ratio in piscis emptione. Del Vecchio 36. Verum totum videtur adiudicandum ad ipsam Blondinam. Etenim primo nihil debetur piscatori, qui cum ignoraret aureum et gemmam in piscibus illis latere ea non occupavit, neque sua fecit. Nihil vero debetur domino piscis, quia aureum et gemma in piscibus inclusa rationem *thesauri* non habent; non enim verificatur in casu eius definitio. Totum ergo Blondina sibi retinere potest titulo simplicis inventionis et occupationis rei, quae est nullius. I. M. 889.

166. — DE INAEDIFICATIONE

Magdalena nobilis mulier, nonnulla praedia donavit Henrico, ut in parte huiusmodi praediorum Monasterium pro recipiendis Carmelitis discalceatis aedificaretur, reliqua vero pars ipsarum sustentationi inservire deberet. Donatio Carmelitis manifestata ab iisdem fuit acceptata. Aedificio iam expleto, et Carmelitis in Conventu iam commorantibus, Henricus collegium aliud in eodem praedio, quo erat Carmelitarum Conventus, aedificavit puellis edificandis destinatum, aliisque monialibus tradidit. Hinc Carmelitae valde queruntur, et petunt, ut iura quae ipsis competunt supra praedio a pia muliere ipsis donato, integra serventur, et Collegium removeatur.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Illud primo notandum est, quod, uti ex casu clare apparet, praediorum donatio facta non est Henrico, sed Carmelitis; Henricus non est nisi mere interposita persona, ut executioni dari facile posset piae matronae voluntas. Praedia igitur a Magdalena donata spectant quoad per-

fectum proprietatis dominium ad Carmelitas. Porro ille, qui in alieno solo sua materia aedificat aedificium amittit, quod solo cedit. « Ex diverso, si quis in alieno solo sua materia aedificavit, illius sit aedificium, cuius et solum est: et, si scit alienum solum esse, sua voluntate amisisse proprietatem materiae, intelligitur ». L. 7. ff. § 12. *de Acquir. rerum domin.* Quin imo, neque materiae pretium et mercedes fabrorum petere potest, qui in alieno solo scienter et mala fide aedificavit. « Certe, si dominus soli petat aedificium, nec solvat pretium materiae et mercedes fabrorum, poterit per exemptionem doli mali repelli: utique si nescit, qui aedificavit alienum esse solum, et tanquam in suo bona fide aedificavit; nam si scit, culpa ei obiici potest, quod temere aedificavit in eo solo, quod intelligeret alienum ». Loc. cit. Atqui Henricus Collegium in Carmelitarum solo scienter, ideoque mala fide aedificavit. Henricus ergo Collegium propriis sumptibus destruere tenetur, ipse damnum omne sustinere tenetur, et damna omnia Carmelitis illata compensare. Cf. A. S. S. V. 24. p. 550. seqq., I. M. 904.

167. — DE ALLUVIONE ET COMMIXTIONE

Mulieres cuiusdam pagi, autumnali tempore, linum in pratis de more iuxta fluminis ripam extenderant. Inopinata exorta tempestate, et flumine tumescente, totum linum asportatur in insulam, in medio fluminis sitam, non admodum longe dissitam. Colonus, qui in ea insula erat cum sua familia totum fere linum colligit, et sibi servat. Sed ecce, tempestate sedata, mulieres advenientes, et linum videntes ex ripa soli expositum, ut exsiccaretur, clamare incipiunt, ut sibi linum restituatur.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Colonus linum sibi retinere non potest titulo alluvionis. Alluvione enim hic non intelligitur quodlibet emolumentum alicui adductum impetu aquarum, sed incrementum tantum terrae seu soli fundo vi aquarum factum. Linum ergo mulieribus omnino restituendum est. Cum vero commixtio casu omnino facta sit, absque ullo mulierum consensu, neque mulieres proprium linum discernere amplius possint, tota massa communis est pro rata cuiusque portione. Quare non licet singulis mulieribus rapere ex ea massa in communi posita eam lini quantitatem quam capere possunt, sed eam tantum, quam ante commixtionem habebant. Ac, si aliqua lini quantitas eo infortunio dissipata fuit, detrimentum hoc ab unaquaque proportionate est sustinendum, et proportionate minus tunc ex tota massa unaquaeque accipere debet. G. 546.-548., Elbel 232. 233., I. M. 903. 907.

168. — DE SPECIFICATIONE ET COMMIXTIONE

Girinus alienam surripuit lanam, ex qua curavit pannum confici. Frumentum item surripuit alienum et cum proprio frumento eiusdem qualitatis sed longe maioris quantitatis miscuit. Dominus lanae et frumenti furtum noscens a Girino pannum et totum frumenti cumulum repetit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Girinus dominus panni per specificationem ex recentiore iure factus non est, adeoque pannum reddere debet domino lanae. Dominus iste pretium utique specificationis seu artis solvere tenetur Girino. Verum, cum Girinus mala egerit fide, de damnis, si quae forte secuta fuerint, erga dominum lanae tenetur. Cum autem Girini frumentum longe maiori fuerit quantitate, factus ipse est per commixtionem dominus totius cumuli, tenetur tamen erga dominum alium frumenti ad adaequatam compensationem. Itemque, cum Girinus mala egerit fide, ad damna pariter reparanda tenetur, si quae fuerint secuta. — G. 551. 552., I. M. 906., 907.

169. — DE COMMIXTIONE

Donatilla, ex tenui suo labore victum sibi suisque parentibus suppeditabat. Die sabbati, modica totius hebdomadae accepta mercede, domum redibat, cum ecce, facta iam nocte, in tres latrones incidit, qui eam accepta mercede, quinque libellis aequivalente, crudeliter spoliarunt. Illa autem efflagitavit, ut saltem aliquid sibi relinquerent, quo miseros genitores a fame restaurare aliquo modo posset. Eius lacrymis commoti latrones tres argenteas libellas, ut tactu apparebant, illi porrexerunt. Domum Donatilla reversa, et factum narrans tres protulit acceptas a latronibus libellas, sed magno gaudio eas perspiciens reperit aureas esse, et 60. libellis aequivalentes.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Donatilla, ignotis furibus, acceptam ab ipsis pecuniam sibi retinere potest. In tali enim casu illa pecunia bonum derelictum est, nempe non quia a latronibus ipsis tradita fuerit Donatillae, siquidem ignoranter et involuntarie omnino tradita est; sed quia in praesenti ex hypothesi impossibile est eos reperire. — I. M. 893., G. 527.

Cognitis etiam furibus, Donatilla pecuniam sibi servare potest. Ratio est, quia ex una parte Donatilla ius habet eos denuntiandi, ac proinde pecuniam retinere potest ratione cessionis sui iuris; fures autem implicite et iure consentire censentur pecuniam deserere, ut a iusta vexatione se redimant, et ad iudicem non deferantur. Ex alia autem parte vel illa pecunia propria latronum est, et tunc nulla est ex hoc capite difficultas; vel furto ablata est, et tunc aut fures eam cum propria, quae in maiori quantitate erat, miscuerunt, et cum propria miscentes eam suam fecerunt, et de valore tantum erga dominum spoliatum tenebantur, et, in hoc casu, iterum nulla est difficultas; aut cum propria non miscuerunt, quia nullam habebant propriam, vel admodum parva quantitate, et, in hoc alio casu, stante impossibilitate dominum pecuniae reperiendi, eam Donatilla sibi potest etiam retinere. Sed quid, si dominus compareat pecuniae? Revera difficile in praxi esset probare, talem specie pecuniae ad talem dominum pertinuisse; neque latrones similes alias species sibi proprias habuisse, vel alias similes ab aliis non fuisse furatos. I. M. 907., G. 527. 528. 531. 550. 551.

Quid vero, si quis monetam argenteam pro aureo commutasset, et detegeret aureum fuisse Petro subreptum, an aureus ille Petro esset restituendus? Si fur monetam illam ut talem suam fecit per commixtionem cum aliis suis monetis, quas habuit, Petro restituenda non esset, et fur de eius valore erga dominum teneretur. Si vero fur illam cum suis non miscuit domino esset restituenda. Sed practice valde difficile est monetae identitatem constare. Id facilius omnino esset, si ageretur de schedulis nummariis, quae non tantum natione, verum etiam determinatis numeris distinguuntur, quae consequenter domino omnino essent restituendae, ut ceteroquin communis etiam habet praxis et consuetudo. Unde in his schedulis non attenditur tantum ad valorem ut in pecuniis, verum etiam ad speciem et ad individuum. — G. 529., I. M. 907. 1420., C. I. 708.

170. — DE PRAESCRIPTIONE ONERUM MISSARUM

Dominica, monialium abbatissa, reperit in monasterii archivo antiquum documentum, quo constat missam esse fundatam in ecclesia monasterii, et pro fundatore applicandam. Cum tamen haec fundatio oblivioni data fuerit iam a longissimo tempore, anceps Dominica est, an procurare debeat, ut praedicta missa celebretur, et missae hactenus omissae etiam celebrentur, vel saltem pro eis obtinendam esse a S. Sede sanationem. Videtur enim locum esse legitimae praescriptioni.

Quaer. *An onera missarum praescriptioni obnoxia sint?*

R. Controvertitur; negativa tamen sententia verior videtur. Ratio est, quia, si agatur de missis inducendis vel augendis, e. g., si cum applicandae fuissent missae 50. beneficiatus applicaverit hactenus 100., missae applicatae praeter intentionem constituentium, perinde sunt ac si applicatae non fuerint. Nemo autem contra seipsum praescribit. Hinc non tenebitur idem beneficiatus in posterum ad 100. missas applicandas. Si vero agatur de missis delendis vel minuendis, e. g., si cum essent 100. missae applicandae, beneficiatus tantum 50. applicaverit, ratio boni communis, praescriptionis fundamentum, ne incerta sit proprietas et lites imminuantur et dirimantur, hic non urget, ut patet. Obligatio enim est mere respiciens privatam uniuscuiusque conscientiam. — Cf. La-Croix l. 4. n. 852., Bened. XIV. de Syn. l. 3. C. 25., S. Alph. H. A. Tr. 15. n. 74. Tr. 20. n. 84., Ferrar. v. *Usucapio* n. 17., § 1. n. 30., D'Annib. P. 3., n. 76. n. 14., S. C. C. 18. Februarii 1702., 18. Augusti 1845., 20. Dec. 1879., Acta S. Sed. V. 13. p. 220. seqq., I. M. 913. 914.

171. — DE CENSUS PERPETUI PRAESCRIPTIONE

Ernestus solvere debebat quotannis Marcello canonem 10000. libellarum ex censu perpetuo. Per triginta et amplius annos canonem bona fide non solverunt, neque ipse, neque eius filius, haeres universalis, Ernestinus. Neque vero, sive Marcellus, sive eius filius, haeres universalis, Marcellinus reclamarunt. Antiquas vero, quadam die, perlegens chartas

Ernestinus privati familiae archivi in cognitionem venit praetermissae solutionis. Verum cum iam triginta anni elapsi essent quaerit, utrum iam praescriptio sit legitime facta.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Praescriptio fieri non potuit, licet triginta et amplius anni sint transacti, et bona fide canonis solutio fuerit praetermissa. Quare Ernestinus ad canonis solutionem tenetur. Ratio est, quia praescriptio currere incipit ab eo puncto, quo libere opponi potest. Si Titius, e. g. mutuatus est a Sempronio, cum pacto mutuum restituendi intra quinque annos, praescriptio, si non restituat, non incipit, nisi quinquennio elapso. Hinc conclusio emergit, quod *census perpetuus,* nunquam possit praescribi; quia capitale, quo reditus fuit constitutus, nunquam repeti potest. Quare tenetur Ernestinus canonem deinceps solvere Marcellino. I. M. 915.

Verum teneturne etiam solvere Ernestinus canonem anteactorum annorum nondum solutum? Non videtur, quod teneatur solvere canonem ultra triginta abhinc annis nondum solutum. Nam spatio triginta annorum *actiones,* scilicet iura prosequendi et recuperandi in iudicio, quod nobis debitum est, praescribuntur sive sint reales sive personales; *reales* e. g. si agatur de fundo possesso sibi vindicando, *personales* e. g. si agatur de pecunia mutuo data repetenda. Neque vero opponi potest ei, qui allegat praescriptionem tituli defectus vel mala fides. C. I. 2135. Verum cum bona fides in foro conscientiae omnino requiritur, ea tamen non defuit in casu. Quare, licet proferatur nunc originalis illius debiti existentia, illud tamen tricennali hac praescriptione omnino iam extinctum est.

Quin imo neque videtur quod Ernestinus teneatur solvere canonem praecedentibus annis non solutum, ante quinque abhinc annos. Aperte enim habetur C. I. 2144. spatio quinque annorum praescribi, quae annuatim debentur *pro reditibus perpetuis vel vitalitiis.* I. M. 922.

Atque hic notandum est, quod ad impediendam praescriptionem alicuius debiti, ille, qui tenetur solvere quamcumque annuam praestationem ultra triginta annos duraturam, debet suis expensis, elapsis annis viginti et octo creditori, si petit, tribuere novum documentum, quo suum debitum fateatur, C. I. 2136. Solvit Caius, e. g. Titio mille libellas quotannis, pro debito quod habet erga ipsum, et singulis annis ab ipso recipit schedulam testantem factam solutionem, si Titius non posset a Caio exigere post viginti octo annos novum documentum, posset Caius destruere praedictas schedulas, et asserere, quod cum per triginta annos nihil solverit, facta est praescriptio. Sufficit, quod debitor alia schedula declaret se hactenus solvisse, et schedulam recepisse a creditore, testantem factam solutionem, vel quod simpliciter declaret suum debitum. Verum, si fundus hypothecatus ad tertium transierit, necessarium est novum documentum authenticum, secus haberetur *actio personalis* contra primum debitorem, minime vero *realis* contra tertium. Quin immo etiam inscriptio eiusque renovatio non interrumpunt praescriptionem hypothecae. C. I. 2127.

172. — DE POSSESSIONE AD PRAESCRIPTIONEM REQUISITA

Ambrosio custodienda tradita fuit arca quaedam, continens plures pretiosas gemmas, et varia obiecta ex auro et argento confecta. Defuncto Ambrosio, eius filius *haeres* praedictam arcam bona fide adnumerat inter haereditarias res, eamque per duos vel tres annos retinet. Sed ecce Augustinus die quadam arcam repetit tanquam suam.

Quaer. *An Ambrosii filius praescriptionem opponere possit?*

R. Negative. Ratio est, quia *haeres* in casu repraesentat defunctum, qui eam habebat titulo depositi non proprietatis. Quare, ut Ambrosius ea possessione minime *dominativa* praescribere non poterat, ita neque eius filius ***haeres,*** qui eadem utitur possessione. I. M. 917.

173. DE TEMPORE AD PRAESCRIPTIONEM REQUISITO

Quidonius, artifex, horologium portatile Remboldo confecerat pretio 100. libellarum. Solutio a Remboldo dilata est per plures annos. Quidonius, Remboldum virum potentem timens, solutionis petitionem omisit. Sex iam elapsis annis, Remboldus moritur. Tunc Quidonius horologii pretium ab haerede eius universali statim petit, qui praescriptionem Quidonio opponit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Debitum, in casu, praescribi non potest nisi spatio 30. annorum et bona fide. Remboldus utraque caruit conditione, adeoque minime praescripsit. Neque vero praescribere potuit eius haeres universalis. Nam obest adhuc mala Quidonii fides; huiusmodi enim haeres ex iure censetur unam moralem personam efficere cum testatore. Cum autem Quidonius statim petierit debiti solutionem, minime potuit haeres praescriptionem in casu perficere independenter a testatore. Ad hanc enim requiritur praescriptio longissimi temporis seu 30. annorum. G. 538. 540. 541., I. M. 922. 930.

174. — DE MOBILIUM PRAESCRIPTIONE

Silvester plures donavit Silvestrino gemmas. Eas nunc repetere vult, praetendens, quod donatio illa facta non fuerit legali actu.

Quaer. *An Silvestrinus gemmas retinere possit titulo praescriptionis?*

R. Affirmative. Etenim cum certo praedictas gemmas Silvestrinus bona fide possideat, eas omnino retinere potest. Aliter esset, si ageretur de omnibus mobilibus alicuius domus; tunc enim sola possessio non sufficit, sed ceterae conditiones ad praescribendum requiruntur. Ceterum etiam titulo manualis donationis potest Silvestrinus eas gemmas retinere, donatio enim omnino valida fuit, neque ad eam requiritur quod cum legali solemnitate sit facta, ut communissima est harum donationum consuetudo. — C. I. 707., I. M. 922. 1011.

175. — DE IMMOBILIUM PRAESCRIPTIONE

Eugenius novit patrem suum alienum agrum, bona fide possidere. Verum ipse tacet, et sinit eum per decem annos possidere praedictum agrum. Hisce completis, pater moritur.

Quaer. *Potestne Eugenius agrum retinere?*

R. Licet peccaverit Eugenius contra caritatem, patrem non monendo de possessione rei alienae; nunc tamen non peccat contra iustitiam, agrum retinendo; nam, legitimo tempore transacto, pater vere in utroque foro praescripsit. Quare filius a patre accipit quod iam vere patris erat. I. M. 922.

176. — DE PRAESCRIPTIONIS INTERRUPTIONE

Eugenius, filius minor, bona fide possidet domum mala fide a suo tutore emptam. Post novem annos possessionem impugnat Hippolytus falso quodam documento. Quare nihil a iudice obtinet. Post tres autem annos possessionem impugnat quoque Gustavius Hippolyti filius, qui authenticum proprii tituli documentum invenit. Verum Eugenius praescriptionem opponit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Eugenius recte praescriptionem opponit. Ipse enim est, qui possidet non tutor, nec mala tutoris *ementis* fides infirmare potest bonam *possidentis* fidem. Bona enim fides in possidente, non in alio, requiritur. Eius vero praescriptio per Hippolyti litem interrupta non fuit; quia Hippolytus repulsam a iudice passus est. Authenticus autem titulus a Gustavio in medium prolatus est, cum iam praescriptio erat completa. G. 536. 538., I. M. 917. 922. 923. 925.

177. — DE DOLO IN CONTRACTU

« 1°. Vincentius, cupiens domum suam summo pretio Leoni vicino suo vendere, simulat se de huius domus venditione agere cum Ursino, homine iracundo, rixoso et ab omnibus vicinis reformidando. Tunc Leo festinat ei pretium requisitum offerre, ne vicinum adeo ingratum sortiatur.

2°. Narcissus a Gordiano pecuniam mutuo acceperat, cum pacto de fenore legali quotannis solvendo. Anno elapso, Narcissus, censum annuum retribuendo, dicit Gordiano: Nolo ego in posterum tibi concedere, nisi quatuor pro centenis singulis; quod si nolis, totam pecuniam tuam tibi restituam. Porro non erat ille sic peracturus; pecunia enim indigebat. Gordianus ad dolum non advertens consensum praestat ».

Quaer. *Quid ad Casus?*

R. In primo casu, « contractus videtur validus quoad substantiam, si Leo libenter quidem domum acquirat, utpote sibi vere utilem; licet enim eam, secluso dolo, non emisset, non tamen censetur proprie invitus. Attamen, in hoc casu, saltem quoad summum domus pretium decipitur emptor, proinde pro illo pretii excessu saltem ius ad compensationem habet. — Contractus habendus est, ut invalidus, si domus ementi sit parum utilis, ita ut valde aegre, seu cum magna voluntatis repugnantia, eam emerit, *et unice quidem ad vicinum adeo invisum a* se *removendum;* quia tunc consensus est omnino erroneus, seu error aut dolus est vere causa movens contractus ».

In altero casu, « distinguendum est. Narcissus non facit iniuriam Gordiano, nec proinde tenetur solvere quinque pro centum in posterum, si habeat pecuniam vel habere possit, ut sortem refundat; quia reapse cedit de iure suo sortem refundendi, eaque refusa, Gordianus forte non plus accipiet. — Si vero Narcissus pecuniam non habeat, nec habere possit, mentitur, et iniuriam facit, ac proinde ad restitutionem tenetur, quia de potestate refundendi non cedit, cum potestate illa careat; proinde ius imminuendi pensionem non habet, et stare contractui tenetur. Nec dicas intervenire dolum in primo casu, aeque ac in secundo: nam, in primo casu, dolus non est iniustus, cum Narcissus ius habeat contractum rescindendi; secus vero in secundo casu. Reuter n. 122., La-Croix n. 635. 1018. » G. 783. 784., I. M. 943.

178. — DE METU IN CONTRACTU

« Sidonius vicinum habet improbum, a quo mala gravissima reformidat. Minas enim mortis et incendii pluries repetitas in mediis querelis ab ipso audivit. Ut illum ad discedendum cogat, eius domum summo pretio emit.

Quaer. *An valeat contractus emptionis?*

R. Controvertitur. Emptio domus a Sidonio peracta non videtur valere; quia, licet metus non fuerit incussus in ordine ad contrahendum, contractus tamen non fit nisi ad propulsandam iniustam vexationem ex parte alterius contrahentis. Secus esset dicendum, si metus ille ab alio tertio proveniret. Reuter n. 127. » G. 786.

Verum e contra valere videtur contractus. Nam nulla in eo fuit mala fraus et dolus ex parte alterius contrahentis; neque *iniusta illa vexatio* erat in ordine ad contractum. Quare, si valeret contractus cum iniusta illa vexatio ab alio tertio proveniret, cum proveniret e. g. a locatore domus, non ab eius domino; cur igitur invalidus erit si proveniat ab ipso domino? Tenetur utique pars contrahens cessare ab illa iniusta vexatione, et omnia tollere incommoda, quae ex illa proveniunt. Verum inde non sequitur contractum esse irritum, sed esse tantum rescindibilem. I. M. 944.

179. — DE FORMA ACTUUM

1°. Petrus italus, actu privato donationem in Austria fecit praedii rustici in Italia siti amico cuidam Austriaco, optimo catholico, degenti in Italia, cui tamen opus imposuit recipiendi in propriam domum et educandi nepotem quem habet; cuius mater ad id incapax omnino erat. Verum post quinque annos rescit Petrus eius amicum possessionem quidem accepisse praedii rustici, noluisse tamen in propriam domum recipere et educare suum nepotem, ne hanc sibi assumeret gravem obligationem; sed dedisse eius matri decem mille libellas, ut ipsa proprii filii educationem curaret. Hinc Petrus iuridice petit donationis revocationem.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Ex C. I. Dispos. Praelim. 9. « formae extrinsecae actuum inter vivos et ultimae voluntatis determinantur a lege loci in quo fiunt. Est tamen in facultate disponentium seu contrahentium formas sequi legis nationalis, si haec in omnibus partibus communis sit ». Hinc valet Petri donatio *actu privato* in Austria facta. Quamvis enim ex C. I. 1056. *actus publicus* requiratur; attamen ex C. A. 943. admittitur etiam *actus privatus*. Atque id locum habet etiam quoad civilis matrimonii celebrationem. Locus regit actum. C. I. 100. Ex eodem C. I. Dispos. prael. 9. « substantia et effectus donationum et dispositionum ultimae voluntatis reputantur regulata a lege nationali disponentium ». Quare Petrus bene potuit donationis revocationem petere. Etenim ex C. I. 1080. donatio, facta cum aliquo onere imposito donatario, reputatur facta sub conditione resolutiva; adeoque donator potest donationis revocationem petere ob non impletionem illius oneris. Porro onus a Petro impositum suo amico neque in propria natura et forma impletum est, neque aequivalenter; cum res sit bene diversa dare incapaci matri nepotis Petri summam illam decem mille libellarum, ut ipsa proprium filium domi educet, ac illum in suam domum recipere, ut ipse illius educationem promoveat. — Cf. I. M. 934. 936.

2°. Lucanus Rutilio domum satis amplam, et in principali civitatis via sitam, 20000. libellis vendidit. Perfecto, utriusque consensu, contractu, statuerunt simul alia die contractus instrumentum a notario conficiendum, et domus traditionem faciendam. Venditionem domus tam exiguo pretio casu interim rescit Germanus, qui domum emere cupiens 40,000. libellas offert Lucano. Hinc Lucanus renuit amplius stare contractui prius inito, nisi Rutilius pretium a Germano oblatum solvat, inquiens contractum nondum valere, quia nondum legali forma erat perfectus.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Ex C. G. Lucanus omnino stare debet priori venditionis contractui. Etenim *bona fide* initus a comparte est, et mutuo utriusque consensu; et ex C. G. 1582. est omnino perfectus, neque ad eius validita-

tem requiritur, ut instrumento sive publico sive privato perficiatur. Instrumentum hoc requiritur tantum ad probationem factae emptionis. C. G. 1315. — Ex C. I. 1314. venditio, in casu, facienda est actu publico vel privata scriptura sub poena nullitatis. Quare, hac deficiente, contractus nondum est omnino perfectus, sed quamvis validus sit est tamen rescindibilis. Stante tam ingenti lucro cessante, et damno emergente, videtur quod Lucanus rescissionem possit invocare, et quod Rutilius pretium saltem augere debeat dimidia parte, vel res per aequos arbitros componenda.

Verum, in toto rigore et stantibus casus circumstantiis, videtur, quod Lucanus contractus rescissionem invocare possit, tum ex C. G. tum ex C. I. alio titulo, nempe *laesionis;* si nempe domo aestimata secundum eius statum et valorem momento venditionis, Lucanus laesus fuerit ultra septem duodecimas partes pretii ex C. G. 1674. 1675., ultra dimidiam pretii partem ex C. I. 1529. 1530. — I. M. 1126.–1128. 1132., G. 776. 777.

180. — CONTRACTUS SUB CONDITIONE

1°. Osius legavit Maurino 20000. libellas, si eius mater vidua iterum nuberet. Mortuo Maurino, eius mater transit ad alias nuptias. Maurini filii exigunt tunc ab haerede Osii praedictum legatum.

2°. Thomas moriens legavit Alphonso novenni 20000. libellas, post *duodecim annos ei tradendas, cum legalibus fructibus,* i. e. quando 21. aetatis annum adeptus fuerit. Moritur Alphonsus aetatis anno 20. Eius parentes legatum reclamant.

Quaer. 1°. *Quid generatim sit conditio, et quaenam eius vis in contractibus?* — 2°. *Quid ad Casus?*

R. Ad 1^{um}. Conditio generatim est circumstantia actui adiecta, ex qua ipse actus pendet. *Circumstantia,* i. e. eventus, quapropter, ut sit vere conditio necesse est, 1°. ut eventus huiusmodi *ab extrinseco accedat,* e. g., si quis aegrotus voveat religionem intrare, *si convaluerit.* Ea quae tacite insunt, sive *natura,* sive *ex lege,* non faciunt actum conditionalem, si eadem fuerint expressa, sed tantum expresse significant servandum in actu, quod aliunde servandum est, e. g., ut quis absolvatur in articulo mortis, satisfacta parte, matrimonium contrahat, *servata forma Tridentina,* praeviis proclamationibus, etc., sed his omissis adhuc validum esset. S. C. C. 12. Iul. 1721. Pyrr. Corrad. De Dispens. Matr. l. 7. C. 7. n. 11. Sanch. De Matr. l. 8. D. 34. n. 29. — 2°. Necesse item est, ut ex praedicta circumstantia *actus pendeat,* adeoque ius et obligatio inde proficiscens. Quapropter eventus esse debet aliquid futurum et incertum. Secus enim quidquid agitur, aut statim valet, aut statim irritum est. Debet praeterea esse *humano modo cognoscibilis,* secus enim vitiat, cum semper incerta maneat. Conditio autem *impossibilis* vel *turpis* actus vitiat inter vivos; sed pro non apposita habetur in actibus ultimae voluntatis.

Iam age eventus, vel a casu pendet et *casualis* dicitur, vel a voluntate agentium, et *potestativa* appellatur, vel ab utroque et est *mixta,* C. It. 1159, C. G. 1169. Ea autem extante vel deficiente, aut actus tunc

incipit valere et conditio dicitur *suspensiva,* quae propriissime conditio est, et conditione simpliciter usurpata intelligitur, aut tunc actus *desinit valere* et conditio *resolutiva* nuncupatur. Conditione pendente, *suspensiva,* perinde est ac si nihil actum esset, *resolutiva* pendente perinde quasi sine conditione absolute actum esset. Ea autem impleta vel deficiens, ipso facto, etsi lateat, continuo vim exerit suam; neque novo opus est consensu; et retro valet, quasi vel ab initio nihil actum sit omnino, si *suspensiva* conditio non verificetur, vel absolute actum, si *resolutiva* non habeat locum; et valet deinceps, siquidem ius et obligatio, quae ex ea consequuntur revocari amplius non possunt. — C. It. 1157. seqq., C. G. 1168. seqq., I. M. 972. 973.

Ad 2^{um}. Mortuo Maurino, eius matre innupta adhuc manente, legatum evasit *caducum;* adeoque eius haeredes nullum habent ius. Osii enim testamentaria dispositio conditionem habet adiectam, quae eius *validitatem* ligat ad incertum eiusdem conditionis eventum. Quare dispositio nulla remanet, si legatarius ante illius verificationem moriatur. I. M. 1032.

Mortuo Alphonso, eius ius ad legatum trasmittitur ipsius haeredibus. Thomae enim testamentaria dispositio conditionem habet adiunctam quae eius *executionem* non eius *valorem* suspendit; adeoque legatarius vere acquirit ius; et, si interim moriatur, illud transmittit ad haeredes, etiam nondum verificata conditione. Cum autem apposita conditio non verificetur, nisi post duodecim annos a morte testatoris, et undecim tantum sunt transacti, Alphonsi parentes unum adhuc annum expectare debent, ut possint legatum reclamare. Eo autem elapso tempore, reclamare poterunt et capitale et omnes legales fructus a die mortis testatoris. C. I. 854. 865. I. M. 1032. 1056. 1057.

3°. Beatrix Iuliae, sorori suae, donatione inter vivos tradidit praedium 15000. libellis valens, ea conditione, ut dum ipsa viveret 100. libellas solveret parocho, pauperibus puellis educandis destinatas. Verum, Beatrice sine testamento defuncta, Andreas, frater Beatricis et Iuliae, donationis rescissionem iuridice postulat et obtinet, cum donatio legali instrumento non fuerit facta. Hinc, successione ab intestato, dimidia pars agri remansit Iuliae, alia dimidia pars Andreae adscripta est. Iulia vero, pretio recuperata alia dimidia parte praedii, a qua fuit evicta, a parocho urgetur, ad 100. libellas donationi adnexas solvendas; ab aliis consultis obligatur ad 50. libellas tantum retribuendas; ab aliis ab omni onere liberatur.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. 1°. Andreas rescissionem petens donationis iure agere videtur, siquidem innititur iusta legis dispositione. Quare uti, per se loquendo, legitime invocatur nullitas testamenti, non servatis legalibus formalitatibus, ita etiam legitime invocatur nullitas donationis, non servata iuris forma.

2°. Iulia ad nihil videtur teneri. Etenim non tenetur ad solvendas 100. vel 50. libellas, titulo *successionis;* nam succedit ab intestato eo plane modo ac Andreas eius frater, qui certe non tenetur ad illas 100. vel 50. libellas hoc titulo solvendas. Neque item tenetur titulo *dona-*

tionis; nam donatio irritata est, et Iulia hoc titulo praedium amisit. Neque etiam tenetur titulo *emptionis* alterius partis praedii. Nam illa pars est Andreae, qui eam sine tali onere vendit, cum ipsemet tale onus non habeat. Tandem neque tenetur ratione ipsius *praedii possessi,* partim titulo *legitimae successionis,* partim titulo *emptionis.* Etenim pensio illa, solvenda a Iulia, obligatio ex casu est mere *personalis,* cum sit a Iulia tantum solvenda, dum vivat, minime *realis,* praedium ipsum afficiens. Quare Iulia neque 100. neque 50. libellas solvere tenetur. G. 805.

Neque vero valet in casu obiicere, quod agatur de pia donatione; ac ut pium legatum valeret, si certo constaret de voluntate testatoris, ita et pia donatio valet in casu, cum certo constat de voluntate donatoris. Dispar enim ratio est legati et donationis in casu. Legatum valeret, quia legatum statim acquiritur legatario a morte donatoris. I. M. 1056. Similiter pia donatio deberetur, si revera *donatio* directe facta fuisset ipsi causae piae, et gravata fuisset ipsa *res* seu praedium in casu. Verum nulla *donatio* causae piae facta est, *donatio* facta est Iuliae, *cui onus* impositum est, tanquam conditio donationis retinendae, et ex titulo eiusdem donationis, praedictam summam pio illi operi praestandi. Cessante autem *donatione,* cessat eo ipso donationis *conditio,* seu *onus* donationi ipsi appositum, eique *unice inhaerens.*

4°. Titius, sacerdos, testamentum conditurus Berthae nepti, puellae pientissimae, pingue legatum promittit, si iuret, se toto vitae tempore virginem permansuram; quod statim Bertha praestat. Spondet insuper Caiae ancillae mille libellas titulo pariter legati, modo matri suae infirmae sedula famuletur, et nubat, non nisi post eius obitum, alteri nepoti Sempronio, qui tamen inscio avunculo, uxorem iam duxerat. Fide etiam a Caia habita, Titius testamentarias tabulas conficit, in quibus tamen legata promissa absque ulla conditione inscribit, et paulo post vita cedit. – Verum, post avunculi obitum, Bertha miserrime virginitatem amittit. Caia vero in diuturnum morbum incidit, quo a famulatu Titii matri praestando impeditur. Sempronius demum, qui post Titii matris obitum viduus remanserat, renuit Caiam in uxorem ducere. Interim tamen tum Bertha, tum Caia legata restituere minime curant.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Testamentaria Titii dispositio, titulo legati, dupliciter potest considerari. Inspici enim potest prout dispositio *sub modo,* et prout dispositio *sub conditione.* Si consideretur, ut dispositio *modalis,* tunc absolute dominium legati translatum est in Bertham et in Caiam, cum obligatione pro Bertha servandi virginitatem, et pro Caia assistentiam praestandi matri Titii et Sempronio nubendi. Quare, licet Bertha miserrime virginitatem amiserit, ad restitutionem legati non tenetur. Itemque, licet Caia assistentiam matri Titii praestare non potuerit, neque Sempronio nubere possit, legatum potest omnino retinere. Ac dispositio Titii, *modalis* potius videtur fuisse, quam *conditionalis.* Etenim *promisit* quidem, *sub conditione iuramenti,* et *repromissionis, legatum;* sed deinde *legatum inscripsit* in testamento *sine ulla conditione.* Quare legatum potius vi-

detur factum *sub modo,* quam *sub conditione;* implicite nempe factum intelligitur sub *illo onere* et *obligatione,* praevie suscepta a Bertha et Caia. Ita autem *sub onere et obligatione* virginitatis pro Bertha, et praestandi servitii ac matrimonii pro Caia, dispositio illa a Titio facta est, ut evidenter *principaliter intenderit providere suae piae nepti,* et *fideli famulae.*

Si consideretur ut dispositio *conditionata,* tunc ad Bertham quod attinet, conditio impositae virginitatis bifariam patet. Etenim legatum, sub conditione coelibatus servandi, seu servandae virginitatis, potest considerari ut *legatum* mere *profanum,* et ut *legatum causae piae.* Si consideratur ut *legatum* mere *profanum,* conditio haec ex Iure Civili habetur uti non apposita. Ita ex Iure Romano et ex Cod. Ital., Gall., Hisp., Austr. Theologi hanc legem non reiiciunt, et eius vim admittunt etiam pro foro conscientiae propter rationem, quam affert Ius Romanum, quia nempe expedit civili societati prole multiplicari. Hinc, licet Bertha amiserit virginitatem, legatum in conscientia retinere potest.

Verum legatum Berthae considerari potest etiam ut *causa pia;* adeoque non secundum leges civiles, sed secundum Ius Canonicum. Ratio est, quia, si matrimonium honestum est, et utile civili societati, virginitas quae matrimonio praestat, utilissima est societati ecclesiasticae propter excellentem eius virtutis honorem, et propter statum maximo pretio habendum in Ecclesia. Ac, cum agatur in casu de Titio sacerdote, de Bertha eius nepte pientissima virgine, de sollicitudine Titii, ut apposita conditio virginitatis observaretur, unde voluit ut Bertham iuramentum praestaret; patet profecto Titium respexisse ad honorem et praecellentiam status virginitatis in Ecclesia. Praeterea non est dubium ex circumstantiis casus, quod Titius efficaciter intenderit virginitatem. Atqui ex lege civili, virginitatis conditio pro non adiecta habetur. Ergo dicendum est eam Titium respexisse potius secundum leges Ecclesiae et Ius Canonicum. Iamvero theologi, loquentes de hac conditione, in legatis apposita, in ordine ad legem civilem, ut eam legem defendant, dicunt Ius Canonicum tacere, et nihil dicere adeoque illi legi in conscientia stare quempiam posse. Verum Ius Canonicum reapse non omnino tacet, nam catholica doctrina est, praestantia virginitatis respectu matrimonii. Ergo, si Casus decidendus est ex Canonico Iure, et ecclesiastica auctoritate, non videtur, quod ea conditio habenda semper esset, ut non apposita. Enimvero, si quia viduitas in honore est, servanda est eius conditio a coniuge defuncto apposita, Iure non tantum Civili, verum etiam Canonico, quomodo ut non apposita haberi potest conditio virginitatis, quae maximo in honore est, in Ecclesia ?

Nihilominus Bertha retinere potest legatum, neque ad ullam restitutionem tenetur etiam secundum hanc considerationem minus faventem Berthae. Ratio est, quia conditio apposita virginitatis in sensu obvio non intelligitur de quovis peccato excludendo, etiam occulto contra castitatem, sed intelligitur de excludendo matrimonio, et de vita excludenda publice scandalosa. Ad effectum illum honoris et existimationis, habendae apud homines de virginitatis statu in Ecclesia, valet, in casu, effatum Romani Iuris; Non esse, et non apparere idem est. Quare, non obstante, quod Bertha virginitatem miserrime perdiderit, ex humana fragilitate, legati proprietatem minime amittit. Adhuc enim virgo reputatur et aestimatur. Cf. G. 855., Scav. l. 2. n. 539., D' Annib. P. 2. n. 359.

Ad Caiam quod spectat, et ipsa legatum retinere potest, neque ad restitutionem tenetur. Etenim prima conditio de assistentia praestanda matri Titii, independenter ab eius voluntate facta est impossibilis. Idem dicendum de altera conditione, quae et impossibilis est, quia matrimonium sine alterius consensu fieri non potest; et praeterea contra bonos mores est, quia matrimonia coacta pravi exitus sunt. Insuper res non sunt in eo statu, in quo eas supposuit testator; siquidem tunc quando Titius testamentum condidit, Sempronius caelebs non erat sed uxoratus, nunc vero viduus est. Postremo Titius prospicere voluit suae matri, fidelis famulae *assistentia,* et suo nepoti *fidelis coniugis* consortio; tum etiam ipsi famulae speciali modo favere intendit *legati* concessione. Quare Caia legatum retinere potest. — I. M. 972. 1032., G. 787. 788. 1854.

181. — CONTRACTUS SUB MODO

Aurelius haeredem instituit Blasium, suum consobrinum, haereditate ei relinquens decem centena millia libellarum, *sub onere, ut,* durante eius vita, die anniversaria suae mortis 10,000. libellas viginti egenis puellis pro viginti dotibus tribueret. Blasius, gravi impeditus negotio, non potuit uno anno hanc implere obligationem. Hinc valde anceps est, utrum haereditatem amiserit?

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Aurelii testamentum *sub modo* est. *Modus* est *adiectio,* actui facta, qua qui aliquid alicui utcumque dat demonstrat quid exinde fieri velit, ut, e. g., si quis parocho praedium leget, ut ibi Orphanotrophium erigat. Convenit cum conditione, quatenus adiicit obligationem, in commodum vel dantis, vel accipientis, vel tertii. Differt a conditione, quia haec actum et obligationem suspendit, modus non item. Perpendenda autem est dantis intentio; nam si *adiecta obligatio,* ex donantis intentione principalis est, debet alter illam praestare, nisi impediatur; adeoque caduca evadit donatio, et ad restitutionem donatarius tenetur. Si vero adiecta obligatio, secundaria sit, non corruit donatio, sed potest a donante irritari. In priori casu *modus* in *conditionem resolutivam* recidit; in altero casu *modus* proprie est, quatenus principalem actum modificat, onere adiecto. Ut conditio exprimi solet per particulam, *si;* causa per particulam *pro* vel *ob:* ita modus exprimi solet per particulam *ut.* Lessius l. 2. C. 18. n. 124., I. M. 974.

Porro quamvis onus Blasio impositum, *principalis* testatoris *finis* fuerit, non ideo tamen Aurelii testamentum caducum evasit; siquidem Blasius legitime fuit impeditus. Quare Blasius teneretur tunc tantum imposito oneri nondum impleto satisfacere. Verum ex casu evidenter apparet, impositam obligationem fuisse finem secundarium testatoris. Etenim, cum Aurelius pinguissimam haereditatem reliquerit Blasio, et onus ei imposuerit in dotes distribuendi quotannis dumtaxat 10,000. libellas; neque hoc onus haereditatem gravat in perpetuum, sed tantum *durante eius vita,* evidens res est, principaliter intendisse Aurelium suo consobrino favere. Quare Blasius omissum ex impedimento onus impleat et retinere haereditatem omnino potest. Lessius l. c.

182. — DE PROMISSIONE

Leopoldus saepe dicit famulo, se in animo habere, legatum ipsi relinquere post suam mortem; uxori vero frequenter repetit intentionem habere relinquendi ipsi post eius mortem totam partem disponibilem haereditatis. Leopoldus interim moritur, quin aliquid reapse pro famulo et pro uxore disposuerit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Neque famulus neque uxor possunt se compensare, pecuniam sumendo. Enimvero aliud prorsus est, animum et intentionem habere aliquid faciendi, aliud promittere, aliud reipsa donare et facere. Quare animum et intentionem habere donandi vel legatum relinquendi, idem sane non est ac donationem seu legatum promittere, neque reipsa donare et legare. Cum igitur nulla adfuerit donatio, nullum legatum, imo nulla promissio, nullo titulo famulus et uxor se compensarent.

Verum quid dicendum? si Leopoldus animum et intentionem domino parocho manifestasset aliquid relinquendi pro anima sua, ut tot missae, mille missae, e. g., celebrarentur eleemosyna pro unaquaque decem libellarum; potest ne parochus clam sumere, si possit, decem mille libellas ad hunc finem, si Leopoldus interim moriatur, quin aliquid etiam de hac re disposuerit? Negative item respondendum propter eandem rationem. Nulla est donatio, in casu, nulla promissio; promissio enim non est mera intentio et merum propositum aliquid faciendi, sed propriae fidei obligatio. I. M. 982. seqq.

183. — DE DONATIONE MORTIS CAUSA

1°. Simon, aegrotans, et morti proximus, aperte declarat famulo suo ut repositam pecuniam e scrinio sumat, quam ei donat independenter a salario. Famulus donum acceptat; differt tamen sibi sumere pecuniam, quam scit in loco tuto positam, a quo semper ipse libere possit eam sumere. Moritur dominus, et tunc famulus pecuniam sibi sumit et retinet, nihil haeredibus manifestando.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Famulus iure omnino pecuniam sibi sumit et retinet. Ea enim vere ipsi a domino donata fuit, ab eoque fuerat donatio acceptata. Donatio, in casu, ut ex circumstantiis apparet, fuit utique mortis occasione sed non proprie mortis causa; sed talis fuit, ut res donata statim facta fuerit donatarii, et sub hoc respectu fuit morientis donatio inter vivos. Neque vero videtur, quod defuerit traditio, siquidem Simon non tantum ait, se famulo donare pecuniam in scrinio repositam; sed ait, ut eam sibi *sumat,* unde clare apparet et actualis donatio, et actualis traditio ex parte Simonis. Defuit tantum materialis pecuniae apprehensio; quae ad eius perfectum dominium acquirendum nullo modo necessaria erat. Cf. I. M. 934. 935. 997. 998., G. 817.-819.

2°. Privatus aegrotans advocat Belinam famulam suam, et ait: Si moriar hac infirmitate, accipies ex mea arca capsulam mille refertam libellis. Mea contingente morte, eam tibi *relinquo*. Belina donationem acceptans millenas grates hero suo rependit. Vix Privatus animam efflaverat, omnia eius bona illico ab haeredibus obsignata fuere. Hinc impossibile fuit Belinae capsulam accipere. Eam tamen reclamat; sed frustra. Unde, cum nihil aliud efficere possit, incipit paulatim, data occasione, occulta uti compensatione.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. De iure naturali et de iure positivo communi, et etiam recentiore haeredes tenentur pecuniam famulae erogare, si donatio ipsis certo constet. I. M. 997.–999. Si vero certo ipsis donatio non constet, non tenentur. Neque vero tenentur fidem famulae asserenti adhibere. Quilibet enim posset hoc vel illud affirmare a defuncto sibi fuisse donatum. — Belina e contra, cum ipsa omnino certa sit de suo iure, post mortem Privati pecuniam statim accipere potuisset. Sed cum non potuerit pecuniam sibi certo donatam sumere, occulte potest nunc se compensare. — Elbel 427. 428., G. 811.–813.

Verum, si Belina capsulam post Privati mortem accepisset, et deinde ab haeredibus vel a iudice compelleretur ad praestandum iuramentum, quod nihil de bonis defuncti acceperit, possetne iurare se nihil accepisse? Posset quidem, quia revera nihil tunc accepit de bonis defuncti, sed id tantum quod suum erat. Morte enim Privati interveniente, pecuniae dominium statim in Belinam translatum est. Privati donatio minime quidem fuit donatio *inter vivos,* quae verbo *dono* exprimi solet, sed donatio fuit *mortis causa,* quae verbis illis, *relinquo,* mea contingente morte, clare omnino exprimitur. Itemque donatio fuit conditionata, quae clare etiam exprimitur illa clausula, *si moriar hac infirmitate,* etc. Verificata ergo mortis conditione ex illa Privati infirmitate, donatio facta est *absoluta*. Ergo, donatore mortuo, res donata statim transiit in dominium donatariae, et sua facta est. G. 812. 815. 816.

Sed quid? si capsula accepta, et re cognita, iudicis sententia interveniente ad eam restituendam condemnaretur? Belina teneretur tunc *per accidens* ad restitutionem; ratione obedientiae iudici praestandae, et ratione scandali, eorum qui donationem ignorant. Cum Belina ius suum probare iuridice non possit, iudicis sententia *formaliter* iusta est; adeoque illi se conformare tenetur. Verum, restitutione facta, poterit se occulte compensare. Etenim ius ipsa certum habet, et iudicis sententia fuit *materialiter iniusta,* et fundata in falsa particularis facti praesumptione, *nou acceptae a Privato donationis*. Secus vero esset, *si ipsa donatio,* per iudicem irritaretur. G. 816. 820. 821., I. M. 997. 998.

184. — DONATIO ABSENTI FACTA

1°. Blasius Odillae, nepti suae absenti, mille aureos per nuntium mittit. Moritur Odilla antequam nuntius ad eam pervenerit. Odillae filii et haeredes donum frustra omnino reclamant primum a nuntio, deinde ab ipso Blasio.

2°. Agoardus mille aureos mittit Drusillae, consanguineae suae, per Timotheum. Sed mandatarius eos iniuste sibi retinet. Interim Agoardus moritur, et, facta donatione cognita, praedictos mille aureos reclamant simul haeredes donatoris Agoardi et donataria Drusilla.

Quaer. *Quid ad Casus?*

R. Ad 1um. Cum Odilla mortua fuerit antequam donationem potuerit acceptare, donatio nullo modo perfecta fuit, adeoque nullo pacto donatariae acquiri potuit dominium doni. Si autem doni dominium in donatariam non fuit translatum, non potuit profecto a donataria ad ipsius filios et haeredes transire. Neque vero Odillae filii et haeredes possunt, in casu, pro ipsa donationem acceptare; hoc enim facere possent tantum ex praesumpta donatoris voluntate, quando donator non intenderit unice vel principaliter favere ipsi personae donatariae, sed primario vel saltem aequaliter eius etiam filiis et haeredibus, quod, generatim loquendo, ex variis circumstantiis dirimendum est, et in dubio donator de mente sua interrogandus est. Porro, in casu, cum Odillae filii et haeredes donum frustra omnino reclament, evidens signum est noluisse Blasium eis praedictos mille aureos donare, sed donum voluisse tantum facere ipsi personae suae neptis. I. M. 1004. 1011., G. 803.

Ad 2um. Agoardi donatio non valet: non enim fuit acceptata vivente donatore; et, eo mortuo, donatio *inter vivos* amplius esse non potest. Quare mille aurei haeredibus donatoris Agoardi a mandatario restituendi sunt; ipse vero, de damnis tenetur erga donatariam Drusillam, cum, nisi iniuste illos mille aureos retinuisset, Drusilla profecto tale damnum non sustinuisset. I. M. 1003. 1011., G. 804.

185. — DONATIO MANUALIS

Benno, extraordinarie ditissimus, proxime moriturus, Margaritae uxori mille donat aureos nummos, valoris 20,000. libellarum, in arca quadam absconditos, quos illa, ex mariti iussu, statim accipit. Benno tale uxori fecit donum, ut eius curas et egregia officia in se collata, durante matrimonio, et diuturna eius infirmitate, rependeret; quod Benno eidem uxori verbis significat, eandem etiam rogans, ut sedulo post eius mortem curaret, ut aedificaretur monialium monasterium, aliaque plura implerentur pia legata, in suo testamento expressa, quae forte ex parte filiorum gravibus subiicerentur difficultatibus.

Quaer. 1°. *Quid de manualibus donationibus tenendum?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1um. Communis sententia est, secundum ipsam civilem iurisprudentiam, dona usualia, et brevi manu, si sint libere facta inter personas habiles, et in parte disponibili, in foro conscientiae et civili vim habere, etsi desint solemnitates a civili iure praescriptae, uti si nullus donationis *actus* conficiatur, neque publicus neque privatus. Ius enim civile praedictas statuens solemnitates, voluit tantum viam praecludere inconsultis donationibus, non iustis liberalitatibus. Idque ipsa communi con-

suetudine confirmatur, quae optima legum interpres est. Enimvero intolerabile omnino esset, quod quis sine publica scriptura non possit licite et valide annulum amico donare, famulo horologium, quinque libellas pauperi. Idque praeterea eruitur ex ipso Cod. Civ. It. 707., C. G. 2279. Respectu enim mobilium, et ex C. I. titulorum *ad latorem* possessio producit quoad tertios bonae fidei eundem effectum ac titulus. Quae tamen dispositio non applicatur ex C. I. *universalitati mobilium.* Quare licita et valida omnino erit donatio mobilium et praedictorum titulorum, si tradita iam fuerint donatario bonae fidei. Atque ex hac eadem legis Codicis Italici dispositione eruitur, huiusmodi manualem donationem, licet sit permissa, coercendam tamen esse intra iustos limites, quod est prudentum definire, habita circumstantiarum ratione. I. M. 1011.

Ad 2^{um}. Ex C. G. donatio in casu valida omnino esset, tanquam morientis quidem donatio, sed inter vivos. Nihil enim est, unde erui potest eius invaliditas; est enim donatio clara, determinata, acceptata ab homine habili ad donandum inter vivos uxori habili ad accipiendum facta. Aperte autem apparet legitimam non fuisse laesam, agitur enim de viro extraordinarie ditissimo.

Ex C. I. difficultas est ex eo quod coniux coniugi donare non potest. Verum evanescit in casu omnis difficultas, si consideretur primo, quod ideo prohibentur lege coniugum donationes inter se, durante matrimonio, ne mutuato amore invicem spolientur. Qui ideo nequeunt illas valide acceptare, neque per interpositas personas, neque sub specie contractus onerosi. C. I. 1054. 1055., I. M. 1008. Verum, in casu, cum Benno proxime sit moriturus, legitima epicheia, non videtur lex applicari; siquidem in eadem lege actus excipiuntur ultimae voluntatis. Insuper praedicta donatio, est donatio *remuneratoria,* siquidem fiebat ob praestitum officium et acceptum beneficium; et haec donatio potius est quaedam *compensatio.* Itemque praefata donatio est simul donatio *onerosa,* onus Benno, suo rogatu, adnectebat, et haec etiam donatio potius *solutio* quaedam vel quaedam *commutatio* est. Quapropter ea lege non comprehenditur. Margarita ergo etiam secundum C. I. acceptam summam retinere potest.

Difficultas vero est, quia nimia videtur donatio. Sed, si consideretur, quod agatur de viro *extraordinarie ditissimo,* ac de donatione non proprie tali, sed de donatione *remuneratoria* et *onerosa,* neque agatur de famula remuneranda, sed de uxore, praedicta summa 20,000. libellarum, in hac manuali donatione, omnino exhorbitans non videtur, licet revera *usualis* non sit. Ac quamvis huiusmodi donatio excedat manuales donationes ordinarias, huiusmodi excessus, *in casu,* non officit eius *validitati;* siquidem iure Gall. et ipso iure Ital. invalida non est. I. M. 1011. Insuper potuisset sane Benno eam summam, filiorum legitima illaesa, sub nomine legati uxori relinquere etiam ex Cod. Ital., quod forte Benno non fecit ad evitanda incommoda, quae ex parte filiorum adesse potuissent. Ergo, si non valet uti donatio, valere profecto potest, uti legatum formis legalibus destitutum ex tam certa testatoris voluntate in casu. G. 802. 814. 817.

186. — DONATIONIS REDUCTIO

Lucius donavit, anno 1890., 3,000. libellas Luciano; donavit, anno 1891, 3,000. libellas Lucino; donavit, anno 1892., 3,000. libellas Lucillo; donavit, anno 1893., 3,000. libellas Lucido. Anno 1894. moritur Lucius et relinquit 4,000. libellas tantum Luciae suae unicae filiae.

Quaer. *An praedictae donationes sint reducendae?*

R. Lucia unica filia superstes ius habet ad dimidiam partem bonorum patris. Porro tota substantia patris summa erat 16,000. libellarum. Quare Lucia ius habet ad 8,000. libellas. Reducendae igitur sunt praedictae donationes usque ad hanc summam constituendam, incipiendo a donatione ultimo loco facta. Quare Lucia petere potest, ut declaretur nulla donatio facta Lucido, et ut donatio facta Lucillo ad 2,000. libellas reducatur. Si petitio intra annum fiat a morte Lucii restituendi etiam sunt fructus excessus partis disponibilis a die mortis eiusdem donatoris. Si vero reductio post annum petatur, fructus restituendi sunt a die factae petitionis. C. I. 1093. 1094., I. M. 1014.

187. — DE COLLATIONE

1°. Curtius donavit suo nepoti Paulino, filio Pauli sui filii, 3,000. libellas. Donavit item suo filio Paulo aliam summam 3,000. libellarum. Moritur Curtius et ipsius haereditas devolvitur ad tres eius filios Paulum, Petrum, Ioannem.

Quaer. *An Paulus et Paulinus eius filius conferre debeant in massam haereditatis 6,000. libellas a patre et avo acceptas?*

R. Paulus quidem conferre debet 3,000. libellas, dono acceptas a patre. Verum Paulinus eius filius referre non debet 3,000. libellas ab avo acceptas, si illaesa perstitit *legitima*. Sunt enim quasi extraneo donata. Aliter vero esset, si Paulinus suo avo succederet iure repraesentationis. C. I. 1001. 1002. 1004., C. G. 843. 844. 847., I. M. 1016.

2°. Columbinus donavit Lucino 50,000. libellas, secreto ipsi committens, ut eas traderet cum fructibus ultimo suo filio Faustino post suam mortem. Deinde amplam domum vendidit eidem filio Faustino pretio 50,000. libellarum, quas tamen, peracto contractu coram notario, eidem Faustino immediate restituit. Tandem vendidit praedicto Faustino campum pretio 50,000. libellarum, eius tamen verus valor erat 100,000. libellarum. Occasione vero matrimonii suae filiae Augustae, ei donavit, titulo dotis 150,000. libellas. Moritur Columbinus et haereditatem adeunt quatuor eius filii, Faustinus, Augusta, Fausta et Augustinus. Fausta et Augustinus instanter exigunt, ut dos Augustae et alia omnia bona a patre suo donata et vendita in haereditatem conferantur. Faustinus vero contendit omnia sibi deberi vel titulo donationis vel saltem contractus

onerosi. Immo plura alia ex paterna haereditate habere contendit ex societate secum a patre inita in commercio, quod ille exercebat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Descendentes cum succedunt ascendentibus suis, etiam cum beneficio inventarii, bona ab istis inter vivos donata sive *directe* sive *indirecte* simul in unum conferre seu computare debent in massa haereditaria, ut omnia inter se aequaliter dividant, nisi ab ipso defuncto aliter fuerit dispositum, nec legitima laesa. C. I. 1001., C. G. 843., Lig. 957., I. M. 1015. 1016. Iam vero summa illa 50,000. libellarum Lucino donata, summa revera est *indirecte* donata suo filio haeredi Faustino. Domus illa praedicto Faustino vendita, eidem revera *directe* est donata, sub specie et forma contractus onerosi. Item dos data filiae Augustae donatio est ipsi *directe* facta. Quare haec omnia omnino conferenda sunt in haereditatem. Immo non solum conferenda sunt ea omnia, quae pro dote data sunt, verum etiam pro supellectili nuptiali. C. I. 1007. Si tamen dos marito soluta fuit sine idonea cautione, dotata uxor tenetur conferre tantum actionem erga maritum, quae ideo minoris aestimatur ob difficultatem solutionis. C. I. 1007. Conferenda quidem non sunt utilia, quae haeres perceperit ex conventione inita cum defuncto, modo lucrum non fuerit consecutus statim ab ipsa conventione. C. I. 1010. Hinc Faustinus pro campo empto non debet conferre ipsum campum, sed tantum 50,000. libellas, siquidem conferenda sunt emolumenta indirecte consecuta ipso momento conventionis. Atqui ille campus valoris erat 100,000. libellarum, et ipse illum emit a patre pretio tantum 50,000. libellarum. Tandem conferenda non sunt, quae obvenerunt ex societate inita inter testatorem et haeredem, sed opus est, ut inita fuerit sine fraude, et conditiones certa scriptura fuerint firmatae. C. I. 1011. Porro fraus sane fuisset, si Columbinus Faustinum sibi associasset in suo commercio, falso supponens, quod fundos ad illud subministrasset. Quare, an ex hoc capite Faustinus iure reclamet, particulares, in casu, circumstantiae essent ulterius exquirendae et examinandae, cum nihil explicite, in casu, dicatur. — Cf. I. M. 1015. seqq.

188. — DONATIONIS REVOCATIO

Remigius caelebs, praedium amico suo Alberto donavit, conditione adiecta vitalitii census sibi solvendi. In ipso autem donationis actu declaravit, se renuntiare cuilibet iuri factam donationem revocandi. Verum vel a primo anno vitalitium censum solvere renuit Albertus. Ac, cum Remigius debitum repeteret, diris conviciis gravissimisque vulneribus obrutus est. Quamobrem revocationem donationis postulat a iudice; sed antequam sententia ferretur, ipse e vivis excessit. Sed eius haeredes doni restitutionem donatoris loco postulant.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Remigius certo donationem potuit revocare. Illa enim cessio iuris sui donationem revocandi fieri valide non potuit contra claram legis

dispositionem. Insuper Remigii intentio profecto non fuit renuntiandi iuri suo, conditione non impleta, secus eam non apposuisset suae donationi; neque renuntiandi iuri suo ob ingratum animum; secus hanc non fecisset potius amico quam extraneo. Quare Remigius ex duplici hoc capite revocationem suae donationis potest iuridice petere. Ea enim ob hanc duplicem rationem pleno iure non revocatur. I. M. 1022. Cum autem ipse Remigius donator revocationis actionem apud iudicem inceperit, eam prosequi possunt ipsius haeredes. C. I. 1082., C. G. 957. — G. 809. 810.

189. — DE TESTAMENTO HOLOGRAPHO

Vincentius Italus testamentum conficit holographum hac forma: « Ego hic subscriptus instituo haeredem universalem omnium meorum bonorum meam uxorem. — Die prima Ianuarii anni millesimi octingentesimi nonagesimi quarti. — Vincentius de Vincentiis ». Illud scribit in lingua latina et communi charta, regni sigillo non obsignata. Omittit autem notare locum, in quo confectum est. Itemque lacuna habetur post verba, *Ego hic subscriptus instituo,* etc.; volebat enim deinde scribere proprium nomen et cognomen. Alia etiam lacuna habetur post verba *omnium meorum bonorum meam uxorem,* etc. etenim volebat etiam addere nomen et cognomen uxoris. Deinde liturae habentur verborum, *universalem* et *bonorum,* quae iterum deinde clare scripta habentur eadem testatoris manu. Verbum *meorum* interpositum est inter lineam et lineam. Tandem tres additiones, diversis temporibus, adiectae sunt, quarum unaquaeque tota scripta est manu propria ipsius testatoris, cum indicatione diei, mensis et anni, quae in prima additione reperitur in fine; in secunda et tertia reperitur initio, et non litteris, sed numeris scripta est. Sub fine tandem subscriptae sunt ab ipso testatore.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Vincentii testamentum valet. Etenim ad testamenti holographi validitatem tria tantum requiruntur: 1°. Ut totum sit scriptum manu testatoris. Neque officiunt lacunae, vel liturae, vel interpositiones, modo integre omnia scribantur manu ipsius testatoris, adeo ut si vel unum verbum aliena manu sit conscriptum, tanquam vera pars ipsius testamenti tota dispositio irrita sit. Constare tamen debet verbum aliena manu additum, esse partem testamenti; alioquin posset quilibet, ad cuius manus illud devenerit, irritum facere per verbi additionem. Quacumque autem lingua et charta scribi potest. L. 14. Iul. 1866. Quare nulla quoad chartam mulcta in Italia solvenda est.

Requiritur 2°. ut in fine vel sub initio dispositionis indicentur dies, mensis et annus, quo confectum est. Idque vel numeris vel litteris per extensum effici potest. Si vel sola diei notatio omittatur testamentum nullum est; e. g. si ita data notetur, *Iulii 1873.* Necessario vero locus etiam indicandus non est.

Requiritur 3°. ut sub fine subscriptum sit ab ipso testatore. — Subscriptio omnino necessario ultima esse debet, ac talis ut constet de identitate personae. Quamvis autem sufficere videatur, ut testator eam ad-

hibeat subscriptionem, quam consueverit adhibere in publicis actibus, et sub qua vulgo notus est, uti, e. g., initialibus tantum nominis litteris solent episcopi Actus subscribere, vel integro tantum nomine, addita episcopatus dignitate, et dioecesis nomine; praestat tamen nomen personale et cognomen propriae familiae ponere, et, si necesse sit, alias etiam specialitates ad omnem vitandam difficultatem. Uxor vero satis est, ut scribat nomen suum personale cum cognomine familiae sui viri. — Additiones fieri deinde possunt, modo tamen omnes referant tres notatas conditiones. — C. I. 774. 775., I. M. 1026.

190. — DE TESTAMENTO PUBLICO

Gerontius, haeredibus carens necessariis, proxime moriturus, notario ab eodem advocato, sed nondum praesente, coram parocho et pluribus feminis, sponte declarat, *se relinquere omnia sua bona Eugenio, unico suo haeredi naturali, et eius amico Paulino.* Mox adest notarius, cum requisitis testibus et futuris haeredibus. Sed ecce, dum interrogat moribundum, loqui ipse amplius non potest. Parocho tamen poscenti, num ratam haberet voluntatem, a seipso modo expositam, capitis nutu annuit, et paulo post moritur. Eugenius, ut totam capiat haereditatem, testamenti irritationem statim a iudice obtinet. Paulinus vero, ita suo iure privatus titulo compensationis sibi retinet et 10,000. libellas, quas a Gerontio mutuo acceperat, et 1,000. libellas, quas secreto debebat ipsi Eugenio.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Gerontii testamentum naturali iure certo validus est. Quare Paulinus potest omnino in conscientia haereditatem reclamare et retinere donec iudicis sententia irritetur. Certo enim constat de voluntate testatoris; et Ius Civile testamentum, legis formalitatibus destitutum, pleno iure, irritum non declarat. I. M. 1029.

Eugenius vero legitime testamenti irritationem invocat. Nam lex ista, varias testamentorum formas sub poena invaliditatis constituens, iusta est. In casu vero ex legis praescripto omnino requirebatur, ut ipse testator suam voluntatem viva voce coram notario et legitimis testibus declararet; qui omnes testamentum subscribere deinde debuissent. Quare non sufficit, ut aeger interrogatus affirmative respondeat, sive verbo sive capitis nutu. I. M. 1026. 1029.

Paulinus ante iudicis sententiam retinere quidem potest 10,000. libellas mutuo a Gerontio acceptas, si eae partem suae haereditatis non excedant. Eas vero omnino restituere debet, legitima interveniente sententia, per quam ab haereditate omnino deiicitur.

Minime vero potest Paulinus 1,000. libellas retinere, quas Eugenio debet, sive ante sive post iudicis sententiam. Etenim ista pecunia non pertinet ad haereditatem, cum non sit Gerontii testatoris, sed Eugenii haeredis. Insuper ante sententiam Paulinus ad haereditatem non habet nisi *ius probabile;* post sententiam vero nullum amplius ius habet ad haereditatem; sive vero ante sive post sententiam, nulla ipsi iniuria ab

Eugenio facta est, adeoque nullum omnino habet ius ad compensationem; cum nullum sit ius laesum compensandum. — G. 829. 830. 831. 837. 839., I. M. 936. 1029. Sed Cf. hic n. 195. 197. 3°.

191. — DE LEGITIMA

1°. Stanislaus, ab intestato moriens, septem relinquit filios legitimos, et Stanislaam suam uxorem. Haereditatem simul relinquit 16,000. libellarum. *Quaenam eorum legitima est?*

2°. Aloysius testamento reliquit 30,000. libellas Titio, suo filio ex primo matrimonio; 40,000. libellas Caio, alteri filio ex priore matrimonio; 50,000. libellas Sempronio, tertio filio ex eodem matrimonio. *Quid relinquere potest secundae uxori?*

3°. Philippus haeredes instituit, aequis portionibus, suos filios, quibus omnem suam substantiam relinquit. Usufructum vero universalem coniugi relinquit. *An valeat haec dispositio?*

4°. Raphael, civis Gallus, Romae moritur, et quatuor relinquit filios, quibus dimidiam bonorum partem testamento assignat aeque inter ipsos dividendam, alteram dimidiam partem, tanquam libere disponibilem assignat uxori. *An iure egit?*

5°. Ioannes quinque habet filios naturales et legitimos, et duos filios naturales tantum, sed legaliter recognitos. Fortunam autem habet 28,000. libellarum. *Quaenam eorum legitima est?*

6°. Alphonsus nullum habet ascendentem et descendentem legitimum; habet filium unicum naturalem sed legaliter recognitum, fortunam habet 60,000. libellarum. *Quaenam pars legitima ipsius est?*

7°. In communi naufragio moritur Aemilius pater et Ludovicus filius. Superstites remanent Michael pater Aemilii et Dominica mater Ludovici et Aemilii uxor. *Quaenam est legitima Michaelis et Dominicae?*

8°. Laurentius totum suum patrimonium alienavit, ut sibi, uxori et filiis vitalitium constitueret. *An iure egit?*

9°. Gabriel, durante vita sua, totam partem disponibilem sui patrimonii alienavit, ut hospitale pro pauperibus fundaret. Legitimam vero integram reservavit filiis et uxori. *An contra leges egit?*

Quaer. *Quid ad Casus?*

R. Ad 1^um^. cum septem sint filii, et praeterea adsit uxor, haec cum filiis computanda est, adeoque tota haereditas dividenda erit in octo partes. Cum autem octava pars sit 2,000. libellarum, Stanislaa, quae ius habet tantum usufructus, super hac parte usufructum consequitur. Debet autem Stanislaa computare in hac parte omnia, quae illi obvenerunt ex matrimonialibus conventionibus, et dotalibus lucris. Reliquum, aequis portionibus, inter septem fratres dividendum erit. — I. M. 1047. 5°.

Ad 2^um^. Secunda uxor obtinere non potest summam maiorem 30,000. libellarum. Haec enim est pars filii minus considerati, prioris coniugii. — I. M. 1044. *Nota.*

Ad 3^um^. Valet Philippi dispositio. Si vero filii nolint consentire in praedictam dispositionem, pars disponibilis pleno dominio coniugi devolvitur. C. I. 810.

Ad 4^{um}. Raphael iure non egit. Ratio est, quia C. I. Disposit. praelimin. 8. statuit: « quod successiones legitimae et testamentariae quoad ordinem succedendi, quoad mensuram iurium successionis, et intrinsecam dispositionum validitatem, reguntur lege nationali personae, de cuius haereditate agitur, cuiuscumque naturae sint bona, et in quavis regione reperiantur ». Quare id valet, etiamsi bona sint immobilia, et omnia sita sint in Italia. Pars igitur viduae Raphaelis debita ad quartam partem est reducenda. C. G. 920. Etenim Raphael disponere potest tantum de *quarta* parte secundum C. G. 913., minime vero de dimidia parte secundum C. I. 805. Verum poteritne in conscientia Raphaelis vidua totum retinere, si eius filii reductionem non petant? Respondendum est affirmative. Reductio enim ex C. G. 920. 921. ipso iure non habetur, sed petenda est, et non nisi ab iis peti potest in quorum favorem lex bonorum reservationem constituit.

Ad 5^{um}. Cum dimidia pars totius haereditatis sit in casu 14,000. libellarum, filii legitimi singuli obtinent titulo legitimae 2,800. libellas. Cum vero adsint filii illegitimi et isti sint computandi cum legitimis, ut determinetur pro ipsis medietas quotae partis, quae ad ipsos spectaret, si essent legitimi, et haec pars ex parte disponibili sit detrahenda, patet eorum legitimam esse 1,000. libellarum. Nam 14,000. libellae divisae inter septem dant 2,000. libellas singulis, quarum dimidium est 1,000. libellarum, quae ex parte disponibili sunt detrahendae. I. M. 1043.

Ad 6^{um}. Si filius fuisset naturalis et legitimus, eius legitima fuisset 30,000. libellarum, nempe dimidium. Cum sit naturalis et illegitimus et unicus, eius legitima est 20,000. libellarum, duae nempe tertiae partes praedictae quotae. — I. M. 1043.

Ad 7^{um}. Cum ex C. I. non transmittantur in casu iura filii in patrem et viceversa, Dominica mater Ludovici integram eius haereditatem obtinet, si ille bona habebat. Michael vero consequitur duas tertias partes super haereditatem sui filii Aemilii, tertia eius uxori Dominicae debetur. — I. M. 1077. 2°. 5°., 1050.

Ad 8^{um}. Laurentius iure egit. Patrimonium enim titulo oneroso alienavit. Lex autem filiis providit tantum quoad liberalitates et alienationes, titulo gratuito peractas. C. I. 805. 1791. 1794. etc.

Ad 9^{um}. Parentes non videntur teneri, neque in conscientia, omnia bona testamento relinquere filiis; sed sufficit, si eis relinquant portionem legitimam a iure praescriptam, saltem si haec ipsis sufficiat ad vivendum secundum propriam conditionem. Nam aliter parentes potius fructuarii, quam domini bonorum suorum dicendi essent, exitu inspecto. Quare, si pauperes gravi premerentur necessitate, vel opus aliquod esset perficiendum in bonum publicum, v. g. hospitale vel templum, non peccant parentes, si relicta filiis portione bonorum legitima pro eorum statu congrue sustentando idonea, reliquum in ea opera impenderent. Certo possunt aliqua pia legata instituere. Sed peccarent, si ita agerent ex odio in filios; vel etiam, si absque causa sufficienti, reliquam hereditatem darent extraneo; contrarium enim videtur ordini caritatis. Prov. 13., 22. Gabriel vero inquietandus non videtur. Scavini Mediol. 1874. Ed. 12^{a}. l. 2. n. 331., I. M. 673.

192. — TESTAMENTUM INTER CONIUGES

Serapio, coniux Sylviae, eidem uxori proponit, ut per testamentum omnia sua bona ipsi relinquat, cum nullos ipsi habeant filios, neque Sylvia ullos habeat ascendentes. Acceptat Sylvia, hac tamen conditione, ut Serapio vicissim testamentum condat, quo ipsi relinquat omnia bona sua, si forte ipse prior decedat, cum et ipse ascendentibus careat. Acceptat Serapio, hac etiam ab ipso superaddita conditione, ut et ipsa testamentum in sui favorem statim condat, confecta testamenta a neutro deinde revocentur, idque iuramento firmetur. Duplex ita conficitur testamentum; sed Sylvia, ut statim confecit testamentum, ita statim facti poenitens suum destruit testamentum, et novum ex integro conficit. Paulo post moritur Serapio, et Sylvia adit amplam eius haereditatem.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Testamentum a Serapione confectum nullum omnino est, siquidem nulla ex Iure positivo est dispositio testamentaria, facta a testatore *sub hac conditione,* ut ipse vicissim ad haereditatem a suo haerede vocetur. Hinc Sylvia haereditatem retinere non potest, sed eam haeredibus legitimis debet restituere. C. I. 852., I. M. 1032.

Pactum autem initum confecta testamenta minime revocandi nullum est; adeoque Sylvia ex hoc capite *per se* adhuc poterat suum testamentum revocare, et viri haereditatem adire; nam iterum ex Iure positivo nulla est renuntiatio facultatis testamentum revocandi; adeoque illa conventio invalida fuit. Verum, in casu, Sylvia revera testamentum revocare amplius non poterat: *hac* enim *conditione* Serapio suum praestitit consensum; adeoque, vi illius pacti ita conditionati, si Sylvia testamentum mutasset, ut de facto fecit, debuisset virum monere. Quare etiam hac ratione, cum Sylvia fraude usa sit, et nullum fuerit Serapionis testamentum, eius haereditatem adire non potest.

Secus esset, si, nulla apposita conditione de testamento non revocando, ipsa deinde testamentum secreto revocasset; nam cum testamentum essentialiter revocabile est, usa tunc fuisset suo iure, nec ullam adhibuisset fraudem, quemadmodum etiam Serapio potuisset tunc, si voluisset, secreto testamentum mutare. Nulla item apposita *conditione,* quod testator a suo haerede haeres ipse instituteretur, validum etiam fuisset utrumque testamentum; et potuisset tunc Sylvia haereditatem adire. I. M. 1034.

Additum autem iuramentum, in casu, nullum erat, iuramentum sequitur naturam actus. Atqui actus ex lege invalidus declaratur. Ergo invalidum est etiam iuramentum. Firmare enim conventionem nullam non potest. — G. 846. 847., I. M. 560. 565. 970.

193. — FIDEI COMMISSUM

« 1°. Moevia vidua, duas habet filias, quarum una legitima est, spuria altera, sed actu publico recognita. Aegre ferens, quod non nisi modica bonorum pars huic legaliter competat, committit Annae mille

francos, ut eidem filiae spuriae post mortem suam secreto tradantur. Mortua autem Moevia, anxia haeret Anna, nesciens cuinam e duabus sororibus remittenda sit pecunia haec fidei suae commissa.

Quaer. *An pecunia Annae commissa competat filiae spuriae Moeviae, vel filiae legitimae?*

R. Solutio quaestionis pendet a statu fortunae matris. Si legatum fidei-commissum noceat iuribus filiae legitimae, adimpleri nequit; secus vero si minime noceat. Mater enim potuit dare filiae suae naturali recognitae, praeter id quod ipsi lege tribuitur, quidquid extraneo dare posset. Hinc, si mater sat dives sit, Anna legatum hoc fidei-commissorium filiae illegitimae tribuere potest, cum altera puella ius nullum in hanc pecuniam habeat, siquidem, in hypothesi, in legitima sua non laederetur ». Ita P. Gury 867. Verum resolutio haec difficultatem patitur ex Cod. Ital. 768. et etiam ex C. G. 908., siquidem utroque Iure filii illegitimi, quos testator agnovit, vel quos iudicis sententia tales esse constat, filiis legitimis existentibus, nequeunt a patre vel matre quidpiam capere praeter legitimam. I. M. 1038. Quare Anna nihil dare potest filiae spuriae Moeviae; sed mille illi franci toti haereditati Moeviae restituendi sunt, ut deinde ex tota haereditatis massa *legitima* filiae legitimae et filiae naturalis recognitae determinetur. I. M. 1038. 1039. 1045. 1047.

2°. Florus vir dissolutus et dives duplicem habet prolem, ex fornicatione unam, sed non recognitam, alteram vero ex incestu cum Flavia consanguinea sua. Cum utrique benefacere vellet, Antonio viginti francorum millia inter utramque post mortem suam dividenda commisit.

Quaer. *An Antonius possit vel debeat exequi fidei-commissum erga utramque prolem spuriam Flori, vel pecuniam acceptam haeredibus tribuere?*

R. « Florus probabiliter committere potuit Antonio pecuniam suae proli fornicariae transmittendam. Ratio est, quia potuisset etiam eam haeredem instituere, non quidem quatenus prolem suam, sed quatenus personam ex lege non inhabilem. Idem etiam de iure naturali quoad legatum proli incestuosae legandum ob eandem rationem. De iure vero Gallico filii incestuosi sicut et adulterini ad donationes recipiendas prorsus inhabiles declarantur. Ius enim tantum habent ad accipiendum ea quae ad vivendum necessaria sunt. Plures tamen non improbabiliter huiusmodi donationes non irritari contendunt, nisi de vitio nativitatis iuridice constet ». Ita Gury 868. Verum haec etiam solutio difficultate non caret. Etenim quoad prolem fornicariam, distinctio inter *prolem suam* et *personam non inhabilem* chimerica omnino est *in concreto;* legatum enim, in casu, *propriae proli fornicariae, minime legaliter recognitae,* fit, quae persona ex lege inhabilis est I. M. 1038. Quoad prolem vero incestuosam, licet de iure naturali irritum non sit legatum, de iure tamen positivo irritum est, et hoc sufficit ut legatum reapse illi fieri non possit. Neque vero solidum videtur quod affirmatur, debere nempe *constare iuridice de vitio nativitatis;* hoc enim ex Iure non constat, immo contra-

rium constat. Nam quoad filios illegitimos, ad successionem non admittuntur nisi filii *naturales recogniti* et *legitimati*, qui legitimatione qualitatem acquirunt filiorum legitimorum, C. I. 194., C. G. 333., adeoque eadem habent iura ac illi; et filii *naturales, legaliter recogniti* tantum, qui aliqua etiam habent iura ad successionem, licet non eadem ac legitimi. Filii *naturales* neque *legitimati*, neque saltem *legaliter recogniti* a successione excluduntur. Filii vero *adulteri* et *incestuosi*, quos testator agnovit vel iudicis sententia tales esse constat, nonnisi ad alimenta ius habent. Cf. I. M. 663. 1038. Insuper, si iuridica illa probatio requireretur, ut filius adulterinus et incestuosus, a successione excludatur, iam fere semper lex eluderetur; et lex ista iam matrimonii fidem et pietatem minime protegeret. Quare Florus, per se videtur acceptam pecuniam haeredibus tribuere debere. Cf. C. I. 752., C. G. 762., I. M. 1039. 1045., Scav. l. 2. n. 542.

194. — DE REVOCATIONE TESTAMENTI

Genesius instituit haeredes universales tres filios, quos habuit a Genesia. Hac mortua, matrimonium contrahit cum Lucretia, ex qua genuit duos filios et postea moritur.

Quaer. *An testamentum in casu revocetur?*

R. Testamentum in casu non revocatur ob duos supervenientes filios. Quare duo posteriores filii, in casu, ius habent tantum ad legitimam portionem. Scav. Ed. 12ª. Mediol. 1874. l. 2. n. 450., I. M. 1034. 1035.

195. — TESTAMENTUM CASU DESTRUCTUM

Titius, testamento holographo condito, illud Caio, quem haeredem nuncupaverat, custodiendum tradidit. Malo autem fato eadem nocte, qua Titius defunctus est, Caii cubiculum incenditur, et ipsum quoque scrinium, quo testamentum servabatur, igne absumitur. Fit proinde, ut defuncti parentes ab intestato haereditatem adeant. His se sistit parochus vir omni exceptione maior, qui iurat, se Titii testamentum pridie quam combureretur legisse, in eoque Caium haeredem fuisse institutum, et simul inscripta legata quaedam pia in suae paroeciae bonum praestanda. — Cum legitimi Titii haeredes parochi attestationem nullatenus curent, hic eos rogat, ut saltem legata ad pias causas relicta persolvant. Sed frustra. Hinc parochus cum Caio convenit, syngraphas quasdam nummarias confingere, Titii subscriptione perfecte simulata, quibus tum ipse legata pia, tum Caius aliquid pro se recuperare possit ab haeredibus, qui revera fraude capti summam pecuniae designatam per syngraphas solvunt.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Distinguendum primum est, et videndum, utrum cubiculum Caii incensum sit post Titii mortem, vel ante eam, quod facile in praxi verificari potest. Si testamentum igne absumptum est *post* Titii mortem,

iam haereditatis dominium translatum fuit in Caium, itemque dominium legatorum translatum fuit in pias causas. Parochus testamentum legit, adeoque omnem habet rei certitudinem. Idem videtur dicendum de Caio. Nam, si Titius testamentum *holographum* fecit, et illud ipsi *haeredi* Caio custodiendum tradidit, non apparet profecto, quod rem Titius secretam retinere voluerit; sed e contra inde deducitur institutionem haeredis ei viva voce manifestasse, et deinde ipsimet testamentum tradidisse. Ac, si illud Titius legendum tradiderat parocho ob legata pia in testamento inscripta, non est credendum secretum servasse quoad Caium haeredem, cui ipsum testamentum traditum est. Verum tum Caius tum parochus, falsas confingentes syngraphas, leviter quidem peccant *contra veritatem;* graviter vero *contra caritatem,* nam gravi se exponunt periculo poenae subeundae contra falsarios, et gravi scandali periculo, si res publicetur. Itemque graviter peccant *contra iustitiam legalem,* quae omnem prohibet falsam scripturam sub gravissimis poenis, propter commune fraudum periculum removendum. Unde lex obligat, etiamsi nulli inferatur praeiudicium. Nihilominus, cum res bene successerit, quod acceperunt tali medio, illicito quidem, sed non iniusto, retinere possunt, quia *proprium* accipiunt, non *alienum.* Titii parentes vero ab omni culpa excusantur; siquidem ipsi non tenentur credere neque Caio, neque parocho in causa propria. G. 841. 842.

Si testamentum igne consumptum est ante Titii mortem, Titius revera moritur *ab intestato.* Quare parentes Titii iure ab intestato haereditatem adeunt, neque aliquid profecto debent Caio, qui consequenter uti non potest occulta compensatione et *legitimum possessorem propria auctoritate expoliare.* Leges enim civiles de successionibus obligant in conscientia, siquidem leges sunt, ius proprietatis praestantes, atque hoc ius non nisi in conscientiae foro confertur. Quare Caius, in tali casu, conficta utens syngrapha, iniuste agit, siquidem vera fraude legitimos decipit haeredes, et ad restitutionem tenetur. Idem consequenter dicendum esset, si ipsum testamentum simularet, vi cuius legitimos haeredes vel spoliaret haereditatis possessione, vel impediret, quominus haereditatem consequi possent. — Verum quid? si Caius nullum simulet documentum, quo vel totam haereditatem, vel saltem eius partem, consequatur, legitimos haeredes, iam haereditatis legitimos possessores, decipiendo et spoliando, vel impediendo quominus haereditatem consequantur; sed simpliciter dicat, se fuisse haeredem institutum a Titio, et narret totum factum incendii et combustionis testamenti, et legitimi haeredes ipsi credentes, neque adeunt haereditatem, neque ullam iudicis invocant sententiam. Posset tunc Caius haereditatem retinere. Nam, ut haeres ex informi testamento haereditatem servare potest, donec ab ea per iudicem deiiciatur, et haereditatem adire potest, si legitimi haeredes eius possessionem nondum fuerint legitime adepti, ita etiam in casu, quo testamentum fuerit destructum ante mortem testatoris; siquidem in utroque casu certo constare potest de testatoris voluntate; et testamentum informe pleno iure invalidum non est, sed rescissioni tantum est obnoxium. Quin imo, si in tali item casu, legitimi haeredes adirent quidem haereditatem, sed Caius illis non restitueret, summam e. g. ab ipso testatore mutuo antea acceptam, eamque sibi retineat, id adhuc videtur facere posse, siquidem non spoliat legitimos possessores, et informe testamentum saltem probabiliter valet, donec

iudiciaria interveniat sententia, quae in casu uti supponitur non intervenit. Neque enim tunc obstat legitima possessio, neque legitima sententia. G. 830. 831. 837. 839., I. M. 936. 1029.

Ad parochum vero quod attinet, si haeredes legitimi Titii *moralem* habent *certitudinem* piorum legatorum, ea solvere tenentur. Legata enim pia non reguntur Iure Civili, sed Iure Naturali et Iure Canonico. Si vero moralem hanc certitudinem non habent, neque pia legata solvere tenentur. « Ceterum, ait S. Alph. 924., si non constet haeredi voluntas testatoris, docet Laym., quod ex certa regula, omnium consensu recepta, non tenetur haeres in suo praeiudicio credere uni testi, *quamvis probatissimo,* dum in C. *Relatum* 1. *de Test.* expresse dicitur: *tribus aut duobus testibus requisitis.* Et in C. *Licet de Testib.* dicitur: *Licet quaedam sint causae, quae plures exigant testes; nulla tamen est causa, quae unius testimonio, quamvis legitimo terminetur.* Hoc enim necessarium fuit ad bonum commune, ut fraudes evitentur... Hinc docet Laym., quod haeres non tenetur credere *soli parocho,* nisi alius adsit contestans ».

Et Reuter P. 3. n. 277.: « Si parochus post mortem parochiani sui producat schedam continentem pia quaedam legata, tunc si agnoscatur, vel duobus testibus probari possit, quod manu testatoris vel defuncti sit scripta, pia eius voluntas executioni mandanda est; *si autem ipse parochus legata adnotaverit, non creditur ei sine alio teste.* Quare parochi vel confessarii tales ultimas dispositiones ad causas pias non excipiant, nisi advocatis duobus testibus masculis aut feminis. Unus tamen cum parocho sufficere poterit ».

196. — DE PATRIMONIO DIVIDENDO INTER FILIOS AB INTESTATO PATRI SUCCEDENTES

Titius vir satis dives, cui in bonis numerata praesertim erat pecunia, repentino morbo in extrema senectute correptus, ab intestato decessit. Duo eius filii, qui familiae patrimonium assiduo labore et industria auxerant, quique senescenti patri usque ad vitae exitum seduli praesto fuerunt, totam paternam haereditatem sibi capiunt, quin aliquid ex ea tribuant Caiae sorori, quae iam a multis annis nuptui tradita, congruam dotem acceperat. — Reclamat Caia et hodiernis legibus innixa exigit, ut patrimonium aequaliter inter se et fratres dividatur, et fratribus id praestare renuentibus minitatur, se ad iudicem recursum habituram, ut legalem partem integram sibi obtineat. Hinc fratres pecuniam a patre acceptam colligunt, et partem abscondunt, partem sub ficto nomine in mensa nummaria deponunt. Bertha haec suspicatur: nolens tamen se litibus implicare, aegro animo a petitione iudiciali desistit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Filii Titii, ut ex Casu apparet, *filiifamilias* seu *minores* non sunt; siquidem rei familiari assiduo labore et industria usque ad extremam patris senectutem operam navant, et patrimonium multum augent. Quare nulla esse potest difficultas ex hoc capite. Iam vero patrimonium Titii praesertim in numerata pecunia situm erat. Fructus huius pecuniae ordinarii, seu legale interesse, quamvis ea pecunia a filiis Titii admini-

stretur ad ipsum Titium, et ad eius patrimonium pertinet. Ratio est, quia ordinaria huiusmodi pecuniae administratio nullum filiis Titii dominium tribuit in hos fructus, sed ad summum ius tantum ad ordinarium quoddam praemium, seu ordinariam quandam compensationem laboris. Quare non est dubium, quod, cum pater Titius mortuus sit ab intestato, patrimonium Titii cum huiusmodi fructibus aeque dividendus sit inter Caiam sororem et duos eius fratres. Verum dos Caiae in haereditatem conferenda est. Quare, si eius pars acceptam dotem aequet nihil ipsi a fratribus debetur. Si vero eius pars acceptam dotem superet, excessum illi debent fratres.

Verum praeter praedictos patrimonii Titii fructus, alii profecto sunt fructus extraordinarii ex assiduo labore et industria duorum filiorum Titii usque ad extremam huius senectutem. Hi fructus non proveniunt ex ipso patrimonio, sed ex propria et extraordinaria industria et labore duorum filiorum Titii. Quare ad ipsos exclusive pertinent, neque ad eos soror ius ullum habet; siquidem res fructificat domino suo. Hinc, si pecunia, quam abscondunt, et quam sub ficto nomine in mensa nummaria deponunt, non alia est quam quae assiduo labore et extraordinaria industria acquisita ab ipsis est, inquietandi non sunt. Nihil enim debent sorori.

197. — DE LEGATIS

1°. Maria N. vidua B., in suo testamento, a sacerdote quodam scripto, ab ipsa correcto, et a notario transcripto, plura constituit legata. Inter ceteros legatarios reperta est quaedam *Clementina B.*, cui centum reliquit scutata, conditione adiecta, ut, si testatrici praemoreretur, ea scutata impenderentur in tot missas, quot celebrari possent in suffragium testatricis. Mortua testatrice, apertoque testamento nulla reperta est persona in familia B., quae *Clementina* appellaretur, nec unquam extitit. Reperiebatur tamen in ea familia vir nomine *Clemens*, qui consequenter legatum ad se pertinere contendebat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Cum factum certum sit, quod in familia *B.* nulla sit et fuerit mulier nomine *Clementinae;* non est dubium, quod legatum spectet ad *Clementem*. Evidenter enim error irrepsit in testamenti transcriptione; error autem nominis personae ipsi personae non officit, si cum alia confundi non possit, ut in casu. Hinc in L. 4. Cod. *de Testam.* dicitur: « Si in nomine vel praenomine, seu cognomine, testator erraverit, nec tamen, de quo senserit, incertum sit; error huiusmodi nihil officit veritati ». Item in Instit. tit. *de Legat.* § 29.: « Si quis in nomine, cognomine, praenomine, agnomine legatarii testator erraverit, si de persona constat, nihilominus valet legatum, idemque in haeredibus servatur et recte. Nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur nihil interest ». Idem habetur ex C. I. 836.: « Si persona haeredis vel legatarii fuit erronee indicata, dispositio suum habet effectum, quum ex contextu testamenti vel ex aliis documentis, vel ex factis constantibus resultet quaenam sit persona, quam testator vo-

luerit nominare. Idem habet locum, quando res legata fuit erronee indicata, vel descripta, sed certum sit de quanam re voluerit testator disponere ». Cf. Acta S. Sed. V. 5. p. 26. 27., G. 832., I. M. 1039.

2°. « Ioseph parochus, *Prioris* titulo nuncupatus, quod sequitur legatum hisce verbis reliquit: — Legato relinquo meo successori Priori totam meam Bibliothecam. — Haec autem aliud non erat nisi operum collectio, qualis studiosum ac doctum animarum curatorem decet. Iosepho in parochia seu prioratu proxime successit Petrus, qui proinde librorum possessionem adeptus est: cumque decem post annos ad aliam parochiam translatus fuisset, eam librorum copiam secum asportavit; ac morte repentina postmodum correptus in manu haeredum suorum reliquit, quin priores, qui subsecuti sunt, ullam de hac re querelam admoverent. At haeredes anxii ac solliciti, an illud legatum Petro uti privatae personae, an vero Priori uti Priori ac successoribus eius ex testatoris mente competeret, rem exposuerunt, opportunam declarationem expostulantes ».

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Quoad propositi casus resolutionem « perpendebatur, in Iure legatum pro rectore scriptum, tum reputandum esse huic tantum, non Ecclesiae et huiusce Rectori, ac successoribus relictum, cum peculiares circumstantiae id ipsum ex adiunctis coniecturis certe suadere videantur, iuxta expressum textum in Cap. 15. *Requisisti de Test.;* speciatim vero afferebatur auctoritas Amostazii de Caus. piis l. 4. de caus. piis in spec. C. 7. a n. 50., qui textum memoratum interpretatus, similem quaestionem agitat resolvitque per haec verba: *Sed distinctione resolvenda est quaestio, quam adducit Pontifex in Cap.* Requisisti de Test.; *et si Episcopo aut Rectori adsit aliqua coniectura, unde perpendamus, quod contemplatione personae relictum fuerit legatum, utpote si consanguineus fuerit testatoris, valde amicus, vel benemeritus, tunc legatum non ad Ecclesiam, sed ad Rectorem pertinebit: si vero nulla adsit causa id existimandi ad Ecclesiam spectabit: ratio est; nam licet relinquatur Episcopo seu Rectori, intelligitur tanquam administratoribus illius, non vero ut personis.* Iam vero nulla satis probabilis ab haeredibus ratio proferebatur, qua Petro uti personae privatae Iosephus eos libros reliquisse dici posset. Itaque dubium propositum fuit: An et quomodo haeredes Prioris Petri retinere in sua proprietate possint bibliothecam, de qua in casu? vel potius haec ad Priorem pro tempore pertineat? Emi Patres 17. Februarii 1854. rescripserunt: *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam* ». — Bizzarri Collect. Ed. 1885. pag. 627. seq., Laymann l. 3. tr. 4. C. 2. n. 1.

3°. « Mercorus promiserat centum aureos Publio, in testamento legandos. Sed repentino morbo correptus, et iamiam moriturus, ad se filium suum Andream accersit, et ait: Volo, ut centum aureos Publio tribuas. His dictis, intestatus decedit.

Quaer. *An Andreas legatum Publio solvere debeat? — Et an Publius, illo renuente, se compensare possit?*

R. Andreas haeres *probabiliter* non tenetur legatum patris adimplere, saltem *per se,* quia modus ille disponendi non est legi conformis, non enim valet *probabiliter* legatum, nisi in valido testamento constituatur. Excipe, nisi filius patri promiserit, se eius voluntatem adimpleturum esse, quia tunc interveniret, contractus implicitus, quo filius susciperet obligationem de iure naturali legatum adimplendi. Etenim pater in promissione filii fidens ab alia via tuta legatum transmittendi abstinet. Dixi *probabiliter,* quia de hoc acriter controvertitur, ante iudicis sententiam. Duplex igitur est sententia *probabilis.* Alii enim obligationem de iure naturali voluntatem morientis exequendi urgent; alii vero legis dispositionem opponunt ». Ita P. Gury 852. 857. 858., qui omittit deinde dicere de compensatione Publii. Verum praedictum legatum ex positivo etiam iure, naturalem admittente obligationem, verius videtur *validum,* licet *rescissioni obnoxium.* Quare usque dum iudicis sententia non rescindatur, non videtur cur Publius *sese compensare* non possit; si Andreas renuat legatum solvere, neque vero iudicis invocet sententiam. *Sese compensare* eo nempe modo, qui superioribus Casibus dictus est n. 190. 195. et qui admittitur ab ipso P. Gury 831., retinendo nempe ea, quae ad ipsum legatum pertinent, si forte habeat, minime vero retinendo ea quae ad Mercorum pertinent, si habeat, vel eum sua pecunia vel suis rebus spoliando. Non desunt tamen, qui simpliciter in hoc casu, ut in praecedentibus casibus, compensationem admittunt, quamvis non nisi ut probabilem habeant validitatem testamenti et legati. « Tertio, ait Lugo D. 16. n. 94., qui ex testamento minus solemni legatum debet habere, cum sit opinio probabilis deberi in foro conscientiae ea legata, licet contraria opinio sit satis communis et probabilis, potest tamen legatum detinere, vel de novo accipere, aut occulte sibi compensare, ut fatetur Granado, Molina et Lessius, qui addit haeredem ab intestato posse etiam uti compensatione occulta contra eum, qui bona defuncti possidet, ex testamento minus solemni, quia contraria etiam sententia probabilis est, cui se potest conformare ». Cf. I. M. 936. 1011. 1029. 1477. 1478., Lugo D. 16. n. 94., S. Alph. l. 3. n. 521.

198. — DE LEGATIS PIIS

1°. Ob testamentum, legalibus conditionibus destitutum, haereditatem cepit *ab intestato* Francisca post legitimam iudicis sententiam. Inter alias dispositiones testator 1,000. libellas destinabat suo confessario, ut 100. missas pro eius anima celebraret. Hinc Francisca quaerit: An 1°. teneatur curare, ut illae missae celebrentur; 2°. An debeat praescriptam eleemosynam missarum tradere confessario testatoris, ut ab illo missae celebrentur, vel eam alteri sacerdoti tradere possit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. Affirmative; nam est verissime dispositio ad piam causam: quae suum *semper* retinet valorem, si *certo* constet de voluntate

testatoris. Atqui de ea certo constat etiam *per testamentum legalibus conditionibus destitutum;* dummodo tamen constet, testamentum vere confectum a testatore, et non esse simulatum, nec mutatum. Ergo. Confirmatur ex communi auctoritate thth., qui docent, quod licet testamentum principaliter factum ad non pia validum non sit, valida tamen sunt legata pia in eo relicta. Neque vero officit prolata iam iudicis sententia; nam in dispositionibus ad pias causas standum est iuri canonico non civili. Cf. Molina de Inst. et Iure Disp. 134. n. 2. 6. 7., Lugo de Iust. et Iure Disp. 22. S. 9. n. 267. 272. 273., Layman l. 3. tr. 4. C. 2. n. 1.-5., Schmalz. de Testam. n. 45. 46., Roncaglia Tr. 14. q. 14. c. 2. q. 2., G. 859.-865., Lucid. de Visit. Ed. 3ª. V. 2. p. 426. 427., D'Annib. Summ. Ed. 3ª. V. 2. n. 339.

R. Ad 2um. debere illam eleemosynam tradere praefato testatoris confessario. Videtur enim tota illa summa destinata intuitu *confessarii;* cum minor sufficeret ad eas missas celebrandas; neque celebrantis personam constituere opus esset. Dispositio ergo est ad causam piam non solum quoad missas celebrandas, sed etiam quoad ipsum celebrantem, cui testator voluit favere. Ea igitur omnino servanda est, et quidem ex stricta iustitia. Quando enim electio imponitur, non in gratiam communitatis et propter bonum commune, sed in gratiam eligendi, iste ex testatoris voluntate acquirit strictum iustitiae ius ad rem sibi relictam. Et sic, si testator legatum expresse relinqueret pro pauperibus loci, pro pauperibus consanguineis, pro virginibus; et daretur exteris, extraneis, coniugatis, restitutioni locus esset. Lugo D. 24. n. 284.

2°. Pia mulier morti proxima testamentum condens haec edixit: « Instituo haeredem filiam meam Agnetem cum obligatione celebrare faciendi singulis sabbatis Sacrificium in altari Deiparae Virgini dicato, et huiusmodi Sacrificium, si poterit, celebrabit presbyter B. pueri praeceptor. Itidem pro anima mea desidero, ut celebretur singulis sabbatis coram Deiparae Virginis imagine, quod si poterit celebrabit presbyter A. praeceptor mei nepotis ». Agnes sedulo satisfecit; verum, Agnete mortua, eius filii et haeredes ab Apostolica Sede postularunt: 1°. *An missarum legatum sit vere obligatorium? — 2°. An, in casu affirmativo, tale legatum cessaverit morte Agnetis?*

S. C. C. 4. Aug. 1864. censuit: *Legatum esse obligatorium et perpetuum.* Enimvero in interpretatione legatorum attendi debet maxime, an testator voluerit gravare *particulares personas,* quas vocavit haeredes, vel *haereditatem,* ad quam assequendam personas nominavit. Si 1um. legatum est temporaneum, et cum personis vocatis expirat. Si 2um. legatum perpetuum est. Hisce autem consideratis, si anceps adhuc sit mens testatoris, quae magis attendi debet, et locutio, iudicium dari solet in favorem piae causae, seu favor piae causae vincit haeredis libertatem, et ideo legatum censetur perpetuum. Acta S. Sed. V. 1. p. 272., Scav. Ed. 12ª. Mediol. 1874. l. 2. n. 541.

3°. « Cleoniphas haeredem suum universalem Amedaeum instituit, *cum onere ut* 600. francos fabricae Ecclesiae retribueret. Sed ecce! morte repentina corripitur Amedaeus; paulo post moritur et ipse testator, quin testamentum aliud confecerit. Haereditatem adit Paschasius, *ab intestato*

succedens. Ab eo parochus legatum pium in Ecclesiae favorem requirit. Sed illud solvere renuit Paschasius.

Quaer. *An Paschasius ad legatum Ecclesiae solvendum teneatur?*

R. Paschasius ad nihil prorsus tenetur. Etenim nulla obligatio ei imposita est, siquidem *ab intestato* succedit. Quare igitur pia intentio defuncti ipsi adimplenda imponeretur, cum ab ipso nequidem fuerit haeres constitutus? » G. 851.

199. — LEGATA PIA RETARDATA

Serapio executor testamentarius Hilarionis retardare vellet venditionem mobilium bonorum eiusdem Hilarionis, ut ea posset, opportuna occasione, maiori vendere pretio, et sic plures posset eleemosynas distribuere. Verum dubius est, an ex hac retardatione detrimentum potius Hilarionis anima patiatur, quam utilitatem percipiat.

Quaer. 1°. *Utrum mortuus aliquod detrimentum sentiat, ex hoc quod eleemosynae, quas mandavit dari, retardantur?* — 2°. *Utrum executor debeat tardare distributionem eleemosynarum, ad hoc quod res defuncti melius vendantur?*

R. Ad 1^um^. « Dicendum, quod hic est opus duplici distinctione. Primo quidem ex parte ipsius detrimenti. Distinguendum est enim duplex detrimentum. Nam quoddam detrimentum est, quod pertinet ad tolerantiam poenae, secundum illud, quod habetur 1. Cor. 3., 15. *Si cuius opus arserit detrimentum patietur.* Aliud autem, quod pertinet ad subtractionem remedii. Secundo etiam distinguendum est ex parte eleemosynae, circa quam potest considerari etiam meritum ipsius eleemosynae, nullum detrimentum patitur defunctus ex praedicta tarditate, maxime, si quantum in ipso fuit, curam adhibuit, ut huiusmodi eleemosynae cito darentur, quia meritum principaliter ex voluntate et intentione dependet; sed quantum ad effectum eleemosynae patitur detrimentum, non quidem, ut pro huiusmodi tarditate puniatur; sed quia remedium ei non adhibetur, dum suffragia differuntur, ex quibus plurimum iuvaretur ». S.-Th. Quodlibet 6. a. 13.

Ad 2^um^. « Dicendum: In mora modici temporis non videtur esse magnum periculum; unde, si executor per modicum tempus eleemosynam dare differat, ut, rebus defuncti melius venditis, ampliores eleemosynas dare possit, laudabiliter hoc facit. Si vero e converso per multum tempus differat eleemosynas distribuere, ut non multo ampliores eleemosynas faciat, non videtur esse absque culpa: quia forte defunctus a purgatorio liberaretur, in quo existenti remedium suffragiorum maxime necessarium erat. Hoc autem requirit prudentis executoris examen; ut scilicet, consideratis dilatione temporis et conditione personae, quae creditur citius vel tardius liberanda, et etiam quantitate augmenti eleemosynarum, faciat quod videbitur expedire defuncto ». S. Th. Quodl. 6. a. 14.

200. — DE COMMUTATIONE PII LEGATI

Armandus reliquit pingue legatum 500,000. libellarum pro eleemosynis singulis diebus distribuendis inter pauperes loci suae nativitatis. Cum ibidem pauci sint pauperes, et nullae sint religiosae Communitates, Armandi filius et haeres ab Ordinario petit, ut velit legatum hoc commutare, ita ut pecunia impendatur in fundatione monasterii monialium, quae loci infirmis praebeant assistentiam, et in publica schola puellas gratuito doceant et christiane instruant.

Quaer. 1°. *An liceat legata pia extinguere vel moderari, et cuinam id liceat?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. 1°. Legata pia generatim, alia sunt personalia, alia realia, alia mixta. *Personalia* sunt, quae defunctus, nullo praedio designato, ab haeredibus praestari iussit. *Realia,* quae imposuit praedio *taxative,* h. e. quod testator *solum* legatis praestandis obligavit. *Mixta,* quae praedio imposuit *demonstrative,* h. e. quod testator *prae ceteris* legatis praestandis obligavit. — *Personalia* obligant haeredem pro viribus haereditatis, quamvis postea bona haereditaria distraxerit. *Realia* adhaerent praedio, et cum eo transeunt ad tertium et quartum etc. possessorem. *Mixta* obligant haeredes quasi *personalia,* tertium rei possessorem quasi *realia.* — Porro *Personalia* extinguuntur, rebus omnibus haereditariis, sine haeredum culpa, interemptis. *Realia* extinguuntur, interemptis praediis, quibus adhaerebant. *Mixta,* praedio interempto, supersunt, quoad haereditas par erit solvendo. Cf. Bened. XIV. de Syn. l. 13. C. 25. n. 31.

2°. Licet pia legata moderari: 1°. *iusta* eorum, qui ea reliquerint, voluntatis *commutatione.* Id, ut plures arbitrantur, licet Ordinariis, tamquam Sedis Apostolicae delegatis. Verum in Italia et ubi viget Tribunal Fabr. S. Petri, episcopi hoc iure uti non solent. Trid. S. 22. C. 6. de R., S. Alph. l. 3. n. 931., De Luca ad Trid. Disc. 21. n. 2. 2°. *Interpretatione,* e. g., si consanguinei fundatoris, vel beneficiatus, aut capellanus egestate laborent. In praesenti tamen Ordinariis vetitum est reducere « onera ulla missarum, aut *post* Conc. (Trid.) imposita, aut in limine fundationis; nisi in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat episcopo iniunctum onus reducere » Urb. VII., Innoc. XII. Decr. *Nuper* 21. Iun. 1625., 23. Dec. 1697., La Croix l. 6. P. 2. n. 63., Bened. XIV. de Syn. l. 5. C. 10. n. 2. Verum cum hoc Decretum deroget et legi praeexistenti, C. 12. *de Constit.,* et iuribus episcoporum, ad reductiones missarum, easque perpetuas limitandum est. Quare adhuc integrum est episcopis cetera legata moderari, e. g. eleemosynarum, dotium, etc. et legata missarum ad breve tempus. S. Alph. l. 3. n. 381., l. 6. n. 331. d. 3., La Croix l. 4. n. 855. 3°. *Iustitia id exigente,* quoties reditus praediorum non amplius sufficiunt oneribus satisfaciendis, vel quia reditus imminuti sunt; vel quia aucta sunt stipendia, si stipendium taxatum fuerit. Si enim nullum stipendium taxavit fundator, consuetum pro tempore ac loco voluisse intelligitur. Reductionem in hoc 3°. casu alii putant, fieri posse tantum auctoritate S. Pontificis, nempe quoad re-

licta in ipso limine fundationis, vel post Conc. Trid.; alii dicunt fieri posse etiam auctoritate propria, nemo enim potest cogi sine ulla vel iusta mercede celebrare; alii inquiunt oportere rem expediri arbitrio Ordinarii, quasi boni viri. La Croix l. 4. n. 855., Lugo de Sacram. l. 5. C. 12. q. 9. n. 97. 98., S. Alph. l. 6. n. 331. d. 2., I. M. 1067. 1068. Acta S. Sed. V. 3. p. 374. seqq.

3°. Quoties autem moderationi legatorum locus est, sic moderari debent, ut minimum, quod fieri potest, detrimentum exinde capiat is, qui ea reliquit. Quocirca primum delenda sunt reliqua pia opera, integro relicto missarum numero; S. C. C. ap. Fagnan. in C. *Ex parte* n. 34.; nisi aut mens testatoris aliud suadeat, aut haec onera aliis praediis cohaereant. Bened. XIV. de Syn. l. 13. C. 25. n. 23. Quando autem omnino necesse est coercere missarum numerum, si aliae cum cantu celebrandae sint, aliae sine cantu, ab illis incipiendum est. S. C. C. ap. Bened. XIV. l. c. n. 34. Demum reductio computari debet ad eleemosynam missae manualis iuxta taxam dioecesanam. S. C. C. 3. Febr. 1725. Quod, si reditus subinde augeantur, augeri, sive redintegrari, servata proportione, quoque debet missarum numerus. Instr. S. C. C. ap. Bened. XIV. l. c.

Ad 2^{um}. Videtur, quod episcopus possit praedictum legatum, legitima saltem epicheia, testatoris voluntatem interpretando, commutare. Nam primo pingue testator reliquit legatum, et pauperes illius loci pauci sunt. Quare, si relictae eleemosynae inter illos distribuerentur, minima sane utilitate erogaretur tam ingens pecuniae summa. Praeterea propositum opus longe melius est, et magis prospicit bono communi illius loci. Insuper pauperes non omnino frustrantur relicto legato; nam eo fruuntur pauperum filiae, et pauperes infirmi. Agens S. Alph. l. 3. n. 931. d. 2. de causis, ob quas episcopus ultimas voluntates commutare valeat ait: « Tertio causa est, si legatum est factum ad usum non ita necessarium; tunc enim poterit episcopus commutare in alium pium usum magis eidem Ecclesiae necessarium; imo etiam ad alium usum fructuosum, si causa sit gravissima, et ita praesumatur mens testatoris ». I. M. 1068.

201. — DE COMMODATO

Fuscianus commodavit Rutilio tapetes, seu picturas textiles, ad domus cubicula exornanda, candelabra argentea, vasa aurea, aliamque pretiosam supellectilem, occasione nuptialis convivii et festi. Eo finito, noctu ex causa omnino ignota, tota domus incenditur, et omnia pereunt. Vix Rutilius aliique ex familia tempus habuere ad propriam vitam salvandam.

Quaer. *An Rutilius teneatur de damno rerum sibi commodatarum?*

R. Negative. Nam ex una parte res perit domino suo: ex altera vero parte, cum incendii causa *omnino ignota* sit, nullo modo constare potest sive de culpa theologica, sive de culpa etiam iuridica; adeoque de damno teneri non potest. Idemque dicendum esset, si commodatae res furto fuissent ablatae, nulla interveniente Fusciani culpa.

Verum quid? si *dubium de negligentia* haberetur? Neque in hoc casu dubii Rutilius obligari posset ad compensanda damna, quia tunc

obligatio, si qua est, dubia consequenter et incerta est. Sed obligari quis non potest ad certam damnorum compensationem ob merum dubium de damno illato.

Quid vero, si adfuisset quidem negligentia, sed non theologice culpabilis, uti non raro in huiusmodi incendiis evenire solet. Videretur tunc Rutilius teneri ad damnorum compensationem, in casu. Ita quidem ex Iure civili et in foro exteriori; ac idem in foro interiori dicendum videtur, ob implicitum saltem contractum de diligentia adhibenda, immo etiam de non ordinaria tantum et communi diligentia adhibenda; cum agatur de commodato in gratiam tantum commodatarii, et de rebus valde pretiosis, ac in notabili quantitate. Interveniente vero iudicis sententia, non est dubium, quod Rutilius in hac eadem hypothesi ad damna compensanda teneatur. — I. M. 1070. seqq., G. 869. seqq. 877.

202. — DE DEPOSITO

1°. Pibertus mercator, sub expressa secreti accepta promissione, manifestavit amico suo Gedonio intentionem, quam ipse habebat declarandi cessionem bonorum suis creditoribus. Volens tamen subtrahere 500,000. libellas, rogavit eundem Gedonium, ut eam pecuniae summam depositam apud se secreto ipse custodiret, eique restitueret postquam compositio cum creditoribus facta esset. Deinde addidit praedictam pecuniam partim esse argenteos et aureos nummos, partim titulos publici Debiti inter quos, ait, reperiuntur 100,000. libellae, titulis russiacis, quos nuperrime accepi a Domino Russo Photio Telletoff, in tota civitate omnibus bene noto.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Gedonius nullo pacto acceptare potuit praedictum secretum. Ac quamvis acceptaverit, nullo modo tenetur ad illud servandum. Agitur enim de re illicita, de re aliis graviter nociva, de detrimento afferendo ab ipso committente secretum, de secreto adhibito ad praedictum damnum opere perficiendum. — I. M. 1542. 1543.

Insuper Gedonius praedictum depositum nullo pacto potest acceptare. Secus enim evadit iniustus et efficax damnificator, cooperando creditorum damno, et ad restitutionem tenetur. — Si vero depositum iam acceptavit, et facta iam sit bonorum cessio, illud Piberto restituere non potest, sed Piberti creditoribus restituendum est, adeoque ut haec restitutio rite fiat, huiusmodi creditores monendi sunt, vel potius legitima monenda est auctoritas, ne in hac restitutione, uti facile contingere potest, alii alios laedant. — Si iterum depositum iam acceptavit; sed nondum facta sit bonorum cessio, Pibertum monere debet de eius iniustitia, ut ab ipsa omnino abstineat. Quod si Pibertus omnino sit determinatus ad cessionem bonorum faciendam; creditores monendi sunt, ut sibi careant, vel melius, opportuno tempore, praemonenda est legitima auctoritas, et acceptum depositum, vel creditoribus, vel certe, practice loquendo, legitimae auctoritati consignandum est, ut inter creditores restituatur. Si vero certo constet, uti videtur, titulos illos russiacos in individuo datos esse a Domino Russo Telletoff, eidem restituendi sunt. Sed debitae cautelae adhibendae sunt in hac restitutione, si fiat sine in-

terventu legitimae auctoritatis, ne inde ipsi Gedonio damna obveniant. I. M. 1075. 1076. 1423. — Gennari Consult. etc. P. 1. Cons. 48.

2°. Canutus, cuiusdam principis thesaurarius, pecuniis sibi creditis, inscio domino, in suum commodum negotiatur, in foro argentario, et lucrum sat notabile sibi facit. Die quadam, cum cistula, pecunia domini referta, ipsi tradita fuisset, loco eam reponendi statim in arca pecuniae, quae in eadem principis domo asservabatur, in domum suam eam asportavit, ut posset etiam cum illa negotiari, uti de more faciebat. Verum post paucos dies cistulam lustrans, et pecuniam numerans advertit mille libellas ex ea fuisse subductas.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Canutus in casu non videtur posse excusari a peccato et a gravi peccato ex usu quem facit pecuniae sui domini. Princeps enim est certe invitus, et rationabiliter invitus, et non est dubium, quod si princeps cognosceret infidelitatem sui thesaurarii, eum statim expelleret. Canutus, negotiando pecunia domini sui, eam profecto exponit magno periculo; siquidem res per se valde periculosa est praedicta pecuniae negotiatio in foro argentario, seu *bursa,* ut ipsa constat quotidiana experientia.

Nihilominus cum res hactenus bene successerit Canuto, lucrum sat notabile, quod percepit ex ea negotiatione, sibi retinere potest; quia fructus suae industriae. Supponitur autem, ut apparet ex casu, quod illa pecunia esset in arca recondenda et ibidem otiosa permanere deberet; ita ut ex illa pecunia, adhibita ad negotiationem, nullum sequatur principis cessans lucrum.

Mille autem libellas ex cistula subductas restituere tenetur Canutus. Nam pecuniam asportans in suam domum, ut ea pecunia posset negotiari, eiusdem periculum in se suscepit. — I. M. 1075. seqq. G. 882.-884., Ithur. Cas. 2. n. 12. 13.

3°. Durandus deponit apud Martinum, publicum nummularium, summam aureae pecuniae numeratae, 50,000. libellarum. Deponit item Durandus apud eundem Martinum 50,000. libellas 50. schedulis Debiti publici. Scriptum conficitur a nummulario traditi depositi, nempe *aureae pecuniae 50,000. libellarum, et 50,000. libellarum Debiti publici;* quin indicentur numeri ordinis praedictarum schedularum. Perfecto ita deposito, post quinque menses, una ex illis schedulis praemium obtinet. Post annum vero transactum, Durandus repetit a Martino depositam pecuniam simul cum legali interesse, et obtento praemio. Martinus nonnisi 50,000. libellas aurea pecunia, et 50,000. libellas 50. schedulis eiusdem Debiti publici restituit.

Quaer. *An Martinus iuste egerit?*

R. Affirmative. Etenim primo depositarius non tenetur solvere interesse aliquod depositae pecuniae, nisi a die qua constituatur in mora.

Ita C. I. 1852. Quare sufficit omnino quod Martinus restituat acceptam pecuniam, ea qua accepta fuit specie, sive creverit, sive decreverit, neque ullum pro ea debet ipse interesse. Insuper cum schedulae Debiti publici depositae fuerint tantum quoad speciem, numerum et valorem, et in deposito ratio habita non sit numeri ordinis earundem schedularum, illae schedulae transierunt eo ipso in dominium nummularii, ita ut, si furto ablatae fuissent, vel incendio combustae, alias certo ipse pro illis substituere debuisset. Praemium ergo illius schedulae non ad Durandum, sed ad Martinum spectat, ad quem ipsa schedula pertinet. Scav. l. 2. num. 458.

203. — DE MUTUO

1°. Ascanius pecuniam dat mutuam cum interesse octo, novem, decem pro centum, prout nempe mutuatarii minus vel magis opibus et industria floreant.

2°. Gaspar pecuniam dat mutuam, praevia exigens conventione, pro interesse, decem pro centum. Ait enim, legem permittere etiam interesse conventionale, praeter legale; et illud libero contrahentium consensu definiendum relinquere.

3°. Ernestus pecuniam dat mutuam, exigens constanter pro interesse decem pro centum; quia ait haec est loci praxis fere communiter a viris etiam honestis servata.

4°. Iovianus, occasionem habens lucrandi ex negotiatione viginti pro centum, ingentem pecuniae summam petit a Iovino, sponte huic offerens decem pro centum, ut facilius illam obtineat. Acceptat Iovinus inquiens: scienti et volenti non fit iniuria.

5°. Cornelius inculpabiliter omnino amisit ingentem pecuniae summam, mutuo acceptam. Hinc neque capitale restituere, neque legale interesse, ex conventione debitum, solvere vult; inquiens quoad capitale, quod res sine ulla sua theologica culpa, periit illius domino, quoad interesse vero, quod cum res nullos attulerit fructus, nihil ipse debet capitalis domino: res enim fructificat domino suo.

Quaer. *Quid ad Casus?*

R. 1°. Ascanius illicite et iniuste agit. Ex eo enim, quod mutuatarius magis vel minus opibus et industria floreat, cum res haec sit omnino mutuatarii, et non nisi ab ipso dependeat, titulum mutuanti non praebet maius auctarium percipiendi. Hinc Bened. XIV. Litt. Enc. *Vix pervenit,* ait: « Neque vero *ad labem usurae* purgandam, ullum accersiri subsidium poterit, vel ex eo quod id lucrum non excedens et nimium, sed moderatum; non magnum sed exiguum sit; vel ex eo quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas ampliandas, vel novis coëmendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus ». Quare Ascanius ad restitutionem tenetur. Bened. XIV. ib.

2°. Gaspar titulo merae conventionis peractae exigere non potest decem pro centum, interesse duplo excedens interesse legale. Ratio est,

quia utique lex permittit interesse conventionale, quod excedat interesse legale, sed illa conventio, ut possit vim habere, debet esse aliunde honesta et iusta. Talis profecto non erit, quando illius excessus non alius esset titulus, nisi ipsa facta conventio, ut in casu; nam tunc conventio illa sine iusto titulo reapse esset, adeoque iniusta. Licita e contra esset conventio maioris auctarii solvendi, si revera mutuans extraordinarium pateretur detrimentum, cuius compensationem legitime exigere potest. Quare Gaspar, nullum patiens speciale damnum, et nihilominus pacto exigens maius auctarium, ad restitutionem tenetur. I. M. 1109., Scav. l. 2. n. 443. 569.

3°. Inquietandus non videtur Ernestus, si revera illa sit loci consuetudo. Taxa enim legalis determinari potest lege scripta, et consuetudine. Ut lege scripta, taxam constituens, definit compensationem communiter faciendam, attentis communibus conditionibus damni emergentis, lucri cessantis, periculi sortis, communis boni, facili negotiatione et commercio, promovendi, ita etiam hoc ipsum definire et determinare potest communis praxis et consuetudo. Enchir. Moral. n. 853., I. M. 1095. 1103. 1109., G. 893. seqq.

4°. Si Iovinus illud exigeret maius interesse pro maiori Ioviani lucro in sua negotiatione, illicite et iniuste omnino ageret, et ad restitutionem teneretur, ut dictum est in 1°. casu. Verum cum Iovianus ipse sponte omnino, nec requisitus maius illud offerat auctarium, non apparet cur acceptari non possit. Adest enim revera in casu libera et plena mutuatarii donatio. G. 905., Scav. l. 2. n. 571., Kenrick.

5°. Cornelius omnino tenetur ad restitutionem capitalis, et ad solvendum legale interesse, iuxta factam conventionem, ut supponitur. Nam pecunia mutuata vi mutui transiit in eius dominium, et non permansit in dominio mutuantis. Hinc consequenter res ipsi periit, et ipsi etiam cessavit omne emolumentum occasione pecuniae mutuatae, et sua personali industria percipiendum. Hinc integra manet, vi praevii contractus mutui, obligatio restituendi capitale, et, vi praeviae conventionis, obligatio solvendi legale interesse. G. 891. 892., I. M. 1080. 1095.

204. — MUTUATA PECUNIA

1°. Fridericus mutuo accepit centum aurea scutata restituenda eadem specie. Cum valor extrinsecus auri creverit, ita ut centum libellae aureae valeant centum viginti libellis pecuniae papyraceae, Fridericus vult quidem restituere mutuanti quaerenti centum aurea scutata, in eadem pecuniae specie, sed tantum octoginta, non centum.

Quaer. *An recte Fridericus agat?*

R. Affirmative. Etenim, seclusa speciali conventione, quando mutuo data est pecunia, satis est, ut idem valor extrinsecus restituatur, et quidem in eadem monetae specie, ut in casu, etsi moneta, quae tradita fuerit, interim creverit vel decreverit. Nam, ubi agatur de pecunia numerata, eius extrinsecus valor attenditur in ratione pecuniae, non intrinsecus eius valor in ratione auri vel argenti. Obiectum enim contractus in pecunia non est aurum et argentum, sed eius valor quatenus pecunia

est. — Excipe, nisi conventum fuerit, ut restitutio fieri debeat, in eadem specie et quantitate, si agatur de argentea et aurea pecunia, nempe ut tot numero nummi argentei vel aurei restituantur, quot mutuati fuerint, sive creverit sive decreverit eorum valor. — Quod si pecuniae, tempore restitutionis, fuerint vitiatae quoad valorem intrinsecum, vel nequeant inveniri, vel non sint amplius in commercio, tunc solvitur, quod respondet valori, quem ipsae obtinebant tempore, quo mutuatae fuerunt. I. M. 1082. 1084.

2°. Titius, cum nondum Gubernium papyraceae pecuniae coactivum usum praecepisset, mutuum dedit Sempronio centum aureos, sub conditione totidem in sua specie restituendi, excluso alio aere, et alio quocumque pecuniae repraesentativo. Quod mutuatarius promisit, iam nunc pro tunc renuntiando beneficio legis, si quid hac de re fuisset statutum. Quod si lex non admittat renuntiationem, mutuatarius se obligat ad compensandum omne damnum, vel auream solvendo pecuniam, vel super papyraceam addendo quantum tempore restitutionis requiritur, ut aureae iuxta differentiam aequiparentur. Porro lex 1. Maii 1866. prodiit, qua statuitur: *Schedulae nummariae nationales dabuntur et recipiuntur tanquam pecunia sonans iuxta earum nominalem valorem, in solvendo intra Statum... haud obstante quacumque contraria legis dispositione, seu conventionali pacto.*

Quaer. 1°. *An simplex conditio adiecta in chirographo de restitutione non aliter quam in sonante pecunia facienda, vim suam amittat etiam in foro conscientiae per subsequentem legem civilem illam irritantem?* — 2°. *Et quatenus* affirmative, An Sempronius hoc in casu, i. e. *propter speciales conditiones, ut supra stipulatas, tuto se possit etiam in foro interno conformare huic sibi perutili legi civili, quando haec, etiam his in adiunctis, in foro externo illi suffragasset?*

R. « Ad 1^um^. Regulariter affirmative, nisi peculiares obstent circumstantiae, super quibus recurrendum erit in casibus particularibus iisdem diligenter expositis. — Ad 2^um^. Attenta qualitate pactorum, nec non attento tenore legis, de qua in casu, negative ». S. Poenit. 21. Ian. 1873. Acta S. Sed. V. 7. p. 209. seqq.

205. DE FILIIFAMILIAS MUTUO

Augustus filiusfamilias, a viro hebraeo non semel pecuniam cum ingenti usura mutuam recepit, fide tamen eidem prius data, se aetatis privilegio nunquam usurum, et omnia redditurum post patris mortem. Praedictam pecuniam Augustus in ludis et liberiori vita expendit. Moritur interim Augusti pater, et Augustus ad bonam frugem reversus, et prudentior factus renuit quidquam Iudaeo restituere, privilegium in iudicio opponens aetatis, in qua mutuum acceperat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Augustus iure utitur suo; favore enim uti potest legis. Neque data fides opponi potest, secus praedicta lex in praxi frustranea omnino

esset, cum omnes talem exigerent promissionem. Lex haec consignata est in Iure Romano, lib. 14. Cod. tit. 6. de *Senatus Consulto Macedoniano:* « Placet, ne cui, qui filiofamilias mutuam pecuniam dedisset, etiam post mortem parentis eius, cuius in potestate fuisset, actio petitioque daretur ». Ubi notandum est, quod « quamvis verbis huius Senatusconsulti solum videatur tolli obligatio civilis..... tamen probabilius etiam tollitur obligatio naturalis; ita ut in foro conscientiae non teneatur unquam tale mutuum restituere, si velit hoc privilegio uti.... Idque statuit lex, tum in poenam eorum, qui talibus mutuarent, tum ut omnis occasio machinationis pravae contra parentes filiis praescinderetur. Unde etiam huic privilegio non potest filius renunciare, quia magis est in favorem parentum quam ipsius.... Adverte tamen esse multos casus, in quibus filius tenetur: 1°. Si habeat bona castrensia, vel quasi castrensia. 2°. Si publice putabatur sui iuris. 3°. Si accepit mutuo non pecuniam, sed rem aliam, ut triticum, vinum et similia; nam lex solum loquitur de mutuo pecuniario, nisi id fecerit in fraudem legis, ut inde conflaret pecuniam. 4°. Si pecunia versa sit in utilitatem patris. 5°. Si pater debuisset eam secundum rectam rationem suppeditare, ut si filius absens causa studiorum, accipiat mutuum necessarium, ut vivat, ut emat libros necessarios, ut solvat didactra.... 6°. Si filius iuravit se soluturum...., quia semper iuramentum, in alterius favorem factum, servandum est, quando absque peccato servari potest.... Potest tamen huius iuramenti peti relaxatio a praelato; quia in fraudem legis oppositum est, et alias lex facile redderetur inutilis, eaque obtenta, poterit non solvere ». Lessius l. 2. c. 20. D. 2.

Idem in casu constat ex Cod. Ital. 1307.: « Nemo praetendere potest restitutionem eius, quod solvit minori, interdicto, aut inhabilitato aut mulieri uxoratae vi obligationis, quae remanserit irritata, nisi probet, quod solutum versum fuerit in eorundem commodum ». Idem habetur Cod. Gall. 1312., Cod. Hisp. 1304., Cod. Austr. 152. Quare Augustus inquietandus non videtur; si beneficio utens legis, iudicis invocet sententiam, ut contracta obligatio rescindatur. I. M. 565. 953. 970. 1085., S. Alph. 757. Cf. G. 771. 772.

206. — DE UXORIS MUTUO

1°. Celina, mulier viro alligata, mutuam accepit pecuniam, hypothecam offerens super partem suae dotis, inscio prorsus marito, ad debita extinguenda liberiore vita contracta. Filii vero, utroque parente defuncto, a iudice sententiam obtinent, qua ab omni solutione eximantur.

2°. Sophia, bona habens paraphernalia, mutuam petiit pecuniam ad debita solvenda sibi et coniugi communia. Qua facta solutione, commercium potuerunt eius maritus et filii continuare in magnum totius familiae commodum.

3°. Generosa, virum habens, graviter infirmum et aere alieno pressum, sine consensu sui viri mutuam petiit pecuniam, ad eius debita solvenda, ut familiae decori consuleret. Verum eam non obtinuit, nisi speciali assumpta obligatione, et hac tantum conditione, ut ipsa eam restitueret, vel ex bonis ipsius mariti, si sufficerent, vel etiam ex suis, etiam

ex dotalibus, etiam post mariti mortem, si maritus ea decederet infirmitate, ut reapse contigit post paucos menses.

Quaer. *Quid ad Casus?*

R. 1°. Celinae filii legis beneficio legitime uti possunt, ne solvant; siquidem nullum commodum, sed vere damnum ex praedicto mutuo patiuntur. I. M. 953., G. 774.

2°. Neque Sophia, neque eius maritus, neque eius filii contractae obligationis rescissionem invocare possunt. Mutuum enim in eius commodum vere cessit. I. M. 678. 679. 953., G. 773.

3°. Generosa tenetur omnino pecuniam mutuo acceptam restituere. Ratio est, quia emolumentum ipsa ex mutuo vere percepit; et quia ad restitutionem speciali contractu se obligavit. I. M. 953., G. 775. — C. I. 134., C. G. 217., I. M. 677. 678. 679., G. 1009.

207. — HAEREDES USURARII

Moritur Marius usurarius, qui plures divitias acquisivit, illicitis et iniustis usuris. Haeredes succedunt, duo eius filii Marinus et Marianus, quorum alter consentit quidem restitutioni faciendae usurarum; sed pro rata parte haereditatis quam accepit; alter vero nihil vult restituere. An Marinus totum debet ipse solus restituere, Mariano restituere nolente?

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Tenentur quidem haeredes usurarii usuras restituere secundum vires haereditatis, si usurarius ipse non restituat. Ratio est, quia haeredes collective sumpti defunctum in eius acceptis bonis repraesentant. Verum tenenturne in solidum haeredes usurarii, et haeredes alterius cuiuslibet debitoris; ita ut, uno deficiente, alter totum debitum solvere debeat? Plures affirmant; quia singuli repraesentant personam testatoris, et succedunt in eius iura et onera. Plures etiam e contra satis probabiliter negant; quia singuli non nisi partialiter personam defuncti repraesentant; adeoque non nisi partialiter tenentur. Excipe vero: 1°. nisi omnes haeredes delicto defuncti cooperati fuerint. 2°. Nisi res ipsa usuraria, vel utcumque restituenda, penes unum extaret. Tunc enim haeres, qui eam habet, integram reddere debet domino suo. Regressum tamen habet in alios cohaeredes, ut aequam habeat compensationem, ne solus onera haereditatis sustineat. 3°. Nisi haereditatis bona fuerint hypothecata. Hypotheca enim non dividitur, sed est in qualibet parte boni hypothecati. Quare, confert creditori facultatem ius suum totum prosequendi ubicumque potest; et, consequenter, uno haerede deficiente, alter ad totum tenetur. Ius vero iterum iste habet ad aequam compensationem a cohaeredibus exigendi. Scav. l. 2. n. 437.

208. — DE MANDATO

1°. Ludovicus accipit ab Aloisio annulum, cum gemma pretiosa, vendendum 100. libellis. Invenit statim Diogenem, qui illum emit 130. libellis. Tam bona guaudens fortuna Ludovicus 100. libellas tradit Aloisio, 30. vero libellas sibi retinet.

Quaer. *An recte Ludovicus egerit?*

R. Si Aloisius convenerit cum Ludovico, ut annulum 100. venderet libellis ipsi tradendis, et, si quid ultra acciperet, sibi retineret, potest quidem Ludovicus 30. libellas sibi retinere. Seclusa tali conventione expressa vel tacita, totum pretium Ludovicus reddere debet Aloisio. Etenim tunc illum excessum retinere sibi non potest, ratione rei venditae, quae ad Aloisium pertinet, adeoque et eius pretium ad eundem Aloisium pertinet. Neque praedictum excessum retinere potest, ratione factae designationis pretii, quia illa designatio per se, secluso alio pacto retentionis augmenti, hanc tantum habet vim, nempe, ne res infra huiusmodi pretium vendatur, minime vero, ut non vendatur maiori pretio, si possibile sit. Neque vero retinere potest 3o. illas libellas, ratione industriae. Etenim primo, ut ex casu apparet nulla fuit in ea venditione specialis Ludovici industria. Insuper generatim augmentum pretii rei, pertinet per se ad ipsum pretium rei, quia res, quae valet 100., et venditur 100., potest valere etiam 110. 120. 130., et vendi hoc maiori pretio. Cum rei pretium praesertim aliquarum rerum indivisibile non sit, et ex pluribus circumstantiis ut imminui ita augeri potest.

Si Ludovicus cum Aloisio convenerit de aliqua mercede recipienda haec sane ipsi debetur, ea nempe quae pacto fuit determinata, et quae, ab arbitrio mandatarii amplius non pendet. Si vero nulla facta fuit conventio de mercede recipienda, tum censetur Ludovicus voluisse suum officium gratuito praestare. Ludovicus tamen pro re, tam utiliter gesta, aliquod meretur praemium. Ac, si non invenisset statim emptorem, sed debuisset notabile tempus adhibere, et extraordinarium laborem suscipere ad annulum vendendum, potuisset tunc, modo labori proportionato, se compensare. — I. M. 1112. seqq. 1170., G. 563. 887. 888.

2°. Maximinus iubet famulae Claudiae, ut necessarias merces emat apud Marcum. Cum Marcus res non nisi deteriores et cariori vendat pretio, Claudia merces emit apud alios obvios mercatores qualitate meliori et inferiori pretio. Aliquando vero ad res emendas, pretio adhuc magis tenui, pergit ad publicum mercatum, ubi potest etiam seligere quae meliora sunt. Claudia vellet sibi aliquid saltem retinere, et ideo confessarium interrogat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. 1°. Secluso speciali pacto inter Maximum et Marcum, Claudia Marcum praetermittens, et rem valde utilem gerens domini sui, nullum Marci ius violat, adeoque erga ipsum ad nihil tenetur.

2°. Pecuniam autem, quam lucratur, emens ab aliis mercatoribus domino suo reddere tenetur; etenim merces ipsa emit nomine heri sui, quare residua pecunia heri est. Insuper, ratione sui officii et stipendii, quod ipse accipit, tenetur domini sui utilitatem procurare. Neque vero specialis quaedam industria aut labor est in hoc, quod merces ipsa emat ab aliis obviis mercatoribus. Idemque dicendum est quoad lucrum perceptum, quando publicum adit mercatum, nisi propter loci distantiam,

et intempestam horam, qua illuc ire debet, specialis adsit eius labor et defatigatio; itemque specialis quaedam industria in contractibus perficiendis cum huiusmodi mercatoribus, qui res vendunt, maiori quantitate et minori pretio, in publico mercatu, quae industria, ut res bene succedat, omnium profecto non est: praesertim cum facile contingat, quod res deterioris sint qualitatis. Quare, si Claudia suo labore et industria merces emit in publico mercatu maiori quantitate, et meliori qualitate, et simul viliori pretio, ita ut Maximinus omnino contentus sit, si aliquid sibi ipsa retineat, vel emptarum maiori quantitate mercium, vel pretii imminuti, non videtur inquietanda. Ac, si aliquis adhuc remaneret scrupulus, si Maximinus videns merces emptas, et earum quantitatem, qualitatem, pretium considerans, omnino se contentum ostendit, iam ratam habet agendi rationem Claudiae. — I. M. 1170., G. 571. 572. 886.

209. — DE NEGOTIORUM GESTIONE

Remigius emit 50. libellis gemmam 200. libellis valentem, sciens furtivam esse, et ad Germanum pertinere, ut rem illi valde utilem et gratam peragat. Secus enim Germanus gemmam penitus amisisset. Verum Germanus gemmam quidem sibi vindicat, sed renuit solutum pretium Remigio refundere.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Germanus iniuste agit, nolens pretium refundere Remigio. Nam Remigius in casu vere utiliter eius negotium gerendum suscepit. Quare tum iure naturali, tum iure positivo, tenetur solutum pretium compensare. Cum autem Remigius strictum habeat ius ad compensationem, potest se ex eadem illa gemma compensare, eam sibi retinendo, vel vendendo, et pretii excessum Germano tribuendo. — I. M. 1118. 1119., G. 889. 890.

210. — RES VENDITA PERIENS

1°. Tullius emit a Marco domum pretio 60,000. libellarum, pacto tamen, ut domus non nisi post annum traderetur, expleto nempe tempore locationis iam aliis factae eiusdem domus; et tunc etiam traditio fieret pretii. Contractu perfecto, et publico etiam instrumento confecto, post aliquot menses domus tota fortuito incendio comburitur. Hinc, anno elapso, Tullius renuit stare contractui.

2°. Titirus ex copioso ovium grege, quem habebat, centum vendidit oves, tradendas emptori post autumnum, et tunc etiam pretium ipse acciperet. Verum fatali fulminis ictu grex periit totus. Emptor vero centum oves statuto tempore reclamat a Titiro.

Quaer. *Quid ad Casus?*

R. 1°. Tullius stare omnino debet contractui, et pretium solvere tenetur. Etenim de Iure Romano, quamvis, re non tradita, et pretio nondum soluto, venditor servet rei dominium, et emptor non acquirat

ius in re, sed tantum ius ad rem; si res tamen pereat ante traditionem, et illa fuerit certa et in individuo determinata, emptori perit; ad eum enim rei periculum non minus quam incrementum spectat. I. M. 1127. De iure vero recentiore, Ital. et Gall., venditionis contractu perfecto per consensum ex utraque parte praestitum, dominium rei ad emptorem pertinet, eique perit, vel fit deterior, sicut eidem crescit et fructificat. I. M. 1128.

2°. Si Titirus non habuisset nisi tantum centum oves, et eas in individuo vendidisset, tunc, ut in casu praecedenti, ita in praesenti emptor debuisset sustinere earum interitum, et pretium solvere. Verum cum Titirus copiosum ovium gregem haberet, et ex integro ovium grege vendidit tantum centum oves, venditio tunc fuit non rei certae et determinatae in individuo, sed indeterminatae. Atqui periculum rei in individuo indeterminatae ad venditorem spectat. Hinc, si ex integro grege centum oves superfuerint, eas Titirus, accepto pretio, emptori tradere debet. Si pauciores superfuerint, eas etiam pretio accepto, sed debita proportione imminuto, emptori debet tradere. Si tandem nulla superfuerit ovis, non tenetur quidem Titirus centum emere oves, et emptori tradere; non haec enim fuit facta conventio, sed mera fuit venditio centum ovium ex toto grege; qui cum periisset absque ulla culpa Titiri, traditio facta est impossibilis; adeoque neque earum pretium ab emptore solvendum est. I. M. 1127. 1128. — G. 908. 936.–938.

211. — RES BIS VENDITA

Albertus domum vendidit Bonaventurae. Deinde post paucas hebdomadas eandem vendidit domum Bonaveniae, qui venditionis et emptionis actum statim transcripsit. Post decem annos, mortuo Alberto, duo emptores cognoverunt eandem domum bis fuisse venditam, et quaerunt cuiusnam nunc domus sit.

Quaer. *Quid sit transcriptio?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. *Transcriptio* est exhibitio exemplaris actuum, ut scribantur in tabulis Officii hypothecarii loci, ubi bona, de quibus agitur sita sunt, vel ubi aperta fuit successio haereditaria. C. I. 955. 1938.

Ad 2^{um}. Domus Bonaveniae est. Etenim primo, qui bona fide aliquod immobile vel ius reale ad immobile acquisivit, post decem annos a transcriptione, illud praescribit et facit suum. C. I. 2137., I. M. 922. Insuper transcriptio vim obtinet etiam contra tertium, etsi hic anterior sit in acquisitione, si tamen contractum non transcripsit. C. I. 1942., I. M. 934. Bonaventurae igitur competit tantum actio personalis in Albertum; sed cum iam mortuus sit, ab eius haerede solutum pretium repetere poterit, nec non damnorum compensationem. C. I. 1225. seqq. 1462. 2076. 2094. 2097.

212. — ERROR IN VENDITIONE

« Basilius, parochus, pretio 5. fr. a simplici rustico emit veterem B. M. Virginis tabellam, diuturno fumo conglutinatam. Gaudet rusticus, qui etiam multo minori pretio imaginem hanc nunquam vendere potuerat. Festinat autem parochus eam quoquo modo mundatam, in parochiana Ecclesia collocare. Paucis vero interpositis diebus, ecce peritissimus pictor anglus, cum casu Ecclesiam fuisset ingressus, et imaginem intuitus, extemplo pro ea sex millia fr. offert. Agnovit enim *genuinum esse Raphaelis opus.* Mirari primum et obstupescere parochus! Attamen iudicat esse sedulius de pretio tabellae inquirendum, et tandem ab emptore obtinet 20. millia fr., sed mox anxius dubitare coepit, num totum lucrum rustico restituere debeat necne.

Quaer. *An parochus ad restitutionem teneatur erga rusticum?*

R. Basilius parochus minime inquietandus est. Etenim tabella haec adeo pretiosa non pluris ab utroque contrahente aestimabatur, quam pretio quinque francorum, nec fraus nec dolus in contractu intervenit ». Ita P. Gury. 925. Verum haec ratio non videtur convincens. Nam, ex eodem P. Gury 782., si quis lapidem adamantinum, quem cristallinum reputat, vili vendat pretio emptori, qui et ipse putat talem esse eius valorem, contractus non valet, et nihilominus etiam in isto casu *res adeo pretiosa non pluris ab utroque contrahente aestimatur, neque fraus, neque dolus in contractu intervenit.* Non valet quidem in isto annuli casu contractus ob errorem substantialem, qui tamen, ait P. Gury 925., in alio casu tabellae negatur; « quia error non est de rei substantia, bene vero de eiusdem pretio tantum ». Sed hoc verum non est; nam ideo fuit error, et tam gravis error *de pretio,* quia fuit error *de ipsa rei substantia.* Error de substantia rei non est error mere rei materialis, *in se consideratae,* sed error rei, *pretio aestimabilis.* Secus enim, neque in venditione illius lapidis cristallini fuisset error substantialis. Nam venditor bene videbat materialem illum lapidem , item emptor bene ipsum videbat, errabant ambo tantum quoad eius pretiositatem, seu aestimationem *in ratione pretii.* Si enim scivissent esse lapidem *pretiosum,* nempe *non vulgari pretio aestimandum,* cristallinum, vitreum, vel adamantinum, non refert, dominus illum profecto vili pretio non vendidisset. Similiter, in casu tabellae, rusticus et parochus bene vident materialem illam tabellam, sed errant quoad eius pretiositatem, seu aestimationem in ratione pretii. Quin imo, si vere illa tabella *Raphaelis opus est;* maior sane, in ipsa communi opinione, error existimatur, quoad *rei substantiam,* in casu tabellae, quam in casu lapidis ; cum illa longe maioris sit existimationis, ex communi opinione.

Neque vero praedicta venditio, uti valida haberi potest, in casu, ex alio capite, tanquam contractus *aleatorius,* quo uterque contrahens sortis periculo se committebat. Etenim, ut eruitur *ex ipsa admiratione et stupore parochi,* post compertam rei veritatem, et *ex ipsa eius anxietate,* nulla fuit rei suspicio, et tum rusticus existimabat, revera *communem* et *vilem* vendere tabellam; tum parochus arbitratus est, se *vulgarem* omnino emisse *tabellam, obscuri cuiusvis pictoris opus.*

P. Gury, duobus casibus sequentibus n. 928. 930., in quibus agitur de veteribus numismatibus pretiosis, et de vetere nummo aureo, quorum valor a venditore ignoratur, sed non ignoratur ab emptore, venditionem ait esse invalidam. Ac n. 928. dicit, esse discrimen quoad istum casum numismatum et casum praecedentem tabellae, quia, in casu hoc tabellae *contrahentes versantur pariter in errore circa rei valorem non vero in casu numismatum.* Verum quod contrahentes ambo versentur pariter in errore, hoc quidem non reddit validum contractum, si error sit substantialis, nisi contractus sit aleatorius. E contra error venditoris tantum non reddit invalidum contractum, nisi error sit substantialis. Quare, si contractus invalidus est, quando venditor tantum errat, invalidus permanet etiamsi cum ipso erret etiam emptor, nisi, communi consensu, sortis periculo se committant. Hinc, quando agitur de errore substantiali, verum non est hoc principium, quod iterum n. 930. affirmat P. Gury quoad alium nummi aurei veteris contractum, nempe, quod *valeat probabiliter venditio rerum extraordinarie pretiosarum pro minimo valore habita, si uterque contrahens verum rei pretium ignoret.* Sophisma est in hoc, quod non sit error *substantiae rei venditae,* sed error *eius pretii.* Enimvero, si, ex errore pretii, *pro minimo valore* venditur *res extraordinarie pretiosa,* iam error illius pretii evidenter per se ostendit et includit errorem circa ipsam substantiam rei venditae. Si enim non esset talis error, num quis REM EXTRAORDINARIE PRETIOSAM sciens volens venderet MINIMO PRETIO? I. M. 1142.

213. — DE IUSTO PRETIO

Florentinus mercator, brevi tempore, dives factus est; dum alii similes mercatores magnis laborant angustiis. Merces Florentinus emit optima qualitate, et magna quantitate. Eas vero vendit infimo pretio, modico contentus lucro, in singulis venditionibus; dum e contra alii omnes mercatores eas vendunt merces inferioris qualitatis et maiori pretio.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Florentinus iniustitiae reus minime est certe erga emptores. Neque reus iniustitiae est erga alios mercatores. Ipsi enim, si velint, eadem uti possunt industria. Deinde, ut potest Florentinus merces suas donare, ita etiam potest earum pretium imminuere. Quare Florentinus iure utitur suo. G. 968.

Verum quid? si Florentinus bonis mercibus alias deteriores immisceret, quin defectus appareat, vel optimas traderet merces, et infimo pretio; sed postea de pondere et mensura adeo detraheret, ut reapse eas pretio medio vel summo venderet. Iniuste quidem ageret; nam mendacio et fraude induceret ad emendum pretio maiori, quam conventum sit. Quare ad restitutionem teneretur. La-Croix 955., G. 940., I. M. 1148.

214. — VENDITIO SUB HASTA

Cum publicae venditioni, sub hasta, ecclesiastica bona a demanio exposita essent Amandus ad eorum licitationem concurrit, ut extraordinarium inde lucrum efficere possit. Verum Alexius praesens, ut praedi-

cta bona ipse possit acquirere Amando offert conspicuam pecuniae summam, ut a licitatione recedat. Acceptat pecuniam Amandus; et bona emit Alexius.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. 1°. Nullam Amandus incurrit censuram cum nihil emat, nihil occupet, nihil usurpet et nihil etiam cooperetur. Insuper, si qui ad licitationem de facto concurrit a censura immunis est, si ei bona non adiudicentur, S. Poenit. 15. Apr. 1873., multo magis, qui a licitatione se retrahit. Censuram vero Alexius incurrit, nisi debitam petierit veniam ab ecclesiastica auctoritate. I. M. V. 2. n. 1202.

2°. Acceptam pecuniam retinere potest Amandus. Illa enim Ecclesiae certe danda non est, siquidem non provenit ex bonis ipsis ecclesiasticis, seu ex eorum venditione, sed ex contractu alio inito, occasione tantum illus venditionis. Neque vero Ecclesiae danda est ex ipsius damnificatione; nam Amandus nihil huic damno cooperatur, cum efficaciter in emptionem nullatenus cooperetur. Unde est, quod solus Alexius emptor tenetur de damno Ecclesiae. Atque hic notandum est, quod si Alexius bona haec revendat et inde lucretur, hoc etiam lucrum restituere tenetur cum proveniat ex ipsis bonis, eorumque venditione, S. Poenit. 1. Iun. 1869.

3°. Verum, si Alexius veniam a S. Sede obtinuerit ea bona emendi, Amandus tunc tenetur Alexio pecuniam restituere. Alexius enim in tali casu dominum ipsum repraesentat, qui ius habet vindicandi sibi rem suam, quin ab alio extraneo possit impediri. M. E. V. 3. P. 1. p. 73.

215. — DE EVICTIONE

1°. Antoninus domum emit cum viridario pretio 100,000. libellarum. Domus aestimata est 80,000. libellis; viridarium aestimatum est 20,000. libellis. Post tres annos ab emptione peracta, evictionem viridarii patitur Antoninus. Verum, cum auctum pretium fuerit viridarii, ita ut valeat nunc 40,000. libellis hanc ipse exigit summam a venditore, qui nonnisi 20,000. libellas consentit solvere.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Antoninus ius habet, ut sibi res empta et evicta compensetur, iuxta aestimationem, quam eadem res habet tempore evictionis. C. I. 1489. Quare iure exigere potest pro viridario evicto 40,000. libellas. – Verum quid, in casu, quod Antoninus neque domum neque viridarium emere voluisset, si viridarii tantum evictionem praevidisset? tunc liberum ipsi esset contractum solvere, et uti actione redhibitoria, rem totam venditori restituendo, et solutum pretium ab eo exigendo. C. I. 1492., I. M. 1133.

2°. Bertulfus domum vendidit Cornelio pretio 20,000. libellarum. Multas Cornelius in ea restauranda expensas fecit. Restauratione expleta, litem sustinere debuit cum quodam Maglorio, a quo tandem, iudicis

sententia, evictus est. Reclamat Cornelius contra Bertulfum. Sed iste nihil vult Cornelio restituere inquiens, quod venditio absolute facta sit, et nulla, in contractu, facta fuerit mentio evictionis praestandae.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Cornelius ius habet, ut omnino indemnis a Bertulfo reddatur, etsi nulla facta fuerit mentio, in contractu, evictionis praestandae. C. I. 1482. Quin imo, licet conventum fuerit de re nullatenus assecuranda, si tamen fiat evictio, pretium restitui debet a venditore, nisi emptor tempore venditionis cognoverit evictionis periculum, et illud in se susceperit. Conventio de re non assecuranda eximit tantum venditorem a damnorum compensatione. C. I. 1484. 1485. Verum, cum in casu, nulla facta fuerit contraria conventio, tenetur Bertulfus restituere integrum pretium domus venditae, etsi eius valor imminutus fuisset, vel ipsa domus fuisset deteriorata, nisi ex ipsa deterioratione aliquid Cornelius percepisset. C. I. 1486.–1488. Sed ex casu apparet, quod potius auctus fuerit valor domus, in tali casu Bertulfus solvere debet etiam hunc excessum pretii venditionis, quamvis hoc augmentum pretii contigerit independenter ab omni facto emptoris. C. I. 1489. Item ex casu apparet, quod domus fuerit meliorata. Quare Bertulfus tenetur etiam compensare impensas factas necessarias et utiles ab emptore; immo etiam voluptuarias, si fuit ipse in mala fide. C. I. 1490. 1491. Insuper compensare debet Cornelio fructus omnes, si coactus fuerit Cornelius eos domino rei restituere. Compensare etiam debet sumptus omnes quos Cornelius debuit facere pro contractu emptionis, pro lite cum rei domino sustinenda, aliaque damna, quae forte Cornelius passus est. C. I. 1486. — I. M. 1131. 1133. 1137.

216. — DE DOMUS LOCATIONE

Longinus infirmae valetudinis, ex medicorum iussu, villam conduxit per annum Albani, ut ibi suam reficeret sanitatem. Verum Albanensis aer nocivus illi fuit, et post decem dies alio proficisci debuit. Hinc, anno transacto, noluit pactam solvere mercedem, illud etiam addens, quod locator, nisi ei locasset alium conductorem non invenisset, ut iam antea per plures annos non invenerat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Longinus ad mercedem solvere tenetur. L. *Sed addes* 19. *Locati Conducti* ff. dicitur: « Cum quidam exceptor operas suas locasset, deinde is qui eas conduxerat decessisset, Imperator Antoninus cum Divo Severo rescripsit ad libellum exceptoris in haec verba: *Cum per te non stetisse proponas, quo minus locatas operas Antonio Aquilae solveres, si eodem anno mercedes ab alio non accepisti, fidem contractus impleri aequum est* ». Et ib. L. *Qui operas* 38.: « Qui operas suas locavit totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quominus operas praestet. Advocati quoque, si per eos non steterit, quominus causam agant, honoraria reddere non debent ». Hinc apposite Lugo D. 29. n. 29.: « Quando res locata inutilis redditur ad usum condu-

ctoris, regula generalis est, quando casu fortuito perit aut aufertur ex potestate conductoris, sine culpa ipsius, vel locatoris, quia neuter id impedire potuit; locatorem ad nihil teneri, nisi ad remittendam pensionem pro rata temporis, quo rei usus impeditus fuit. Quod intelligitur, quando impedimentum se tenet ex parte ipsius rei locatae. Si enim teneret se ex parte ipsius conductoris, qui propter morbum, v. g., vel aliud suum impedimentum non potuit uti re locata, non ideo excusatur a solvenda pensione, ut si operarium conduxit ad laborandum, et postea, adveniente sibi impedimento non potuit illa die mittere operarios ad vineam colendam ». — I. M. 1204. 1206. 1208.

217. — DE LOCATIONE OPERAE

1°. Pompeius currum conduxerat, ut ipse et tota eius familia Roma Neapolim pergerent. Verum in media via unus ex equis arboris umbra perterritus, facto saltu, contra lateralem viae irruit murum, caput sibi fregit, et mortuus est; currus autem disruptus est; et non nisi miraculo B. V. Mariae, ab omnibus invocatae, incolumes omnes permanserunt. Quare Pompeius alium debuit conducere currum ad iter prosequendum cum sua familia, longe cariori pretio. Hinc nihil solvere volebat infelici aurigae. Auriga vero fracti currus pretium totius itineris reclamabat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Agitur in casu *de locatione operarum.* Genus enim operarum sunt vecturae. Operae autem sunt diurnum officium et ministerium, L. 1. *de Oper. Libert.*, L. ult. *de Proxen.*, ut puta procuratoris, administratoris, villici, proxenetae, etc. Locari sane potest et res et persona, eius nempe opera. — Porro, si *locator,* ille nempe, qui operam praestat, fortuito aliquo casu non potuit operam suam praestare, si casus iste contigit ex parte *conductoris,* eius nempe, cui opera praestatur, quia e. g. mortuus est, locator suam exigere potest mercedem, quia perinde est ac si conductor non potuerit, propter causam sibi propriam re locata uti. Et integra totius temporis et operae solvenda est merces, nisi medio tempore locator alteri elocasset. Lugo D. 29. n. 55. Si vero ille casus contigit ex parte *locatoris,* quia e. g. aegrotavit, vel quia alio migrare coactus fuit propter inimicitias, et totum diurnum officium praestare non potuerit, non nisi pro rata operae praestitae merces est debita, si modo opera pro parte praestita utilitatem conductori attulerit. Quod si ex neutrius latere impedimentum fuerit, sed publica auctoritate praestatio operarum, e. g., navigatio ex conventione instituenda, impedita sit, si quidem impedimentum illud intervenerit statim ab initio ante coeptam navigationem neuter alteri ex tali contractu obstrictus manet, nisi ad id ut impensas iam factas simul ferant. Hinc etiam, ex naufragio amissa navi, ante conventam navigationem, si conductor in antecessum mercedem solverit, eam potest repetere. L. *Ex Conducto* 15. §. 6. ff. Neque vero postmodum, cessante tali impedimento, ad operam locator tenetur, nisi nova interposita conventione, eo quod semel resoluta conventio nonnisi duorum voluntatem redintegrari potest. Si vero iam coepta opera fuerit, merces pro rata

operae parte debetur, si ea nempe utilis sit conductori. Voet l. 18. tit. 2. n. 27. — Hinc, cum iter emensum utile certe sit Pompeio, licet non nisi cariori pretio alium currum invenire possit, cum praeterea facto ipsius aurigae non contigerit quod non potuerit conventam vecturam perficere, videtur Pompeius teneri ad mercedem solvendam pro rata parte vecturae; praecisione facta a quavis alia speciali lege et locorum consuetudine, ut nempe integra merces solvatur. — I. M. 1204.–1206. 1209.

2°. Ascanius iter saepe instituit in via ferrea. Schedulam ipse accipit soluto pretio tertiae classis. Deinde vero, post factam schedularum inspectionem, ad sedes saepe transit secundae classis, non raro etiam primae classis. Simulatam etiam habet ipse Pagellam Architecti viarum ferrearum; et sic etiam aliquando gratuito omnino iter instituit. Ait enim: nullum fit Societati damnum; quia semper sunt in prima et secunda classe sedes vacuae.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Ascanius illicite et iniuste omnino agit, adeoque ad restitutionem tenetur. Non enim hic agitur proprie de damno; sed de contractu oneroso locationis sedium et operae praestandae ad iter necessariae. Quare, ut in quolibet alio contractu, illicite et iniuste agit, qui debitum non solvat pretium et ad restitutionem tenetur, ita in praesenti casu. — Idem dicendum est de illis, qui iisdem schedulis, chimica praeparatione lotis, vel alio medio ad pristinum statum restitutis, utuntur ad epistolas vel merces alio transmittendas. — Neque omnino verum est quod dicitur de damno; nam, si id liceret, et omnes id peragerent, ingens inde exoriretur damnum. Quare, si damnum in casu abest, per accidens est. Sed neque damnum omnino abest: habetur enim in omnibus istis casibus amissio semper cuiusdam lucri maioris vel minoris. Ac, si hoc profecto non licet inter privatos, neque licet inter privatos et corpus morale, Societatem viarum ferrearum, vel Gubernium. Iustitia enim commutativa eadem semper est, qualescumque sint personae, de quibus agatur. — I. M. 1203. 1206. 1208.

218. — DE LOCATIONE OPERIS

Rodulphus, uno pretio 500,000. libellarum se obligavit ad domum Fabritio construendam. Pretium, nonnisi opere completo et tradito, tradendum erat. Verum opere iam versus finem vergente, Rodulphus a Fabritio reclamat 600,000. libellas, quia, ait, post initam conventionem, operariorum mercedes auctae sunt, itemque creverunt pretia materialium. Opere vero iam perfecto, antequam a Rodulpho approbetur, fortuito incendio domus comburitur.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Agitur in casu *de locatione operis*. Licet locatio *operae* et locatio *operis* saepe confundantur, C. I. 1627., C. G. 1779., propriae tamen distinguuntur. *Opera* enim est officium, munus, ministerium pro-

prium personae, *opus* vero est quidquid, interveniente artificis opera, fiat seu quidquid aliquis faciendum suscipit, e. g. domum aedificare, tabulam depingere, vestem reficere. Quare duo sunt in *opere* consideranda, materies et artificium. In hac *operis locatione,* conductor mercedem accipit, locator dat; cum in rerum et operae locatione, conductor mercedem praestet, locator accipiat; quamvis et illud verum sit *conductorem operis* simul dici posse *locatorem operae,* in quantum artifex, qui aliquid faciendum conduxit, operam suam elocat, i. e. faciendi necessitatem. Voet l. 19. Tit. 2. n. 33.

Iam vero conductor opus conficere debet, nempe integrum, intra constitutum tempus, et pretio statuto, quod quemadmodum non imminuitur, si materiei et artificii pretia decreverint, ita etiam nec augetur, si rerum et operarum pretia creverint. C. I. 1640., C. G. 1793. Quare Rodulphus nihil amplius reclamare potest ultra pretium, de quo iam facta est conventio.

Praeterea illud notandum est, opus locari posse vel uno pretio, vel pretio in singulas mensuras constituto. C. I. 1638., C. G. 1791. In primo casu, opus non intelligitur traditum donec approbatum fuerit; in altero vero, donec fuerit admensum. Quare, opere ante id tempus pereunte, si conductor materiam et artificium praestitit, totum ipsi perit, quia res perit domino; secus vero materia perit locatori, artificium conductori; si nempe neutrius mora intervenerit. C. I. 1634.–1637. C. G. 1788.–1790. Mora interveniente, cum unicuique sua mora noceat, in priori casu, totum damnum erit vel conductoris vel locatoris, si vel ille tradendi, vel hic accipiendi moram fecerit; in posteriori casu, si conductor moram fecit materiae pretium locatori persolvere debet; si locator vero fuerit in mora artificii pretium conductori debet persolvere. C. I. 1635. 1637., C. G. 1788. 1790. — Iamvero cum aedificatio domus, in casu, uno pretio fuerit locata; ea vero tota perierit, casu fortuito, antequam fuisset tradita Fabritio, debet Rodulphus eius interitum sustinere.

Verum quid, si, opere iam incoepto, voluisset Fabritius, desistere ab aedificatione domus? Id sane efficere potuisset, refusis tamen Rodulpho impensis, et quanti praeterea eius interest, sive hoc damnum sit sive lucrum. Ratio est, quia ille qui est obligatus ad factum aliquod, liberatur, praestando id quod interest. C. I. 1641., C. G. 1794.

Quid item, si interim dum perficiatur opus Rodulphus moriatur. Locatio tunc solvitur, verum si coeptum opus, et quae ille, eius causa paraverat, utilia sint Fabritio, hic eorum pretium solvere debet. — I. M. 1205. 1206.

219. — DE OPERARIORUM SALARIO

1°. « In Encyclica *Rerum Novarum* dicitur: — Esto igitur, ut opifex, atque herus liberi in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant; subest tamen semper aliquid ex iustitia naturali, idque libera paciscentium voluntate maius et antiquius, scilicet *alendo opifici, frugi quidem et bene morato, haud imparem esse mercedem oportere.*

Dubium I. *Num verbis:* iustitia naturalis *intelligitur iustitia commutativa, an vero aequitas naturalis?*

Ad Dubium I. Per se loquendo, intelligitur iustitia commutativa.

Explanatio. — Equidem *opus operarii* plurimum differt *a mercimonio*, sicut *merces* differt *a pretio*. *Opus* enim *operarii* est opus, procedens a libertate humana, induens propterea rationem *meriti* et *iuris ad mercedem* seu *praemium*. Et ideo longe nobilius *mercimonio* et *pretio*, quae *sola permutatione* absolvuntur. Nihilominus, gratia perspicuitatis, *opus operarii consideratur*, ut quaedam *merx;* et *praemium* seu *merces*, ut quoddam *pretium*.

Nec immerito; nam licet *opus operarii* nobilius quid sit *merce*, totam tamen retinet rationem *mercis* ex qua parte haec dicit ordinem *ad pretium*. Rectissima erga est ratiocinatio S. Th. 1. 2. q. 114. a. 1.: — Id enim *merces* dicitur, quod alicui *recompensatur* pro *retributione* operis vel laboris, quasi quoddam *pretium* eius. Unde sicut reddere iustum *pretium* pro *re accepta* ab aliquo est actus iustitiae, ita etiam recompensare *mercedem operis vel laboris* est actus iustitiae. — Actus iustitiae inquam commutativae. Sicut enim *emptio* et *venditio*, ita *opus* et *merces* pro communi utilitate contrahentium sunt, dum scilicet unus indiget re vel opera alterius et e converso. Quod autem est pro communi utilitate, non debet esse magis in gravamen unius quam alterius, et ideo debet secundum *aequalitatem rei*, quae est proprietas iustitiae commutativae, inter dominum et operarium contractus iustitiae institui. Cf. 2. 2. q. 57. a. 1.

Quod si quaeratur criterium, quo statui debet illa aequalitas rei inter *opus manuale* operarii *et mercedem* dandam a domino, respondemus: Criterium illud in Encyclica dicitur petendum esse ex operarii fine immediato, qui imponit ei naturale officium seu necessitatem laborandi, ex victu nempe et vestitu ad convenienter vitam sustentandam, et ad quem primo et principaliter labor manualis ordinatur. 2. 2. q. 187. a. 3. Quoties igitur *opus* tale sit, quod operarius per ipsum satisfaciat praedicto suo officio naturali consequendi finem immediatum laboris sui, ac *merces* ad consequendum hunc finem, victum nempe ac vestitum convenientem, impar sit, per se loquendo, et considerata rerum natura, habetur obiectiva inaequalitas inter opus et mercedem, et ideo laesio iustitiae commutativae.

Duo tamen hac in re sunt generatim consideranda. Alterum est, quod sicut *pretium* rerum venalium non est punctualiter determinatum a lege naturae, sed magis in quadam communi aestimatione consistit, ita et de *mercede* generatim est dicendum. Unde firma manente exigentia ex ratione finis, victus nempe ac vestitus convenientis, *mercedi operarii* ex communi aestimatione fit, aut saltem fieri potest, salva iustitia, modica additio vel minutio, sicut in mercium pretio modica additio vel diminutio, ex publica aestimatione, non videtur tollere aequalitatem iustitiae. 2. 2. q. 77. a. 1. ad 1. Alterum est, quod in assignanda aequalitate iustitiae inter *mercedem* et *opus manuale*, non solum attenditur a communi aestimatione tum *qualitas* tum *quantitas* operis, sed etiam *tempus* durationis eius, item pretia rerum, quae emi ab operario debent ad convenientem victum et vestitum: quae pretia non sunt ubique eadem.

Quod si denique sine laesa iustitia erga operarium, iuxta dicta, multum iuvatur herus ex opere eius, potest hic quidem, propria sponte ac laudabiliter, aliquid operario supererogare, sed hoc pertinet ad eius honestatem, quin teneatur ex iustitia. Valent scilicet in re nostra principia, quae dantur pro iusta emptione et venditione. 2. 2. q. 77. a. 1. in c. a.

Dubium II. *An peccabit herus, qui solvit quidem mercedem opificis sustentationi sufficientem, sed imparem ipsius familiae alendae, sive haec constet uxore et numerosa prole, sive haec non ita numerosa sit? Si affirmative, contra quamnam virtutem?*

Ad Dub. II. Non peccabit contra iustitiam, poterit tamen quandoque peccare vel contra caritatem, vel contra naturalem honestatem.

Explanatio. — Ex hoc ipso, quod iuxta declarata in responsione ad primum dubium, aequalitas *mercedis* et *operis* observatur, plena satisfit exigentiis iustitiae commutativae. Opus autem est opus personale operarii, et non familiae ipsius, nec ad familiam ipsam refertur primo et per se, sed secundario et per accidens, quatenus mercedem acceptam operarius cum suis distribuit. Sicut ergo familia opus, in casu, non auget, ita ex iustitia non requirit ut merces debita operi ipsi augeatur.

Poterit tamen peccare contra caritatem, at non generatim et per se, sed per accidens, et in aliquibus casibus. Unde in responsione dictum est, *quandoque.*

Contra caritatem, non solum modis illis omnibus, quibus homo circa caritatem erga proximum peccare potest, sed peculiari etiam modo. Etenim opus operarii cedit in emolumentum heri. Quoties ergo hic ad exercenda caritatis officia in singulis casibus ex praecepto caritatis adigitur, ordinem etiam caritatis observare tenetur. Qui quidem ordo proximiores facit hero operarios, diurnum opus exercentes in eius utilitatem quam pauperes alios, nihil pro ipso agentes. Quocirca herus potens caritatis officia exercere operarios suos praeferre debet eis ex caritate elargiendo, quod iustitia minime exigit, ut merces sic aucta ex caritate sustentandae familiae etiam operarii minus insufficiens evadat. Haec autem generice, et quasi theorice sunt habenda; in praxi enim non temere iudicandum est, an herus peccet, vel non peccet contra caritatem.

Contra honestatem, cuius proprium est retribuere sponte scilicet, et non ex iustitia. Nolumus intelligere hic honestatem gratitudinem inducentem ex beneficio accepto; opus enim operarii non est beneficium, quia mercede secundum aequalitatem rei compensatur; sed quod herus ex opere operarii magnum beneficium et emolumentum percipit, et ideo ex quadam naturali honestate recompensare per supererogationem quodammodo tenetur, sicut in resp. ad 1. § *Quod si denique*, nullo tamen iure in operario ad illam superogationem existente, ut patet.

Dubium III. *An et qua ratione peccant heri, qui nulla vi, aut fraude utentes minus dant salarium, quam opera praestita meretur, ac honestae sustentationi sufficit, ideo quod plures operarii sese offerunt, qui parvo illo stipendio contenti sunt, seu in illud libere consentiunt?*

Ad Dub. III. Per se loquendo peccant contra iustitiam commutativam.

Explanatio. — Dictum est, quod *opus* operarii, quamvis *merx* proprie non sit, merci tamen, perspicuitatis gratia, comparari potest, quia in ordine ad mercedis aequalitatem habet totum id quod habet merx ad pretium, et aliquid etiam amplius. Unde recta instituitur argumentatio a minori ad maius. Atqui in emptione non licet, per se loquendo, emere rem minus quam ex communi aestimatione, spectata temporum ac locorum ratione, valet. Ergo a fortiori neque licitum est, sed est contra iustitiam, minus dare salarium quam praestita opera meretur, *i. e. honestae sustentationi sufficit.* De hoc Dubio videatur Encyclica p. 33, et 38.

Dixi *per se loquendo;* per accidens possunt dari casus particulares, in quibus heri conducere licite valent operarios inadaequata mercede contentos. Puta, si herus aut nullum, aut omnino suae vitae convenienter sustentandae insufficiens beneficium retraheret, si mercedem adaequatam largiretur, imo etiam damnum exinde caperet. Hoc enim in casu, ac in similibus, etsi quaestio sit prima facie de iustitia, revera tamen est quaestio magis de caritate, qua herus et sibi et aliis providet. Cf. Expl. ad I. Dub. § *Duo tamen* ». S. O. apud M. E. V. 7. P. 2. p. 155. 156.

2°. « Operarii cuiusdam civitatis, in officinis socii, v. g., sartores vel sutores, pactum inter se ineunt, ut ex eorum numero nullus laborem praestet, nisi loco 30. assium, in posterum 2. franci ipsis tribuantur. Domini autem, seu mandantes, vice sua, ad contumaciam operariorum confringendam, ex mutuo consensu e contrario salarium operariorum imminuendum esse statuunt.

Quaer. *An socii operarii, et eorum domini de iniusto monopolio damnandi sint?*

R. Iniuste egerunt operarii, si coegerint dominos ad sibi *supra summum pretium* retribuendum pro labore, quem isti pretio minore obtinuissent. Domini vero in hac hypothesi non iniuste egerunt, cum id fecerint tantum ad operarios iuste coercendos. Verum, si operarii a pravo consilio desistunt, domini etiam desistere debent. Si vero operarii convenerunt *de pretio supremo* quidem, sed iusto, a dominis requirendo, controvertitur ». G. 960. 961. Scilicet *iniuste* per se etiam Domini, in prima hypothesi egerunt, si *infra infimum pretium* salarium imminuendum statuerint. In altera vero hypothesi *controvertitur,* quoad operarios, prout quaestio haec controversa est inter dd. quoad mercatores, pactum inter se ineuntes, de mercibus vendendis *supremo pretio.* Verum in tali pacto *iniustitia* revera non habetur, quia pretium supremum sistit intra fines *iusti pretii.* Ac, si pretium iustum est, pactum de vendendis mercibus pretio iusto iniustum esse non potest. Huiusmodi tamen pactum contra caritatem est, notabile enim gravamen Dominis affert. L. 817., I. M. 1166.

3°. Ampla domus construenda erat pro tota familia nobilissimi Principis. Operarii omnes, ut obtinerent non tantum iustam mercedem, neque tantum summum pretium, sed ut mercedem exigere possent longe

etiam superiorem, inito pacto inter se, Principi declarant, se operam suam minime praestituros, nisi facta societate inter eos et ipsum, ut ipse nempe pecuniam poneret ad domum construendam, ipsi vero impenderent omnem operam, necessariam usque ad perfectionem aedificii, quod aestimatum dimidia parte cederet ipsis, dimidia parte Principi. Porro valor domus, cum perfecta erit, praevidetur futurus 3,600,000. libellarum; in eaque construenda fabri caementarii adhibendi, et lignarii, numero centum numerantur, et integra constructio triginta mensibus seu duobus annis cum dimidio erit duratura. Hinc, calculo facto, singuli operarii viginti libellas quotidie absolute exigunt, quidquid deinde eveniat, ita ut, in quavis hypothesi, neque plus deinde requirant, nec quidquam restituere cogantur.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Quod operarii velint societatem cum Domino inire, Domino societatis conditionem acceptante, nihil certe illiciti et iniusti est hac in re. Illud tamen notandum est, quod Dominus societatis contractum ab operariis impositum nullo iure acceptare tenetur. Quare, si acceptat, ex eius est mere libera et bona voluntate rem gratam operariis faciendi. Quod autem in praedicta societate conditio constituatur, quod Dominus contribuat pecuniam, operarii vero operam contribuant, ita ut totum opus perfectum cedat quoad integrum valorem 3,600,000. libellarum dimidia parte Domino, dimidia parte operariis, quae interim eis quotidie solvatur, constructione domus durante, iustitiae sane consonum non est. Si enim res bene consideretur in societate ita instituta, totum lucrum operariis cedit. Lucrum ad summum esset aeque dividendum inter operarios et Dominum.

Enimvero *in hanc societatem* Dominus confert *Capitale* 1,800,000. lib., quod est dimidium totius summae 3,600,000. lib., quod *Capitale* in dies operariis solvendum est; operarii vero in eam societatem conferunt *operam*. Lucrum ergo dividendum inter duos socios, Principem nempe, et centum operarios non est summa totalis *Capitalis* et *lucri* 3,600,000. lib. sed est tantum altera dimidia pars, nempe *lucrum* 1,800,000. lib.; siquidem, dissoluta societate, Capitale est Domino restituendum et lucrum dividendum. Quare operarii non possent exigere quotidie 20. libellas, ut anticipatam et partialem solutionem futuri lucri, pro rata quae ad ipsis spectat, sed tantum 10. libellas. Verum dum Princeps absolute confert quotidie 20. libellas pro unoquoque operario, operarius quotidie non confert nisi suam operam, quae tanti certe non valet, unde aequalitas in hoc societatis contractu etiam ex hoc capite nondum servatur. Insuper, dum operarii quotidie absolute percipiunt 20. libellas tanquam partem anticipatam lucri, lucrum hoc iam operariis est quotidie absolute assecuratum, dum e contra Princeps subit quotidie, durante constructione, et postquam iam domus constructa est, periculum amittendi *Capitale* et *lucrum*, si vento, si fulmine, si incendio, vel alia causa domus tota iam peracta, vel dum peragatur destruatur, vel etiam si saltem retardari debeant labores, si non praevisae difficultates occurrant, si tandem pretium constructae domus decrescat. Quare, ratione huius periculi *Capitalis* et *lucri* a Principe quotidie sustinendi, operarii concurrere etiam

debent ad illud sustinendum, remittendo nempe Principi dimidiam libellam, si contenti sint tantum decem libellis. Verum aliud est Principi onus subeundum, lucrum continue cessans ipsius Capitalis, quod iuxta usuale interesse, quotidie pro singulis operariis saltem dimidiae libellae est, si iterum contenti sint quotidie decem tantum libellis. Quare non nisi novem libellas percipere possent. Verum ad huiusmodi aedificium construendum et perficiendum non sufficiunt profecto centum fabri caementarii et lignarii, sed opus est etiam aliis operariis ferrariis, opus est pictoribus, opus est Architectis, opus est aliis Directoribus peritis, quoad singula, quae in construenda et perficienda domo passim occurrunt. Princeps igitur debet sustinere has alias ingentes expensas, quae, si alia saltem libella compensentur ab operariis, iam non nisi octo libellas recipere possunt. Sed iterum ad aedificium construendum non sufficiunt pecunia et personae, requiritur materia, petrae, ligna, ferrum, et alia huiusmodi. Cum operarii non nisi operam conferant Princeps sustinere debet totas materiae expensas, quae profecto sunt ab operariis compensandae et quae, cum materiae pretium vel superet vel certe saltem aequet in casu artificium, minus quam tribus vel quatuor libellis iuste compensari non possunt. Quare ex hoc etiam capite percipere nequeunt nisi quatuor vel quinque libellas quotidie. Verum sunt etiam instrumenta artis comparanda, sunt etiam instrumenta reparanda et reficienda, nisi ipsi operarii velint ipsimet has saltem expensas sustinere, eas etiam debent Principi compensare. Et sic tandem apparet, quod inita societate, non tantum ipsi plus non perciperent quam simplici operae locatione, verum minus. Postremo et illud notandum est, quod cum non omnes operarii impendant in construenda domo operam, aeque necessariam et utilem eiusdem aestimationis et pretii, neque iustitia servatur in illa aequali lucri distributione inter ipsos operarios. — I. M. 1221. 1223.

220. — DE COLONIIS PARTIARIIS

Isidorus, colonus partiarius, cum non possit ipse solus amplum fundum colere, eius dimidiam partem elocavit fratri suo, alteram dimidiam partem ipse colit, sed opera utitur famulorum, quibus diurnum solvit stipendium, quod sibi compensat, ex parte fructuum quam domino debet, propterea quod, ait, nulla facta est specialis conventio de quantitate fructuum domino debita. Semper autem ac siccitate vel grandine, vel alia simili calamitate fructus agri pereunt et imminuuntur, ipse sibi retinet reliquam partem pro continuo suo labore, et industria.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Si in locatione praediorum rusticorum certa et determinata pars fructuum conductori constituatur, v. g., quinque, decem frumenti modia, *operae locatio* habetur. Si vero certa illa et determinata pars fructuum constituatur locatori, tunc *simplex locatio* habetur, quae tamen specialibus etiam regitur legibus. C. I. 1614. seqq. Verum, si rustica praedia ea conventione locantur, ut fructus dividantur inter dominum et colonum, tunc *colonia* seu *colonia partiaria* habetur. L. 25. § 6. *Locati,* C. I. 1647. —

Coloniae communes sunt leges generatim constitutae pro rerum locatione, et in particulari pro praediis rusticis; sed pactis conventis, et specialioribus etiam regitur legibus et localibus consuetudinibus. C. I. 1647. 1654. Hinc, inter alia, colonus prohibetur ius suum alteri cedere vel praedia sublocare, secus ius habet dominus in possessionem rei locatae redeundi; et obligationem colonus habet damna resarciendi. C. I. 1649., C. G. 1763. Quare Isidorus recte non egit elocando dimidiam partem praediorum fratri suo, eam locationem rescindere tenetur, et damna reparare, si quae fuerint secuta. Si dominus in locationis contractu eam sublocandi facultatem non fecerit, est certe graviter invitus, et Isidorus in re gravi conventionem violat.

Non potest praeterea Isidorus se compensare quoad expensas, factas in famulorum opera locanda, ex fructibus domino debitis. Etenim in hac colonica locatione dominus fundum praestat, et omnem fere materiam, colonus praestare debet operas. Quare tenetur colonus ad fundum excolendum, et consequenter etiam tenetur ad omnia illa quae necessaria sunt ad culturam fundi, adeoque praestare debet instrumenta necessaria ad culturam fundi; et animalia necessaria agris sive colendis sive stercorandis, et stramenta necessaria eisdem hieme alendis. Sementem autem in communi praestant dominus et colonus. Ordinarias colonus facere debet plantationes, arbores putare, caedere, exportare. Ex silvis autem caeduis colonus nihil percipit, iis exceptis, quae ad usum fundi et ad usum proprium sunt necessaria. Colono etiam incumbunt ordinariae expensae faciendae pro ordinaria agrorum cultura, et fructuum collectione. Ad ipsum praeterea spectant ordinariae vecturae pro reparatione fundi et colonicae domus, et pro generibus vehendis in locatoris domum. Septa item tueri debet, sepes custodire, fossas purgare etiam iuxta viam publicam; et si quid a municipibus indictum fuerit itineribus communiendis, ipse sua opera praestare debet. C. I. 1655.–1661. Quare nihil Isidorus quoad has operas, omnino debitas, sibi compensare potest ex fructibus domino debitis. Quin imo neque stramenta, stercora, fundi causa parata vendere potest, neque potest aliis vecturas praestare. C. I. 1650.

Quod autem nulla facta fuerit fructuum debitorum conventio, Isidorum hoc non excusat. Etenim, conventione alia deficiente, ipso Iure fructus omnes inter dominum et colonum sunt aequaliter dividendi. C. I. 1661. Iniuste pariter agit Isidorus omne damnum ex siccitate, alioque simili casu refundendo in dominum. Huiusmodi damnum commune est. « Vis maior..... non debet conductori damnosa esse, si plus quam tolerabile est, laesi fuerint fructus; alioquin modicum damnum aequo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur. Apparet autem de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit: alioquin *partiarius colonus,* quasi societatis iure, *et damnum et lucrum cum domino fundi partitur* ». L. *Si merces* 25. § 6. *Locati* ff. Eadem est C. I. 1648. dispositio. — I. M. 1203. 1211.–1213.

221. — DE LOCATIONE ANIMALIUM

1°. Basilius centum locat oves Nicostrato, nullo determinato tempore, ut lucrum ex eis ambo retrahant, Nicostrato operam conferente, videlicet custodiam et alimenta, et curam ad lucrum ex eis captandum. Interim

plures ex infirmitate moriuntur oves; aliae plures, ne moriantur, a Nicostrato venduntur. Quare, post tres annos, Basilius locationem resolvit, et centum a Nicostrato exigit oves, cum parte lucri, nempe dimidium. Verum Nicostatus quidquam dare recusat, sed dimidiam tantum partem dare consentit ovium, quae remanent.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Animalium locatio, vel potius societas, dupliciter iniri potest, vel *agri alicuius colendi gratia,* vel *causa lucri ex eis captandi,* ut in casu. C. I. 1665. 1666., C. G. 1800. 1801. Huiusmodi societas particularibus regitur conventionibus, his deficientibus locorum consuetudine, et hac deficiente, regitur legibus. C. I. 1665. 1668., C. G. 1800. 1803. — Porro ex citt. Codd., Ital. et Gall., animalia aestimari debent initio ipsius societatis; aestimata autem in alterius socii ius transeunt, sed non transeunt in eius dominium, neque regulariter in eius transeunt periculum. C. I. 1670. 1686. 1688. 1695., C. G. 1805. 1820. 1822. 1830. — Proinde neque qui pecus praestat, seu *locator,* neque qui illud accipit, seu *conductor,* disponere potest de animalibus, sive ad ipsum capitale societatis pertineant, sive pertineant ad eius incrementum, altero invito. C. I. 1678. 1686. 1895., C. G. 1812. 1820. 1830. — Illa vero, quae casu pereunt, soli domino, videlicet locatori pereunt, ex C. I. 1672. 1673. 1675., Lig. 909. Verum ex C. G. 1807. 1808. 1810., si totus perit grex sine culpa conductoris, locatori perit; si vero pars tantum, utrique damnum commune est. — Societate finita, iterum aestimantur, et locatori tot animalia debentur, quot exaequent pretium animalium initio societatis collatorum. C. I. 1683. 1686. 1692. 1695., C. G. 1817. 1820. 1830. Verum demenda sunt illa animalia, quae soli locatori perierunt; et sic ea, quae supersunt, satis non sint, damnum ipsius erit. C. I. 1683. Sed ex C. G. 1817. ratio damni a duabus partibus habenda est, secundum illud, quod modo notatum est de tali damno.

Hinc patet Nicostratum illicite et iniuste egisse plures vendendo oves. Id efficere non debuisset, sine Basilii consensu. Quoad oves vero emortuas, si id casu fortuito, sine sua culpa contigerit, totum damnum, in casu, Basilii est. Si vero eius culpa intercessit, de damno Nicostratus tenetur. Diligentiam conductor adhibere tenetur boni patrisfamilias. C. I. 1671. 1672., C. G. 1806. 1807., Lig. 909.

Ad lucrum quod attinet, animalium societas ex causa lucri ex eis faciendi alia est *simplex,* alia *ex aequis portionibus.* Haec posterior illa est qua unusquisque contrahens pecus ex dimidia praestat parte, et unus ex eis praestat praeterea operam. Prior vero illa est qua alter pecus alter operam confert; et talis est Basilii et Nicostrati societas in casu. C. I. 1669. 1684., C. G. 1804. 1818. — Porro in utraque hac societate *simplici* et *ex aequis portionibus* pacisci nequit: 1°. ut conductor praestet fortuitum periculum sortis, i. e. totius sortis ex C. G. 1811.; ultra dimidium ex C. I. 1677.; immo neque infra dimidium, nisi debita praestetur conductori compensatio, vel assecuratio intercedat. Lig. 909., I. M. 1225. 1226. — 2°. Ut conductor plus de damno participet quam de lucro. C. I. 1677., C. G. 1811., Lig. 909., I. M. 1225. 1226. — 3°. Ut, finita societate, locator aliquid sibi praecipiat praeter animalia collata.

C. I. 1677., C. G. 1811., Lig. l. c., I. M. l. c. — Quaelibet similis conventio *est nulla*. C. I., C. G. aa. cc. — Si nulla facta fuerit specialis conventio, lac, stercus, et si quid operis animalia praestant, ad conductorem pertinent: pilus vero et quidquid animalibus accrescit, ut foetus et pretii incrementum, communia sunt locatori et conductori. C. I. 1668. 1669. 1676. 1686., C. G. 1803. 1804. 1811. 1820. Utraque societas triennio finitur; eaque expleta, si, citra conductoris culpam, minus supersit quam locator contulit, iactura locatoris erit, sin plus, lucrum commune utriusque pro rata erit. C. I. 1681. 1683. 1686., C. G. 1815. 1817. 1820.

Nicostratus ergo, si lucrum adfuit, eius dimidiam partem denegare non potest Basilio, eique tot capita separanda sunt quot collatorum pretium exaequent. Quod si animalia non sufficiant, pretium Nicostratus supplere tenetur ex ovibus, quas sine ullo iure vendidit, et ex lacte, stercore et labore animalium ab ipso perceptis, itemque ex alio percepto lucro, vel etiam ex aliis bonis propriis usque ad iustam illati damni compensationem. Neque ullo modo potest sibi retinere dimidiam animalium partem, cum societas fuerit *simplex,* non *ex aequis partibus*. — I. M. 1203.

2°. Ludovicus quam plures oves, boves, vaccas et equos tradit suo colono sequentibus conditionibus, ut nempe ipse habeat maiorem partem lactis et lanae, itemque maiorem lucri partem; colonus vero traditis animalibus utatur *pro cultura fundi.*

Quaer. 1°. *Quotuplex sit societas animalium agri alicuius colendi gratia?* — 2°. *Quid de conventione in Casu?*

R. Societas animalium, quae alicuius colendi agri gratia contrahitur, vel cum simplici agri *conductore* vel cum *colono partiario* contrahitur. — Illa quae initur cum conductore hoc sibi proprium habet, quod non transfert animalium dominium in conductorem, transfert vero periculum. Quare conductor tenetur de casu etiam fortuito totius gregis, *nisi aliud convenerit.* Verum e contra, *nisi contrarium adsit pactum,* omne lucrum conductoris est, excepto stercore, quod agris elocatis inservire debet. Finita autem societate locator praecipit animalia eiusdem valoris omnia quae contulerat; si quid deest, illud conductor supplere debet; si quid vero superest conductoris est. — C. I. 1687.–1692., C. G. 1821.–1826.

Societas vero, quae contrahitur cum colono partiario, iisdem regitur legibus ac societas *simplex,* de qua in superiori Casu. Conveniri tamen potest, ut locator dimidiam lactis partem percipiat; ut colonus lanae suae partem locatori minoris cedat; ut maiorem lucri partem percipiat. C. I. 1693.–1695., C. G. 1827.–1830.

Ludovici societas cum colono, societas cum colono partiario est, non cum simplici colono seu conductore. Porro Ludovicus potest quidem ex ipsa legis dispositione maiorem lucri partem percipere *pro cultura fundi ex traditis animalibus;* maiorem autem lanae partem adhuc percipere potest, facta tamen debita compensatione, siquidem convenire, ex lege, potest, ut colonus partem suae lanae minoris illi vendat. Maiorem lactis partem item percipere potest; si pariter sufficiens fiat compensatio, ita ut salva sit iustitia.

3°. Geraldus, centum tradit oves Tiburtio, earum facta aestimatione, et ea conventione, ut, finita societate, centum oves eiusdem valoris ei restituantur; et, durante societate, pro singulis ovibus unam quotannis solvat Tiburtius libellam; reliquum vero lucrum, sive maius sive minus, ipsius Tiburtii erit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Nihil iniusti adesse videtur in praecedenti contractu; nam revera est trinus contractus, seu contractus societatis, in quo habetur assecuratio sortis et assecuratio lucri. Neque vero una quotannis solvenda libella pro unaquaque ove nimia videtur; siquidem Tiburtius percipit lac, lanam, stercus, et omne augmentum. Quare sufficiens videtur ipsi facta compensatio pro onere imposito. I. M. 1226. 1239. 1240., Less. l. 2. C. 25. d. 3.

222. — DE LUDO

1°. Philippus chartis ludit cum Iosepho, in ludo peritissimo, licet cognoscat ipse suam imperitiam, neque eam ignoret Iosephus. Quotidie tamen ludit, et quotidie amittit nunc quatuor, quinque libellas; nunc novem, decem libellas.

2°. Ioannes, ludens chartis cum Iacobo, quinquaginta amisit libellas, quas solvit, ignorans civiles leges, quae nullam concedunt actionem. Hinc cogitat repetere a Iacobo quod solvit, et occulte se compensare, si Iacobus renuat solutum reddere.

Quaer. *Quid ad Casus?*

R. 1°. Neque Philippus solvere tenetur promissam in ludo pecuniam, neque Iosephus potest recipere. Ratio est, quia cum in casu unus nulli sit obnoxius damni periculo propter eius peritiam, et propter alterius imperitiam, deest quasi *res,* quae pretio in ludo emitur, nempe incerta spes lucri cum periculo damni ultro citroque. Neque valet dicere, quod Philippus prudens sciens ludat suam cognoscens imperitiam, quia adhuc deest *res,* quemadmodum etsi quis *vitrum* emat, illud cognoscens, sed illud emat ut *pretiosam gemmam, res* deest, et nulla est venditio. Verum, si Iosephus Philippum sufficienter praemonuisset, et nihilominus obstinate ille vellet ludere, restitutio urgenda in praxi non esset, quia nullus omnino esset dolus ex parte Iosephi, Philippus vero praemonitus, et adhuc ludens censetur sponte iuri suo renuntiare. I. M. 1247. 1250., G. 1028.

2°. Nequit Ioannes solutum repetere a Iacobo, neque consequenter potest se ullo modo compensare. Ratio est, quia quamvis ex ludis nulla a legibus detur actio, soluti tamen nulla conceditur repetitio. — Atque hinc patet, teneri per se quempiam solvere quod in ludo perdidit. Contractus enim neque naturali lege, neque ex ipsa positiva lege irritus est. — Verum quid si Ioannes sit filiusfamilias? In tali casu conceditur ipsi repetitio. — I. M. 1247. 1249. 1251., G. 1021. 1024.

223. — DE TRANSACTIONE

Azor litem habens cum Paulino circa proprietatem cuiusdam domus, quae iam in tribunalibus a pluribus annis magnis utriusque expensis agitabatur, mutuo tandem consensu constituunt a lite cessare, et ut Azor sibi superiorem domus partem retineat, Paulinus inferiorem. Hac privata facta transactione, Azor, vetera perlustrans suae familiae scripta, authenticum invenit contractum venditionis domus, quo constabat, Patrem Azorii domum emisse a Patre Paulini, et integrum pretium fuisse eidem solutum.

Quaer. *An Paulinus partem domus retinere possit?*

R. Negative. Etenim ex C. I. 1777. transactio *est nulla* quando ipsa respicit *unum tantum obiectum,* et novum documentum repertum probet alterutram partem nullum habere ius super idem obiectum. Ex C. G. 2057. huiusmodi transactio nulla quoque est. Enimvero rationabiliter non praesumitur, quod partes velint in transactionem consentire etiam in casu, quod certum et evidens adsit documentum et ius probans alterutrius. Transactio tunc non fundaretur vere super dubia re, sed super ignorantia, vel super errore circa rem omnino certam. I. M. 1283., G. 962.

224. — DE FURTO

1.° Ioannes Iacobus absque ullo scrupulo aliena surripit bona, inquiens, *Deum tantum esse Dominum rerum omnium,* et res alias *Deum propter hominem,* nempe *propter omnes homines* creasse. Quare nulla est proprietas, sed omnia sunt communia.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. 1°. Res exteriores dupliciter possunt considerari; uno modo quantum ad earum *naturam,* quae non subiacet humanae potestati, sed solum divinae, cui omnia ad nutum obediunt. Alio modo quantum ad *usum* ipsius rei; et sic habet homo naturale dominium exteriorum rerum, quia per rationem et voluntatem potest *uti* rebus exterioribus ad suam *utilitatem,* quasi *propter se factis.* Semper enim imperfectiora sunt propter perfectiora. Et sic patet, quod licet Deus sit rerum omnium Dominus, hoc tamen, dominium et proprietatem rerum in homine non excludit. Inde enim sequitur tantum, quod Deus solus dominium habeat exteriorum rerum quantum ad naturas ipsarum, quod solus Deus habeat principale dominium omnium rerum. Ipse vero Deus ordinavit secundum suam providentiam quasdam res ad corporalem hominis sustentationem; et propter hoc homo habet naturale rerum dominium quantum ad potestatem utendi eis. Hoc enim est dominium, et nihil aliud: *Ius vel facultas re propria utendi ad quemlibet usum lege permissum, idque in commodum proprium.* S. Th. 2. 2. q. 66. a. 1., I. M. 838. 866. 867.

2°. Quamvis vero res exteriores creatae sint *propter hominem;* inde tamen non sequitur, hominem etiam non habere dominium rerum; imo

sequitur contrarium. Si enim propter hominem sunt, haec bona hominis sunt, quamvis non sint *principaliter sua,* ut colligitur ex modo dictis. Insuper quamvis res exteriores creatae sint propter hominem, inde tamen non sequitur omnia esse possidenda communiter, et nihil esse quasi proprium possidendum; sed inde sequitur tantum possessionum distinctionem non esse naturaliter factam; sed iuri naturali fuisse naturaliter superadditam, ipsa natura rationali inclinante, et impellente ad eam divisionem et individualem appropriationem. *Primo* quidem, quia naturaliter magis sollicitus est unusquisque ad procurandum aliquid quod sibi soli competit, quam id quod est commune omnium vel multorum; quia quisque laborem fugiens aliis relinquit illud quod ad alios pertinet. *Secundo,* quia ordinatius res humanae tractantur, si singulis imminet propria cura alicuius rei procurandae. Esset autem confusio, si quilibet indistincte quaelibet procuraret. *Tertio,* quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur, dum unusquisque re sua contentus est. S. Th. 2. 2. q. 66. a. 2.

3°. Ioannes Iacobus ergo, communista, verus fur est, et ad restitutionem tenetur rerum omnium, quae surripuit. Restituere enim, quod iniuste ablatum est, de necessitate salutis est; cum de necessitate salutis sit conservare iustitiam, et restituere iniuste ablatum actus iustitiae commutativae sit. S. Th. 2. 2. q. 62, a. 1. 2.

2°. Gordiana, matrona ditissima, in Italia, iubet Veronicae ancillae ut lintea omnia domus Parisios mittat, ad ea accuratius abstergenda, mundanda atque reficienda. Simulat Veronica, se adamussim dominae obtemperare. Verum lintea tradit mundanda et reficienda suae sorori, quae tam accurate et exquisite omnia mundat et reficit quam Parisiis fieret. Hinc Veronica sibi servat excessum pecuniae, quam expendere debuisset.

Quaer. 1°. *Quaenam sit propria furti malitia?* – 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^{um}. « Dicendum quod ad rationem furti *tria* concurrunt; quorum *primum* convenit ei secundum quod *contrariatur iustitiae,* quae unicuique tribuit quod *suum* est, et ex hoc competit ei, quod usurpet *alienum. Secundum* vero pertinet ad rationem furti, prout distinguitur a peccatis, quae sunt *contra personam,* sicut ab homicidio et adulterio, et secundum hoc competit furto, quod sit circa *rem possessam;* si quis enim accipiat id quod est alterius, non quasi *possessio,* sed quasi *pars,* sicut si amputet membrum, vel sicut *persona coniuncta,* ut si auferat filiam, vel uxorem, non habet proprie rationem furti. *Tertia* differentia est, quae *complet rationem furti,* ut scilicet *occulte* usurpetur alienum, et secundum hoc proprie ratio furti est, ut sit *occulta* acceptio rei alienae.... *Occultatio* quandoque quidem est causa peccati, puta, cum quis utitur occultatione ad peccandum, sicut accidit in fraude et dolo: et hoc modo non diminuit, sed constituit speciem peccati; et ita est in furto. Alio modo occultatio est simplex circumstantia peccati, et sic diminuit peccatum, tum quia signum verecundiae est, tum quia tollit scandalum ». S. Th. 2. 2. q. 66. a. 3., I. M. 1289.

Ad 2^um^. Veronica rea est furti. Usurpat enim occulte rem alienam. Ille pecuniae excessus suus non est, sed dominae. A domina enim accipit pecuniam ad determinatum finem, non ad alium. Pecunia ergo ad hunc finem non adhibita, dominae propria remanet. Quomodo famula pecuniam ad hunc finem non adhibens contra apertam dominae voluntatem, eam facere posset *suam?* Quare excedens illa pecunia dominae est restituenda. — Quoad autem lintea Parisios mittenda, potest simpliciter Veronica dominae obtemperare, et lintea Parisios mittere. Non tamen tenetur obtemperare in re tam insana, praesertim cum ut apparet ex casu, domina omnino videtur contenta quoad illam linteorum munditiam et refectionem. Sed Veronica pecuniae tunc parcens, ipsi dominae parcit. G. 569. 570.

3°. Placidus famulus in regis domo furatur 40. libellas. Tempore paschali suum confitetur peccatum, et cum ostendisset ipse difficultatem pro restitutione, confessarius eum absolvit, quia, inquit, non desunt qui hanc assignant materiam gravem respectu regis, ut videre est apud Scav. Ed. 12^a^. Mediol. 1874., l. 2. n. 697. nota.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Placidus absolvi non potuit, sine obligatione restituendi ipsi imposita, cum aliunde nulla alia legitima causa excusaretur. Illa enim summa, levis non est, sed gravis, quatenus furti materia est. Respectu regis non adeo attendenda est materia relativa, quam materia absoluta; quum materia relativa ut communiter contingit quoad reges, ordinarios limites praetergrediatur. Secus enim possent fures apud reges furando facile ditescere, quin mortaliter peccarent, quod bono publico repugnat. Enimvero idem tunc fures possent quoad privatas personas, ditissimas; idemque efficere adhuc magis possent in publicis Administrationibus, immo etiam in privatis Societatum Commercialium Administrationibus. Neque vero illi opinioni ulla conciliari potest probabilitas ex auctoritate Scavini: nam doctus theologus eam quantitatem ut *nimis exorbitantem* habet. Cf. Commentarios Theologico-Morales, Commentar. Octav. de Materia gravi in furto.

225. — DE INIUSTITIAE REPARATIONE

Gervasius, supremus interioris ordinis Minister in regno, bene noscit ex eius debili et negligenti ratione agendi plura obvenisse damna privatis ob publicos latrones et viarum grassatores, itemque plura etiam obvenisse damna ipsi Societati et pluribus civilibus Communitatibus, propter iniquam rerum publicarum administrationem; et speciatim propter iniusta tributa, quibus particulares quaedam Communitates supergravabantur. Ipse tamen existimat, se revera ad ullam restitutionem non esse obligatum, quia, ait, conscientia mihi teste, ego neminem occidi, et nihil furatus sum, nihil iniuste a quopiam, vel etiam a Gubernio accepi.

Quaer. 1°. *Unde oriatur restitutionis obligatio?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1um. Cf. I. M. 1319. seqq. — Ad 2um. Gervasius propter gravem negligentiam in praeveniendo delicta, in puniendo crimina, invigilando et debitas praescribendo ordinationes observandas, causa profecto fuit, cur privati et Communitates gravia damna passi fuerint. Quapropter ad restitutionem certe tenetur. Reus enim est neglecti officii et violati contractus, quo se implicite ad damna subditorum praecavenda obligavit. Quoad damnum privatis illatum, ipsis privatis restituendum est. Quoad damnum illatum Communitatibus, restituendum est ipsis Communitatibus.

Reus autem est Gervasius, ratione iniustae cooperationis ad iniuriosam acceptionem. Ad restitutionem autem tenetur aliquis non solum ratione rei alienae, quam accepit, sed etiam ratione iniuriosae acceptionis. Et ideo quicumque est causa iniustae acceptionis, tenetur ad restitutionem. Gervasius autem illius causa fuit, tum *directe* iniqua et iniusta rerum publicarum administratione, tum indirecte illam non impediendo, cum posset et deberet. Et sic S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7. ait: Ad restitutionem « tenetur ille, qui non obstat, cum obstare teneatur; sicut Principes, qui tenentur custodire iustitiam in terra, si per eorum defectum latrones increscant, ad restitutionem tenentur, quia redditus, quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut iustitiam conservent in terra ».

Reus praeterea Gervasius est rapinae, quae malitiae furti malitiam addit violentiae et personalis iniuriae. S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. 9. Rapina quidem habetur coactione illata ad iniusta tributa, solvenda, aliasque iniustas leges executioni demandandas, e. g. ecclesiastica bona usurpanda etc. Apposite idem A. D. l. c. a. 8.: « Dicendum, quod rapina quamdam violentiam et coactionem importat, per quam contra iustitiam alicui aufertur quod suum est. In societate autem hominum nullus habet coactionem, nisi per publicam potestatem; et ideo quicumque per violentiam aliquid alteri aufert, si sit privata persona, non utens publica potestate, illicite agit, et rapinam committit, sicut patet in latronibus. Principibus vero potestas publica committitur ad hoc, quod sint iustitiae custodes; et ideo non licet eis violentia et coactione uti, nisi secundum iustitiae tenorem: et hoc vel contra hostes pugnando, vel contra cives, malefactores puniendo; et quod per talem violentiam aufertur, non habet rationem rapinae, cum non sit contra iustitiam. Si vero contra iustitiam, aliqui per publicam potestatem violenter abstulerint res aliorum illicite agunt, et rapinam committunt, et ad restitutionem tenentur... Si Principes a subditis exigant, quod *eis secundum iustitiam debetur propter bonum commune conservandum,* etiamsi violentia adhibeatur, non est rapina. Si vero aliquid Principes *indebite extorqueant per violentiam,* rapina est, sicut et latrocinium... Unde ad restitutionem tenentur, sicut et latrones; et tanto gravius peccant quam latrones, quanto periculosius et communius contra publicam iustitiam agunt, cuius custodes sunt positi ». — I. M. 1320. 1323.

226. — DE RESTITUTIONE EX INIUSTA ACCEPTIONE

Caietanus, presbyteri famulus, furatur a domino suo centum libellas, inclusas in quadam schedula, super qua scriptum erat: *eleemosyna 5o. missarum, quae mense Novembri et Decembri debent pro defuncto Domino Eligio celebrari.* Caietanus praedictam summam absconderat in secreto quodam loco. Eam deinde requirens non amplius invenit.

Quaer. 1°. *An sit restitutio facienda ex iniusta acceptione?* — 2°. *An Caietanus debeat centum libellas domino restituere, vel sufficiat, ut celebrare faciat ab aliquo sacerdote, praedictis mensibus, 5o. missas, data eleemosyna 100. libellarum?*

R. Ad 1^um^. Affirmative. « *Ipsa acceptio rei alienae* potest tripliciter se habere; quandoque enim est *iniuriosa,* scilicet contra voluntatem existens eius, qui est rei dominus, ut patet in furto et rapina; *et tunc tenetur ad restitutionem,* non solum ratione rei, sed etiam *ratione iniuriosae actionis, etiamsi res apud ipsum non remaneat.* Sicut enim, qui percutit aliquem, tenetur recompensare iniuriam passo, quamvis apud ipsum nihil maneat: ita etiam qui furatur, vel rapit, tenetur ad recompensationem damni illati, *etiamsi nihil inde habeat;* et ulterius pro iniuria illata debet puniri. — Alio modo aliquis accipit rem alterius in utilitatem suam, absque iniuria, cum voluntate scilicet eius cuius est res, sicut patet in mutuis; et tunc ille, qui accepit, tenetur ad restitutionem eius quod accepit, non solum ratione rei, sed etiam *ratione acceptionis, etiamsi rem amiserit;* tenetur enim *recompensare ei qui gratiam fecit;* quod non fiet, si per hoc damnum incurrat. — Tertio modo aliquis accipit rem alterius absque iniuria, non pro sua utilitate, sicut patet in depositis, et ideo ille qui sic accepit, in nullo tenetur *ratione acceptionis:* quin imo accipiendo impendit obsequium: tenetur autem ratione rei. Et propter hoc, *si ei subtrahatur* res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem; secus autem esset, si cum magna sua culpa rem depositam amitteret ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6., I. M. 1327.

Ad 2^um^. Ex dictis in responsione ad 1^um^. patet Caietanum teneri omnino ad restitutionem, quamvis centum libellas subreptas amplius non habeat, sed eas amiserit, vel alius subripuerit. « Et ideo, pergit A. D. l. c. ad 1^um^., quamvis ille qui abstulit, *non habeat id quod accepit;* sed in alium sit translatum, quia tamen alter privatur re sua, tenetur ei ad restitutionem, *et ille qui rem abstulit ratione iniuriosae actionis et ille qui rem habet ratione ipsius rei* ». Non sufficit autem, quod ipse faciat celebrare praefatas missas, sed praedictum missarum stipendium suo domino debet restituere; secus enim non haberetur *restitutio.* « Per *restitutionem* fit reductio ad aequalitatem commutativae iustitiae, quae consistit in rerum adaequatione. Huiusmodi autem rerum adaequatio fieri non posset, nisi ei, qui minus habet quam quod suum est, suppleretur quod deest. Et ad hanc suppletionem faciendam necesse est, ut ei fiat restitutio a quo acceptum est ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5.

227. — DE RESTITUTIONE EX RE ALIENA

« Hesperus, habens Elisam filiam nubilem, quam impotens est dotare furtive surripuit ab Heraclito mille libellas, quibus potuit facile ipsam matrimonio copulare cum Genserico. Post aliquot annos a matrimonio Gensericus cognoscit dotem sibi ab uxore delatam totam fuisse ablatam Heraclito per furta ».

Quaer. 1°. *An restitutio semper facienda sit ex re aliena? — Quid agendum in Casu?*

R. Ad 1um. Affirmative. « *Ratione rei* tenetur eam restituere, *quamdiu eam apud se* habet; quia quod habet ultra id quod suum est, debet ei subtrahi, et dari ei cui deest, secundum formam commutativae iustitiae ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6., I. M. 1331. seqq.

Ad 2nm. « Si sponsus adhuc servat dotem discernibilem ab aliis pecuniis, illam restituere debet, nisi ea sit bona fide praescripta, nam quaelibet res clamat ad dominum; et sponsus debet inter eos recenseri, qui putando ducere divitem duxerunt pauperem. Si vero fuit ab eo bona fide permixta cum suis bonis, qualitate similibus, et quantitate maioribus, quin separari valeat, ad nihil tenetur; quia ex Iure Communi dos censetur moraliter consumpta, *Glossa* in L. 78. ff. *de Solut.* Neque opponas: hunc teneri ad id in quo factus est ditior; cum enim dos ei data fuerit ad sustinenda onera matrimonii, nec exinde pro se ullum lucrum perceperit ex ea, in nihilo ditior factus est. Sporer, Croix. Sunt tamen, qui volunt, quod sistendo in aequitatis iure debeat a sponsis curari aliquid restituendum. Certo de furto semper teneretur Hesperus pater, quandiu potens; ditavit enim filiam de alienis. Liguori l. 3. n. 612 ». Scav. l. 2. n. 751.

Verum non tantum *ex aequitatis iure,* sed etiam *ex stricta iustitia* sponsus ad restitutionem tenetur, etiamsi furtiva illa pecunia cum propria pecunia in maiori quantitate ab ipso iam fuerit permixta. Etenim quamvis ex recentiori lure suus sit totus cumulus, nihilominus obligationem habet indemnem reddendi dominum furtivae pecuniae, ratione rei suae, quam aequivalenter habet. I. M. 907. Neque vero ex cit. loc. S. Alph. aliud desumi potest.

228. — DE RESTITUTIONE QUIA DITIOR QUIS FACTUS EX RE ALIENA

1°. Pamelius emit bovem, quem maiori pretio vendit Lucae. Sed ecce paulo post rescit bovem ad Ioannem pertinere. Emit item bona fide frumentum. Illud brevi servat tempore; mox enim notabiliter crescit pretium frumenti, et illud magno lucro vendit. Sed deinde rescit frumentum illud esse furtivum et ad Caium pertinere.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Pamelius citra *evictionem,* de qua nihil habetur in casu, retinere probabiliter potest pretium bovis, et lucrum factum in eius venditione.

Pretium enim bovis, cum non sit ipse bos, ad dominum bovis non pertinet; ad quem vero pertinere simul non potest *bos* et *pretium bovis*. Lucrum vero factum in hac venditione iniuste factum non est, cum factum non fuerit nisi occasione rei alienae ex propria industria seu commercio. — Idem dicendum videtur de pretio frumenti, et de lucro facto.

Paritatem tamen negat P. Gury 600. 601. inquiens: « quod valor bovis in se non creverat, et proinde venditor peritiae suae lucrum obtentum tribuere potuit. In praesenti autem casu valor frumenti ex aestimatione communi crevit. Ergo *lucrum proveniens ex revenditione nullo modo peritiae venditoris tribuendum est*. Ergo Pamelius ex illo lucro factus est ditior *independenter ab industria sua*. Ergo illud domino restituere debet ».

Verum tota industria in bovis venditione non alia fuit nisi haec, nempe quod Pamelius, bona et propitia utens emptoris occasione, bovem vendiderit. Eadem est industria in venditione frumenti, loco illud statim consumendi, vel vendendi, illud conservat, et deinde bona et propitia utens occasione aucti pretii frumenti, illud vendit. Deinde, si illud lucrum *non provenit* vere *ex industria* seu *commercio opportune* a Pamelio *facto*, num provenit *ex ipso frumento?* Certe non. Si Pamelius frumentum non vendidisset, vel si vendidisset cum minoris venderetur, nullum profecto fuisset lucrum. Illud ergo lucrum non fuit *fructus frumenti*, sed *fructus venditionis*, adeoque *operae et industriae Pamelii*.

Sed in hac frumenti venditione nulla profecto fuit singularis et extraordinaria industria. — Nihil quidem id valet. Nam quod non adfuerit singularis et extraordinaria industria, hoc non tollit, quod vere personae *opera* et *industria* adfuerit. Et num in venditione bovis adfuit *singularis* et *extraordioaria* industria? — Praeterea, si Pamelius potest probabiliter retinere *pretium* revenditionis frumenti, uti habet ipse P. Gury 601., potest probabiliter retinere etiam illud lucrum, seu pretii excessum in revenditione. Etenim pretium non alio titulo profecto retinere potest nisi titulo contractus venditionis factae bona fide, non interveniente vero evictione. Atqui vi illius venditionis Pamelius dominium licite et iuste acquisivit illius pretii, non partis tantum pretii, sed totius pretii; illudque licite et iuste retinere poterit, donec contractus ille per evictionem rescindatur. I. M. 1339.

Proponit P. Gury 606. hunc alium casum: « Pancratius optima fide a quodam viatore equum pretio 300. fr. emit. Paucis autem post diebus, ecce, bona sorte, bucephalus ille, cum feminei sexus esset pulchellum pullum novo edidit domino. Ter beatus Pancratius, servato pullo, matrem Lubino cum lucro 30. fr. vendidit. Res optime processerat, cum ab infausto nuntio rescivit, equum esse furtivum, atque ad Bernardum pertinere.... *Quid iuris?* » Respondet idem P. Gury: « *In casu evictionis*, Pancratius totum pretium acceptum refundere debet in emptorem evictum, quia tunc omnino *solvitur contractus*. Recursum autem habeat in suum venditorem, si eum invenire possit. Quid vero de pullo? *De Iure Romano*, domino equi reddendus est. Res enim fructificat domino; et partus sequitur ventrem. *De Iure* vero *Gallico* (et idem est *de Iure Italico*) a possessore retineri potest, cum res sola, seclusis fructibus reddenda sit. — *Extra casum evictionis*, servare potest saltem probabiliter tum 300. francos quibus equum emit, quia rem non habet, nec ditior inde factus est,

tum lucrum 3o. fr., quod animal revendendo acquisivit, utpote fructum industriae suae. Quid vero iterum de pullo? *De Iure Naturali et Romano* pullus clamat matri et matris domino. *De Iure vero Gallico* (uti etiam *de Iure Italico)* a possessore servari potest ».

Iam vero quaenam fuit quidem *industria Pancratii* in equo vendendo, ita ut illa 3o. franci fructus sint industriae Pancratii? Non alia nisi quod, bona et propitia oblata et capta occasione equum cum lucro vendendi, illud vendiderit. Equus enim qui valet 3oo. valet etiam 33o., et hac pretii latitudine emi solet et vendi equus. Quare bene dici posset cum P. Gury contra Pamelium, *lucrum proveniens ex revenditione nullo modo peritiae venditoris tribuendum est.* Sed utique lucrum illud operae et industriae Pancratii tribuendum est, ut in casu Pamelii; eo ipso quod *lucrum illud proveniat ex revenditione.* — Insuper, *si in casu evictionis,* de Iure Gallico et Italico, Pancratius pullum sibi retinere potest, ergo a fortiori Pamelius *extra casum evictionis* perceptum lucrum poterit sibi retinere. Ac, si iterum de Iure Gallico et Italico, *extra casum evictionis,* Pancratius pullum sibi servare potest, multo magis Pamelius praedictum lucrum sibi potest servare. Pullus enim est *naturalis fructus* in casu rei alienae, et illud lucrum *fructus* non est nisi *industrialis* et *civilis.* Neque valet dicere, quod *Pamelius factus est ditior independenter ab industria sua.* Etenim primo Pamelius non est factus ditior *independenter ab industria sua,* ut iam probatum est. Praeterea nonne etiam Pancratius factus est *ditior independenter ab industria sua?* Insuper, ut Pancratius, ita Pamelius ditior utique factus est, sed non *illicite* neque *iniuste.* Ac dum Pancratius vere ditior factus est *ex re aliena,* Pamelius ditior factus est; sed *occasione* tantum *rei alienae.* Quare, ut Pancratius, ita Pamelius, inquietandus non videtur.

Alium proponit casum P. Gury n. 612.: « Zacharias a Carolo 100. aureos furatus est. Cum autem sit homo minime imperitus, adeo feliciter eos in commercio adhibuit, ut lucrum notabile ex eis perceperit. Quaer. 1°. An Zacharias teneatur ad lucrum ex pecunia furtiva perceptum restituendum? 2°. Quid, si pecuniam hanc mutuo collocasset, et inde fenus accepisset? » Respondet ib. P. Gury: « Ad 1^um^. Zacharias tenetur certo illud lucrum totum restituere, si dominus damnum aequale passus est, v. g., quia etiam ipse in commercio pecuniam suam posuisset etc., et hoc praesumitur, quoties dominus laesus est mercator, vel pecuniam in variis negotiis adhibere solet. Secus non videtur obligandus Zacharias ad restitutionem illius lucri, ex propria negotiatione percepti, quia fructus industrialis dici potest. — Ad 2^um^. Etiam in hac hypothesi attendendum est ad damnum, quod dominus laesus praesumitur subiisse defectu pecuniae, et illud reparandum est. Secus non videtur fur urgendus ad restitutionem lucri percepti, *quia tanquam fructus industriae haberi potest* ».

Iam vero tam *industria* habetur in pecunia mutuo danda, quam in rei alicuius venditione. Immo maior industria habetur in venditione rei, ut quis pluris illam vendens lucrum percipiat, quam in mutuo dando, ut ex illo legale interesse percipiat. Si igitur Zacharias *possessor malae fidei* inquietandus non est quoad lucrum perceptum ex pecunia furtiva mutuo data, neque inquietandus videtur Pamelius *possessor bonae fidei* quoad lucrum ex venditione perceptum.

2°. Callixtus aurifaber 100. libellis emit bona fide quandam argenti conflati massam ex qua confecit calicem, quem postea cuidam monasterio 150. libellis vendidit. Sed mox certo rescivit argentum illud furtive subtractum fuisse eidem monasterio, cui calicem vendiderat.

Quaer. 1°. *An Callixtus ad aliquid erga monasterium teneatur?* — 2°. *An Superior monasterii, re cognita, possit datum pretium repetere, vel non adhuc solutum renuere?* — 3°. *Quid, si calix ipse in specie monasterio fuisset subreptus, a Callixto bona fide emptus, et maiori pretio monasterio venditus, atque a Superiore recognitus, sive ante sive post pretii solutionem?*

R. Ad 1^um^. Callixtus ad nihil prorsus tenetur erga monasterium. Non enim tenetur ex re accepta, quam non habet, neque ex iniusta acceptione, ad quam nullo pacto est cooperatus, neque ex eo quod ditior factus sit ex re aliena; ditior enim factus non est iniuste ex re aliena; sed ditior iuste factus est occasione rei alienae ex proprio labore et industria. G. 603., I. M. 1341.

Ad 2^um^. Superior monasterii solutum pretium a Callixto repetere non potest. Callixtus enim acceptum pretium, contractu venditionis iam perfecto, suum legitime fecit; adeoque illud pretium monasterii amplius non est. I. M. 1339. 1341. Non tenetur tamen superior totum calicis pretium solvere nondum solutum, sed tenetur pretium laboris et artis in aurifabrum refundere; *specificatio* enim intercessit, bona fide facta. I. M. 906., G. 604.

Ad 3^um^. 1°. Facta solutione, aurifaber probabiliter totum pretium retinere potest. Etenim acceptum pretium vi contractus venditionis iam perfecte suum est, nisi, interveniente evictione, contractus ille rescindatur. Lucrum autem perceptum, si maiori pretio calicem vendiderit, suum etiam est; quia, stante praedicto venditionis contractu, suum est totum pretium acceptum, et quia praedictum lucrum seu excessus pretii in venditione facta calicis fructus est suae industriae et commercii. I. M. 1339. 1341., G. 605.

2°. Verum ante solutionem pretii, nondum contractu venditionis perfecto, superior pretium calicis solvere non tenetur. Non enim emitur res sua, neque pro re sua quam quis habet, utcumque habeat, eius pretium solvere tenetur, nisi in casu particulari specialis aliqua adsit legis dispositio, quae in praesenti locum non obtinet. I. M. 1131. 1343., G. 605.

229. — DE RESTITUTIONE EX INIUSTA DAMNIFICATIONE

1°. Gastonius in favorem Fabiani, nepotis sui, testamentum condiderat. Verum Florianus, alter eius nepos, id resciens Gastonio refert, Fabianum pluries de ipso male fuisse locutum. Haec Gastonius audiens, testamento dilacerato, ipsum Florianum instituit suum haeredem; et paulo post e vivis excessit.

Quaer. 1°. *An ex iniusta damnificatione obligatio exoriatur restitutionis?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1um. Affirmative. Quicumque enim aliquem damnificat, ei reapse aufert illud, in quo ipsum damnificat. Et ideo ad restitutionem istius rei ablatae tenetur, sive res haec ad damnificantem pervenerit, sive non. Restitutio enim non ad hoc principaliter ordinatur, quod ille, qui plus habet quam debet, habere desinat; sed ad hoc quod illi, qui minus habet, quam debet, suppleatur. S. Th. 2. 2. q. 62. a. 4. 6. ad 1., I. M. 1357. seqq.

Ad 2um. Florianus Fabiano haereditatem restituere debet, si illas referens malas locutiones *calumniam* vel *detractionem* commisit. Tunc enim Florianus impedivit Fabianum ab haereditate certo consequenda *medio illicito et iniusto*. Secus vero dicendum esset, si Fabianus cum veritate et ex rationabili ac gravi causa manifestasset gravia illa Fabiani peccata, quibus Gastonius illum deinde haereditate indignum iudicavit. G. 635., I. M. 1367.

Verum quid? si Florianus simpliciter Gastonio suasisset, sed ex odio in Fabianum, ne haereditatem Fabiano relinqueret? Probabiliter tunc ad nihil teneretur. Illa enim suasio sine vi, sine mendacio, sine dolo et fraude, quamvis fuisset contra caritatem ratione odii, non fuisset tamen contra iustitiam. G. 638., I. M. 1368.

2°. Ranulfus haeredem universalem instituerat Laelium. Extremo decumbens morbo Ranulfus vocat Laelium, eumque rogat, ut notarium accerset. Timens Laelius, ne Ranulfus velit immutare suam ultimam voluntatem in sui praeiudicium, respondet Ranulfo, omnia fuisse omnino bene ab ipso peracta; ceterum melius nunc esset, si potius quam de morte et de testamento cogitaret de sanitate recuperanda. Acquievit Ranulfus, et post tres hebdomadas mortuus est.

Quaer. 1°. *Quantum ex damnificatione sit restituendum?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1um.« Aliquis damnificatur dupliciter uno modo, quia aufertur ei id quod actu habebat; et tale damnum est semper restituendum *secundum recompensationem aequalis;* puta si aliquis damnificet aliquem diruens domum eius, tenetur ad tantum quantum valet domus. Alio modo, si damnificet aliquem, impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi; et tale damnum non oportet recompensare *ex aequo,* quia minus est habere aliquid virtute, quam habere actu, qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem vel potentiam; et ideo, si redderetur ei, ut haberet hoc in actu, restitueretur ei quod est ablatum, non simplum, sed multiplicatum; quod non est de necessitate restitutionis. Tenetur tamen *aliquam recompensationem* facere, *secundum conditionem personarum et negotiorum* ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 4. Illud enim, quod nondum actu, sed solum in virtute habetur, adhuc potest multipliciter impediri. Quare, non idem est utriusque valor. Ad hunc autem valorem

determinandum, conditiones personarum et negotiorum sunt attendendae, unde non semper eadem constat *spes* rei habendae, sed maior vel minor, prout videre est relate ad messem futuram, e. g., in eo qui nondum sparsit semen in agro, vel iam sparsit, vel iam messis proxima est maturitati, vel iam messis sit matura, et mox colligenda. Et ideo non idem praedictae spei valor consequenter est. I. M. 1359.

Ad 2^um^. Non apparet quidem ex casu, quod Laelius illicite egerit, sive contra iustitiam, sive etiam contra caritatem. Nullo enim medio illicito et iniusto usus est ad avertendum Ranulfum ab immutatione ulla facienda. Neque vero ex ullo odio contra aliquem egit, sed suo tantum voluit bono consulere: et caritas non obligat aliquem, ut bono aliorum potius consulat quam suo, vel ut consulat bono aliorum cum notabili suo detrimento. Ranulfus praeterea nullam significavit voluntatem in particulari, cur vellet notarium advocari. Ac, si voluntatem revera habuerit aliquid in testamento immutandi, ab ea voluntate recessit, siquidem responsioni Laelii omnino acquievit, neque per tres integras hebdomadas locutus amplius est de notario advocando, vel de immutatione aliqua in testamento facienda.

Verum quid? si Ranulfus voluntatem significasset legatum aliquod addendi in testamento in favorem alicuius determinatae personae, et Laelius promisisset, se mox notarium advocaturum cum intentione eum non advocandi, neque reapse deinde advocasset; vel si dixisset, mentiendo, impossibilem esse notarium advenire. In tali casu Laelius impedivisset Ranulfum a legato faciendo per fraudem ficta promissione, et damnoso mendacio. Quare teneretur ex hoc capite ad restitutionem seu reparationem damni. Verum, cum adhuc certo omnino non constet de voluntate Ranulfi, restitutio facienda tantum esset pro rata spei. Legatarius enim nullum adhuc habuit ius ad ipsum legatum; ius tamen habuit, ne fraudolenter impediretur a legato obtinendo. Difficillimum in praxi esset quantitatem assignare, si ipse Ranulfus non declarasset quantitatem legati constituendi. Si vero declarasset illam quantitatem, sufficere videtur, si dimidiam partem restituat. Ac, si Ranulfus voluntatem legati significasset, eius quantitatem etiam declarasset, sed non manifestasset personam, pauperibus tunc, vel causis piis, praefata restitutio esset facienda. G. 636. 637. 853.

230. — DE RESTITUTIONE EX HOMICIDIO

1°. Hircinus Beraldum occidit. Beraldi familia multis abundat divitiis. Nihilominus Hircini confessarius eum obligat ad restitutionem tum erga proxime Beraldi coniunctos, tum erga remotiores cognatos. Ait enim, Hircinum obligari loco Beraldi ad alimenta huius consanguineis suppeditanda.

2°. Iacobus occidit Marcum, qui nullam opem suae familiae ferebat; sed eam e contra suis vitiis depauperabat. Iacobi tamen confessarius eum obligat ad restitutionem, quia, ait, poterat Iacobus ad meliorem frugem se recipere et familiae opitulari.

3°. Ubaldus ad duellum provocavit Sabianum; et, duello secuto, a Sabiano infeliciter occisus fuit, in extrema relinquens miseria matrem, uxorem et filios, quos ipse sustentabat.

Quaer. *Quid ad Casus?*

R. 1°. Cum Beraldi familia, et proximi consanguinei, nempe eius uxor, parentes, filii facile sibi possint subvenire, Hircinus a restitutione erga ipsos excusandus videtur. Eatenus enim homicida obligatur ad restitutionem erga proxime cognatos, quatenus huiusmodi cognati censentur una eademque persona cum defuncto, et ius habeant ex stricta pietate uti a defuncto sustententur; ac consequenter defunctus vicissim *potuisset* et *debuisset* eos sustentare. Unde etiam est, quod Hircinus neque ad restitutionem teneatur erga alios remotiores cognatos. Quoad istos enim, si quod subeant damnum, homicida eorum causa est tantum remota et per accidens. Confessarii igitur ratio contrarium potius, in casu, evincit. G. 733. 734., I. M. 1373.

2°. Iacobus non videtur, in casu, teneri ad ullam restitutionem; nam de facto nullum quoad familiae bona intulit damnum. Immo e contra maius bonorum damnum impedivit. Spes autem conversionis Marci tenuis omnino apparet, cum potius praesumptio per se contraria est, quod nempe Marcus continuaturus fuisset, ut antea faciebat, familiae bona dilapidando. Quare nulla *certa* restitutionis *obligatio* imponi potest, pro damnis tam incertis et remotis. G. 735. 736. I. M. 1373.

3°. Sabianus ad damnorum compensationem probabiliter non tenetur. Etenim primo Ubaldus *suo consensu totam causam necessariam et sufficientem posuit propriorum damnorum,* consentiendo nempe, ut adversarius contra ipsum agat, quantum potest, eum etiam occidendo. Ergo implicite consentit quoque in temporalia damna, si quae forte sit ipse passurus ex accepto vulnere, et consequenter censetur remittere obligationem damna haec resarciendi. Scienti et volenti non fit *iniuria;* quando ius remitti potest. Atqui duellans bene remittere potest temporalia bona, et iuri suo renuntiare in ordine ad damna, sibi illata, ab altero resarcienda.

Insuper propter eandem rationem quod Ubaldus *posuit suo consensu totam causam necessariam et sufficientem damnorum,* quae propriis cognatis fuerint illata; neque probabiliter quoad istos tenetur Sabianus damna compensare. Stante enim hoc Ubaldi consensu, cessat omnis ratio *iniuriae* et *iniustitiae* a Sabiano praedictis cognatis factae; adeoque nulla amplius obligatio ex iustitia esse poterit praedicta damna compensandi.

Occisor enim tenetur ad damnorum compensationem relate ad proximos occisi cognatos, quia ipsa *ex sua iniusta actione,* occidendo, e. g., patrem, causa *per se* est illorum damnorum. Quare hoc proxime cognatorum ius non fundatur in obligatione, quam pater, e. g., habebat alendi filios et uxorem, sed *in iniuria,* qua per vim occisor impedivit illud, quod filii et uxor ex patre vivente habituri erant; *quae iniuria* dat filiis *ius iustitiae* ad habendum illud, quod a patre *sine tali iustitiae obligatione,* sed *ex pietate* tantum habituri erant. Unde *ius ad illam compensationem* non acquiritur ipsi occiso, nec ab illo derivatur in alios, sed immediate acquiritur illis aliis, quorum singulorum *ius laesum est,* et quibus singulis *iniuria irrogata est.* Et sic pater de isto iure laeso aliorum disponere non potest, neque compensationis obligationem remittere. « Exemplum huius doctrinae habes optimum, quando per vim, aut do-

lum impedis Petrum, ne beneficium conferat Paulo, quo casu teneris postea restituere Paulo, quantum valebat illa spes; quod debitum non potest quidem condonari a Petro, quem impedisti, sed a Paulo, de cuius damno agitur ». Lugo D. 11. n. 63. 64.

Hinc in casu duelli, cessat obligatio damnorum etiam quoad alios. Relate enim ad istos iam occisoris actio non est *iniusta,* hoc est per vim impediens, eorum alimenta, vel emolumenta. Eo ipso enim, quod ipse occisus suae occisioni consentit, iam occisor non impedit per vim alimenta vel emolumenta aliorum, sed ex consensu et voluntate eius, a quo emolumenta habituri erant, et qui consequenter *suo consensu ponit totam causam necessariam et sufficientem* eorum damnorum, impediens ita, suo consensu, rationem violentiae et iniustitiae in occisore, quoad damna cognatis secutura. Ablata autem ratione violentiae, cessat radix obligationis restitutionis damna, quae est violentia, qua occisor aliorum impedit emolumenta. Quare occisor peccat tunc solum quatenus cooperatur e. g. patri, qui non obstante debito illo alendi suos *vult occidi cum eorum damno,* quod cum in patre non sit *contra iustitiam,* neque in cooperante est, in ordine ad illos; sed tantum contra caritatem et pietatem. Aliud consequenter esset, si occisus *ex iustitia,* et non tantum ex caritate vel pietate erga alios teneretur. — Lugo D. 11. n. 71. 72., G. 735. 736. I. M. 1373. 1375.

231. — DE RESTITUTIONE EX CONTRACTU

Crepinius filiusfamilias, comessationibus, potationibus, ludis, cum aliis pluribus dyscolis adolescentibus, in taberna factis, plura contrahit debita cum Medardo tabernario. Pro Crepinio fideiubet Grifinus. Hinc cum Medardus neque a Crepinio, neque ab eius patre debitorum solutionem obtinere potuisset eam a Grifino exigit.

Quaer. 1°. *An ex contractu restitutionis obligatio exsurgat?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Affirmative. Id enim deducitur ex ipsa restitutionis notione. Per contractum enim iam alius vel *ius in re,* vel *ius ad rem* habet. Ac si per restitutionem reddendum alteri est, quod suum est, patet quod restitutio facienda sit non tantum quando res aliena habeatur contra alterius voluntatem, sicut in furto et rapina, verum etiam quando habeatur per eius voluntatem, sicut in mutuo vel deposito, vel alio contractu. S. Th. 2. 2. q. 62. a. 1.

Ad 2^um^. Cum debita a Crepinio, filiofamilias, contracta in eius commodum et utilitatem non cesserint, sed in eius damnum et grave nocumentum, Crepinius potest iudicis sententiam invocare et debita non solvere. Medardus sibi, suaeque fraudi imputet, quod contraxerit cum filiofamilias, tot vitiorum occasionem ei suppeditans. I. M. 667., 953. — Neque vero tenetur ad debita solvenda Crepinii pater. Is enim nullum praestitit in ea debita contrahenda consensum; adeoque neque iure positivo, neque iure naturali tenetur. Neque pater Crepinii tenetur ad ea debita solvenda, si filii bona ipse administrat. Nam ipse filius ea bona

repetere non potest nisi post maioritatem, et filius tunc iudicis sententiam poterit invocare. G. 586. 587. 771. — Tenetur tamen ad praedicta debita solvenda Grifinus, ratione factae fideiussionis. Etenim licet facta fuerit pro minore, valida tamen est et iure naturali et iure positivo. I. M. 1266.

232. — DE RESTITUTIONE EX IUDICIS SENTENTIA

Durandus libello famoso diffamavit Guibertum advocatum. Recursu ad iudicem facto, Guibertus sententiam obtinuit plene sibi faventem, et Durandum condemnantem ad 50,000. libellas eidem Guiberto solvendas pro laesae famae compensatione, et illato damno resarciendo. Renuit Durandus hanc solvere summam, inquiens sententiam esse iniustam, et eum non obligare in conscientia, quia fama pecunia non compensatur; quia damnum illatum Guiberto, mediocri causidico, tanti non potest aestimari; quia tandem nihil ipse a Guiberto abstulit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Durandus integram 50,000. libellarum summam Guiberto solvere tenetur, vi iustae iudicis sententiae. Quamvis controversum sit, utrum de *stricto iustitiae commutativae rigore* compensatio detur inter bona diversi ordinis, e. g., inter famam et pecuniam, quia inter diversa bona dari non potest *adaequatio rei ad rem;* dubium tamen non est, quod praedicta recompensatio dari possit, ratione naturalis saltem aequitatis, et ratione poenae, legitima iudicis auctoritate inflictae. Quare ex hoc capite nullum est dubium, quod iusta omnino fuerit iudicis sententia et in conscientia obligans. I. M. 1324. « Dicendum, ait S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1., quod in quibus non potest recompensari aequivalens, sufficit, quod ibi recompensetur quod possibile est... Et ideo, quando id quod est ablatum non est restituibile per aliquid aequale, debet fieri recompensatio qualis possibilis est; puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare *vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personae, secundum arbitrium boni viri* ». Et ib. ad 2^um^. « Dicendum, ait S. D., quod aliquis potest alicui famam tripliciter auferre. Uno modo verum dicendo et iuste, puta cum aliquis crimen alicuius prodit, ordine debito servato, et tunc non tenetur ad restitutionem famae; alio modo falsum dicendo et iniuste, et tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse; tertio modo verum dicendo, sed iniuste, puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum, et tunc tenetur ad restitutionem famae, quantum potest, sine mendacio tamen, utpote quod dicat se male dixisse, vel quod iniuste eum diffamaverit; vel si non possit famam restituere, *debet ei aliter recompensare* ». Quare iterum iudicis sententia ex hoc capite ut omnino iusta habenda est, et obligans.

Neque vero valet alia Durandi ratio, quod nempe fama Guiberti tanti non potest aestimari. Nam primo arbitrium hac in re ad Durandum certe non pertinet, sed ad iudicem. Insuper licet tanti praedicta Guiberti fama forte non sit in se aestimanda, nihilominus post iudicis sententiam tantum Durandus recompensare et solvere tenetur. Etenim,

« cum aliquis iniuste accipit rem alienam, duo sunt ibi consideranda; quorum unum est inaequalitas ex parte rei, quae quandoque est sine iniustitia, ut patet in mutuis; aliud autem est iniustitiae culpa, quae potest esse etiam cum aequalitate rei, puta cum aliquis intendit inferre violentiam, sed non praevalet. Quantum ergo ad primum, adhibetur remedium per restitutionem, in quantum per eam aequalitas reparatur; ad quod sufficit quod restituat tantum quantum habuerit de alieno. Sed quantum ad culpam adhibetur remedium per poenam, cuius inflictio pertinet ad iudicem; et ideo, antequam sit condemnatus per iudicem, non tenetur restituere plus quam accepit; sed postquam condemnatus est tenetur poenam solvere ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 3. Iudex ergo, condemnando, iuste potest aliquid amplius solvendum praecipere loco emendae seu poenae, quod tamen antequam quis condemnaretur non debebatur. S. Th. 1. c. ad 3. Iusta igitur est etiam ex hoc alio capite iudicis sententia in casu, et obligans in conscientia, licet verum sit quod tanti in se non valeat fama mediocris advocati.

Tandem falsum etiam est, quod ultimo loco asserit Durandus, quod nempe nihil ipse abstulit. Abstulit profecto famam; et, fama ablata, damnum, et grave damnum intulit Guiberto. Quicumque autem damnificat aliquem ei aufert illud in quo ipsum damnificat; et iniuste illatum damnum ex stricta iustitia est compensandum.

233. — DE RESTITUTIONE EX INIUSTA COOPERATIONE

Carpophorus plurima debita contraxit propter luxum extraordinarium et frequentiora convivia; ad quae uxor Bertha non modice fuit cooperata. Sed ecce, subitanea morte correpto viro, creditores illico undique convenere ad viduam Bertham, quae nihil a marito accepit, quum is non nisi debita post eius mortem reliquerit. Quare, hisce pressa angustiis, Bertha quaerit a suo confessario, an ex propriis bonis praedicta debita solvere teneatur.

Quaer. 1°. *An ex cooperatione restitutionis obligatio exoriatur?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Affirmative. Cum « restituere importet redditionem illius rei, quae iniuste ablata est, sic enim per iteratam eius exhibitionem aequalitas reparatur », S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2., ad restitutionem tenetur quicumque sive directe sive indirecte causa est iniustae acceptionis. « *Directe* quidem quando inducit aliquis alium ad accipiendum, et hoc quidem tripliciter: primo quidem modo ex parte acceptionis, movendo ad ipsam acceptionem, quod quidem fit praecipiendo, consulendo, consentiendo expresse, et laudando aliquem quasi strenuum de hoc quod aliena accepit; alio modo ex parte ipsius accipientis, quia scilicet eum acceptat, vel qualitercumque ei auxilium fert; tertio modo ex parte rei acceptae, quia scilicet particeps est furti, vel rapinae, quasi socius maleficii. *Indirecte* vero, quando aliquis non impedit, cum possit et debeat impedire, vel quia subtrahit praeceptum, sive consilium, quod impediret furtum vel rapinam; vel quia subtrahit suum auxilium, quo posset obsistere;

vel quia occultat post factum ; quae his versibus comprehenduntur: *Iussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, — Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans* ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6.

Ad 2^um^. Ex eo quod Bertha mere cooperata fuerit extraordinario luxui, quo eius maritus vivebat, et quo consequenter volebat, ut viveret tota familia, morem gerendo in marito, et etiam consequenter sibi delectando et complacendo in ostentatione talis luxus, non videtur Bertha obligata ad restitutionem loco mariti. Non enim in hac ratione agendi apparet efficax et iniusta cooperatio ad ea debita contrahenda. Enimvero obligatio restituendi *personalis* est et *realis*. Quatenus *personalis* obligat ipsum damnificantem, eiusque cooperatores. Quatenus vero *realis* rem afficit furto sublatam. Bertha autem in causa uti cooperata non est debitis a marito contractis, ita nihil a marito accepit. Si vero Bertha maritum induxisset ad ea debita contrahenda ; vel etiam si maritum induxisset ipsa ad praedictum luxum, bene cognoscens, eius fortunam non sufficere ad talem vivendi rationem, et consequenter debere ipsum debita contrahere, ad quae solvenda impar ipse erat, tunc utique ad ea Bertha efficaciter et iniuste fuisset cooperata, adeoque ad ea debita solvenda teneretur ex propriis bonis. G. 385., La-Croix l. 3. P. 2. n. 381.

234. — CUINAM SIT RESTITUENDUM

Audifacius per campum transiens segetem ex malo animo aliis nocendi incendit. Conversus ad bonam frugem nescit nunc, cuiusnam seges illa fuerit, neque rescire id potest, cum ignarus omnino esset tunc viarum et locorum, per quae transibat, neque aliquid deinde audivit de illo incendio.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Audifacius, tanquam iniustus damnificator, restituere tenetur. Quod ratione impotentiae, in qua versatur, damnificatum cognoscere non possit, non ideo a restitutione excusatur, sed restitutio causis piis vel pauperibus facienda est. « Dicendum, ait S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5. quod per restitutionem fit reductio ad aequalitatem commutativae iustitiae, quae consistit in rerum adaequatione. Huiusmodi autem rerum adaequatio fieri non posset nisi ei, qui minus habet, quam suum est, suppleretur quod deest. Et ad hanc suppletionem faciendam necesse est ut ei fiat restitutio, a quo acceptum est... Quod si ille, cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus, debet homo restituere, secundum quod potest, dando in eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive sit vivus, praemissa tamen diligenti inquisitione de persona eius, cui est restitutio facienda. Si vero sit mortuus ille, cui est restitutio facienda, debet restitui haeredi eius, qui computatur, quasi una persona cum ipso. Si vero ille sit multum distans, debet sibi transmitti quod ei debetur, et praecipue, si sit res magni valoris et possit commode transmitti, alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conservetur, et domino significari ». Cf. I. M. 1420. seqq., G. 588.-590.

235. — QUANTUM SIT RESTITUENDUM

Forbinus ingentem vini quantitatem furatus est, valoris tunc 1000. libellarum, quod eius dominus servaturus erat, ut venderet mense maio, sperans posse illud vendere 1200. libellis. Forbinus vinum servavit usque ad mensem Novembris, et tunc aucto vini pretio illud vendidit 1400. libellis.

Quaer. *Quantum debeat nunc Forbinus restituere?*

R. Forbinus debet nunc restituere 1400. libellas. Cum enim vinum amplius non habebat, debet restituere eius aequivalens, quod praedictum pretium est. Tunc, enim quando vendidit vinum, ut vinum, ita pretium vini ad dominum vini pertinebat, et obligationem tunc Forbinus habebat restituendi vinum, adeoque illud restituendi secundum valorem, quem tunc habebat. Quia ut vinum, ita vinum secundum auctum eius valorem ad suum dominum pertinebat. Ista igitur obligatio, venditione facta vini, non cessavit, sed permansit etiam post venditionem. Sabinus ergo totum acceptum pretium restituere tenetur. Insuper, si Forbinus mense Novembri vinum, ut debebat, suo domino restituisset, hic, qui vinum volebat vendere mense maio, sperans tunc lucrum 1200. libellarum, illud profecto tunc vendidisset, et lucrum tunc obtinuisset non 200. libellarum, sed 400. libellarum. Ergo, si Forbinus non restituat 1400. libellas, sed restituit vel tantum 1000. libellas, vel saltem 1200. libellas, non restituit domino vini totum illud, quod suum est, neque eum indemnem reddit ratione lucri cessantis. I. M. 1346. 1424. G. 616.

Neque valet hic obiicere, quod ille excessus fructus propriae industriae est, ratione venditionis factae. Etenim, ut scienter accipere rem alienam actio iniuriosa est contra iustitiam, ita etiam contra iustitiam est scienter rem alienam detinere, et ita quoque actio iniuriosa est contra iustitiam scienter vendere alienam rem. Quare in casu vere quis *iniuste ditesceret ex re aliena, cum alterius iniuria, alterius lucrum iniuste impediendo.* Ergo totum illud pretium, cum in casu non sit nisi fructus *merae iniustae venditionis,* rei domino debetur.

236. — QUO ORDINE RESTITUENDUM

Tetradius, Nicodemus, Carolus furati sunt Hectori 6,000. libellas. Tetradius facti poenitens, Nicodemo et Carolo nolentibus restituere, totam summam 6,000. libellarum Hectori restituit. Carolo mortuo, Nicodemus serius conversus ad bonam frugem quaerit a suo confessario, cuinam et quantum sit restituendum.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Cum Tetradius, Nicodemus, Carolus communi consensu, ut ex Casu deducitur, simul furati sint praedictam summam, ad restitutionem in solidum tenentur. I. M. 1425. seqq. Quare, nolentibus Nicodemo et Carolo restituere, Tetradius tenebatur ad restitutionem totius summae

erga Hectorem; adeoque bene fecit eam Hectori totam restituendo. Facta integra restitutione a Tetradio, Nicodemus et Carolus iam eidem Hectori restituere non tenentur, sed indemnem reddere tenentur Tetradium, illi restituendo, quod ipsi Hectori debuissent solvere, nempe unusquisque eorum Tetradio restituere debet summam 2,000. libellarum. « Quia restitutio principaliter ordinatur ad removendum damnum, a quo est aliquid iniuste ablatum, ideo postquam ei restitutio sufficiens facta est per unum, alii non tenentur ei ulterius restituere, sed magis refusionem facere ei qui restituit, qui tamen potest condonare, » S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6. ad 3. « Uno restituente illi, qui passus est damnum, alius eidem restituere non tenetur. Sed illi, qui sunt principales in facto, et ad quas res pervenit, tenentur aliis restituere, qui restituerunt ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7. ad 2.

Porro Nicodemus restituere debet Tetradio summam 3,000. libellarum. Etenim, si tres fures restituere vellent, singuli suam partem restituerent, nempe summam 2,000. libellarum. Verum cum Carolus noluerit antea restituere, nunc vero restituere amplius non possit, quia mortuus est, et aliunde singuli teneantur ad restitutionem in solidum, hinc fit, ut totum damnum a tribus illatum a duobus tantum sit compensandum, nempe a Tetradio et Nicodemo: adeoque unusquisque tenetur ad dimidiam damni partem, nempe ad 3,000. libellas restituendas. Atqui totum damnum a Tetradio est compensatum, et ideo ipse damnum passus est. Ergo damnum nunc ipsi compensandum, et pro dimidia parte totius damni prius illati compensandum, cum Carolus restituere noluerit, et iam amplius restituere non possit.

237. — QUOMODO SIT RESTITUENDUM

Ignotus quidam peregrinus petiit ab Augustino sacerdote, ut celebraret ad suam intentionem 50. missas, ei simul tradens schedulam nummariam plicatam, inquiens, ecce tibi *tenue stipendium* 100. libellarum. Verum postquam peregrinus ille iam abierit, schedulam explicans Augustinus, videt non unam esse schedulam 100. libellarum, sed duas. Cum impossibile fuerit Augustino peregrinum invenire, ut illi centum libellas restitueret, eas sibi retinuit, et loco celebrandi 50. missas 100. missas pro peregrino celebravit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Non videtur dubium, quod peregrinus ille erraverit tradendo 200. libellas pro 100. tantum libellis, quas expresse sacerdoti obtulit pro celebratione missarum. Quare 100. aliae libellae sunt peregrino restituendae. Verum, cum impossibile fuerit peregrinum reperire, et ei fieri restitutionem 100. libellarum, Augustinus videtur sufficienter omnino suae obligationi satisfecisse celebratione aliarum 50. missarum. Etenim primo 100. illae libellae haberi bene possent, ut res amissa, et Augustinus consequenter posset eas simpliciter sibi retinere, stante impossibilitate peregrinum reperiendi. Insuper erogari possent in pauperum eleemosynas et in causas pias. Tandem, cum non possit in casu recompensari aequivalens, sufficit quod recompensetur quod possibile est. Porro in casu

possibilis est recompensatio celebratione missarum, quae ex petitione facta aliarum 50. missarum secundum intentionem profecto erit eiusdem peregrini, rationabiliter omnino praesumptae. Enimvero, cum quis furatus sit, e. g., equum, et equus ex eius culpa moritur, cum non possit amplius restituere equum, sufficit quod restituat pretium equi, vel equum sublatum recompenset alia re aequivalenti. Cur ergo in casu cum possibilis non sit restitutio 100. libellarum, ea restitutio fieri non potest unico possibili modo nempe missarum celebratione? I. M. 890. 893. 1447., G. 710. 715., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. ad 2., a. 5. ad 3.

238. — QUANDO SIT RESTITUENDUM

1°. Octavius gratuito omnino mutuam accepit ingentem pecuniae summam a Curtio, post duos annos restituendam. Moritur interum Curtius, et, biennio elapso, eius naturales heredes restitutionem praedictae summae non exigunt ab Octavio, cum praedictum mutui contractum ignorent. Octavius vero parentes habet in gravi necessitate constitutos, quos sustentare in praesenti amplius non posset, si praedictam summam restituat. Quare petit a suo confessario, an possit restitutionem differre.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Octavius videtur restitutionem differre posse, ratione gravis necessitatis, in qua eius parentes versantur, et quae in extremam necessitatem, facta restitutione, immutaretur. Ratio enim haec est sufficiens dilationis restitutionis. Neque vero ex Casu apparet, quod Curtii haeredes in eadem versentur necessitate, ut eruitur ex ipso facto quod Curtius gratuito omnino ingentem illam summam mutuo dederit Octavio. I. M. 1464. « Quando aliquis non potest statim restituere ipsa impotentia absolvit eum *ab instanti restitutione facienda;* sicut etiam totaliter a restitutione absolvitur, si omnino sit impotens ». S. Th. 2. 2. q. 63. a. 8. ad 2. « Dicendum, quod aliquis de hoc quod est sibi proprium debet magis satisfacere parentibus, vel his a quibus accepit maiora beneficia; non autem debet aliquis recompensare benefactori de alieno; quod contingeret, si quod debet uni alteri restitueret; nisi forte in casu extremae necessitatis, in quo posset et deberet aliquis etiam auferre aliena ut patri subveniret ». — I. M. 1455., 1459., Lugo D. 20. n. 127. 128.

2°. Seius ingentem pecuniae summam debet Philippo, ex contractu venditionis. Iam elapsa est constituta solutionis dies, et Seius solvere incipit praedictam summam per partes, dicens Philippo, se eam totam simul non posse nunc restituere. Ratio vero est, non quia ipse impotens sit ad restitutionem integram faciendam; sed quia ex praedicta pecunia emolumentum ipse percipit.

Quaer. *An recte?*

R. Negative, nisi Philippi consensus accedat. Elapsa enim constituta solutionis die, iam urget obligatio alienum amplius non retinendi. Neque vero allata ratio suffragatur, *quia ex pecunia emolumentum per-*

cipit. Cum enim illa pecunia iam alteri debeatur, ut non licet eam amplius retinere, ita neque licet amplius emolumentum ex ea percipere. Secus posset Seius hac ratione indefinite differre solutionem pecuniae, et cum habeat iam rem emptam cuius fructus iam ipse percipiat, retineret simul eius pretium, et omnem eius commoditatem perciperet, quod certe contra iustitiam est. Si ratio haec emolumenti percipiendi sufficeret ad restitutionem pecuniae vel alterius rei alienae differendam, etiam fur ob idem motivum posset apud se retinere saltem ad tempus notabilem pecuniae summam, eam per partes paulatim restituendo, quod a veritate omnino alienum est. Casus Consc. Bonon. Dioec. anno 1759. Mense Augusti Cas. 3., I. M. 1131. 1455.

239. — DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS

Villicus, qui plura identidem surripuit, et quidem notabiliter domino diviti, cum sine incommodo restituere non possit, monetur a confessario, ut petat a domino condonationem. Villicus autem benigniorem sperans domini uxorem, ipsam adit, et generaliter petit, ut si quid de rebus domini in propriam utilitatem consumpserit, velit condonare, quae libenter annuit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Cum casus instituatur de villico, qui licet incommodum patiatur in restitutione facienda, non est tamen impotens, tota ratio, quae ipsum excusare poterit ab onere restitutionis, desumenda erit a validitate condonationis. Verum, ut haec condonatio valida sit, requiritur, ut persona quae debitum condonet, sit sui iuris, habeatque facultatem donandi, cum debiti condonatio sit quaedam donationis species, adeoque sit domina rei quam donare intendit. Requiritur praeterea, ut remissio sit omnino libera et voluntaria, i. e. non violenta, non metu et fraude extorta; quia fraus et metus, et quidquid violentiam aliquam inferre potest tollit rationem liberi et voluntarii.

Iam vero deficit in Casu prima conditio, quia villicus plura surripuit, et quidem notabiliter domino; condonationem autem non obtinuit a domino, sed ab eius uxore, quae super ea bona dominium non habens, non habebat ius condonandi. Deficit etiam secunda conditio, quia, sin minus fraude et dolo extorsit hanc condonationem; eam tamen, licet bona fide, ex errore et ignorantia obtinuit. Non enim verum debitum manifestavit, sed eam adhibuit loquendi rationem, quae innuere videretur, se eorum potius petere remissionem, quae inadvertenter cum sua familia consumare potuisset, quam remissionem petere solent villici timorati. Id ipsum vero ostendere debuit uxoris facilitas in remittendo, quae innuere visa est ipsum potius a scrupulo, quam a gravi debito eximere velle. Cas. Consc. Bonon. Dioec. Tom. 3^{us}. pag. 116. anno 1770. Mense Iul. Cas. 3., I. M. 1460.

240. DE OCCULTA COMPENSATIONE

1°. Arnaldus pluries et frustra petiit a Mariano aureos decem, sibi debitos. Interim Arnaldi filia excipitur in domum Mariani, ut famuletur, quae rei conscia adit confessarium, petens, an possit de bonis Mariani occulta compensatione satisfacere patris credito. Confessarius respondet, posse.

Quaer. *An recte?*

R. Rectius quidem respondisset, non posse. Doctores enim, occultam compensationem permittentes, communiter loquuntur de ipso creditore, non de alio in eam se ingerente. Est enim res periculi plena, cum conditiones pro compensatione sint variae, et earum rationes ab alterius conscientia maxime pendeant. Casus Consc. Bonon. Dioec. Tom. 4. pag. 91. anno 1779. mense Decembri, I. M. 147³. Verum, cum agatur de ipsa filia Arnaldi, et de casu non admodum implexo, prout proponitur, si debitum sit vere certum, neque possit aliter obtineri eius solutio, post factum inquietandi non videntur confessarius et Arnaldi filia. Alienum enim ista non usurpavit, sed id quod proprium patris erit, quod patri statim reddendum, ne forte pater ipse iterum se compenset. I. M. 1472. 147³.

2°. Lucas famulus, ex mera inadvertentia, et non obstante eius habituali diligentia, pretiosum vas cristallinum fregit. Dominus, rem noscens, stipendium totius anni ei subtraxit. Lucas nil potens efficere, ut stipendium recuperet, occulte se compensat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Lucas inquietandus non videtur. Etenim ob fractum cristallinum vas ad nihil tenetur; adeoque potest se occulte compensare, cum alio quovis modo id facere non possit. Non tenetur quidem ad damnum illud reparandum neque ex iudicis sententia, neque ex conscientiae obligatione. Illa enim non adfuit, haec vero non adest, deficiente omni theologica culpa. I. M. 1358. 1472. 147³., G. 575.

DE OCTAVO DECALOGI PRAECEPTO

241. — DE SUSPICIONE

Anastasius, valde desiderans bene de omnibus cogitare et iudicare, experitur e contra in se ipso continuam inclinationem ad male de aliis iudicandum. Eaque vehemens omnino est, quando mali indicia apparent, quae quamvis absolute possint in bonam partem sumi, ipse tamen ad ea in malam partem sumenda propendet ex quodam iudicio, quod in eius mente sponte exurgit, res nempe non esse speculative et in abstracto, sed practice et in concreto, considerandas, non secundum earundem rerum possibilitatem, sed secundum pravam hominum naturam.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Anastasius arguendus non videtur gravis peccati; siquidem iudicium temerarium de personis non efformat, sed tantum suspicionem aliquam habet, quae, attenta subiectiva Anastasii dispositione deliberata bene de omnibus cogitandi et iudicandi, indeliberata potius est quam plene saltem voluntaria. Insuper praedicta Anastasii suspicio in particularibus casibus, non omnino temeraria videtur, cum exoriatur ex illis mali indiciis. Neque vero, per se loquendo, suspicio peccatum mortale est.

Etenim « in illis, quae sunt peccata mortalia ex genere, motus imperfecti non sunt peccata mortalia, sed venialia. Adulterium enim est mortale, scilicet quando est completa voluntas, non autem quando est incompleta; non enim quilibet motus concupiscentiae est peccatum mortale. Iudicium autem est duplex de rebus et de personis. Iudicium de rebus semper est mortale peccatum, puta dicere quod dare eleemosynam sit malum. Iudicium autem de personis, licet quandoque sit falsum, non tamen semper est peccatum, nisi quando sit *omnino temerarium*... Sed quando *ex levi re* iudicium procedit *firmum* in corde, aliquando est peccatum mortale, *quia est cum contemptu proximi*, suspicio autem est quid imperfectum in genere iudicii, et ideo est imperfectus motus, et ideo non est mortale ex genere; quamvis si fiat ex odio erit aliquando mortale ». S. Th. Quodl. 12. a. 34. Anastasius vero longe *ab odio* abest. Inquietandus ergo, quasi gravis peccati reus, nullatenus est. — S. Th. 2. 2. q. 60. a. 3., I. M. 1483.

Illud tamen Anastasii iudicium, quod in eius mente sponte exurgit, recta quidem regula non est *iudicandi*, in dubio, *de aliorum malitia*. Etenim ex hoc ipso, quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa indebite contemnit eum, et consequenter iniuria eum

afficit. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre absque sufficienti causa cogente. Et ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est. Aliud vero esset, si ageretur *de remedio adhibendo alicui malo:* expedit enim tunc ad hoc, ut securius remedium adhibeatur, quod *supponatur* id quod deterius est, quia remedium quod est efficax contra maius malum, multo magis est efficax contra minus malum. *Supponere* autem non est determinate et definitive malum de aliis *iudicare*. S. Th. 2. 2. q. 60. a. 3. 4., I. M. 1485.

242. — DE DETRACTIONE

1°. Aquilinus ad amicorum conversationem saepe languentem excitandam, aliorum dicta et facta narrat, unde gravis detractio sequitur famae aliorum; sed cum illam ipse non intendat, neque ut ipse dicit, ea narrat *ex malo animo,* existimat saltem se esse immunem a gravi peccato. Habitum autem tam validum contraxit aliorum famae detrahendi, ut aliquando etiam vix advertit ea, quae refert, posse aliis grave afferre nocumentum.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Aquilinus detractionis reus saltem est *in causa*. Evidens enim est, quod ipse satis cognoscat pravum habitum contractum, quem niti debet efficaciter extirpare. Ratione *actualis inadvertentiae* potest aliquando excusari ab *actuali culpa gravi*. Detractio enim facile esse potest venialis non tantum ob levitatem materiae, seu leve damnum proximo illatum; verum etiam ob defectum sufficientis advertentiae, ob subitum passionis impetum.

« Peccata locutionis, ait S. Th. 2. 2. q. 73. a. 3., habent aliquam levitatem, in quantum de facili ex lapsu linguae proveniunt absque magna praemeditatione ». Excusandus vero Aquilinus non est a gravi peccato ex eo quod sine animo laedendi alios, sed ex mera animi levitate graviter aliis detrahat. Nihil enim officit quod directe non intendatur detractio; sufficit quod sit implicite volita, si nempe advertenter dicantur illa, ex quibus provenit detractio.

2°. Guido constanter loquitur de Iulio, et constanter leves eius refert defectus, quos aliquando exaggerat, modo advertens non esse verum quod dicit, modo fere inadvertenter ex ipsa eius labili loquacitate. Nihilominus Guido existimat, se immunem esse saltem a peccato mortali, quia revera non nisi levia dicit et manifestat, idque ipse sibi facere videtur sine malevolo animo.

Quaer. *An Guido graviter peccet?*

R. Facile fieri potest, quod Guido graviter peccet. Etenim eo ipso, quod Guido reflexe perpendat suam rationem loquendi, unde existimat, se saltem immunem esse a peccato gravi, Iulius ille, de quo tam facile

et libere loquitur, non videtur esse qualiscumque vulgaris persona, sed persona alicuius notae, et cui forte grave damnum inde afferri potest. Quare, ad iudicium definitivum ferendum, necesse est, ut Guido personales Iulii conditiones exponat. Si enim grave nocumentum Iulio afferatur quoad famam, vel etiam quoad temporalia bona, ex illa loquendi ratione, dubium non est, quod Guido graviter peccet et contra caritatem et contra iustitiam. Quod ipse ita non loquatur ex malevolo animo, hoc per se non excusat a gravi peccato, obiective loquendo, uti non impedit grave damnum reale. Guido igitur a gravi peccato excusari forte tunc poterit; sed tantum ob eius subiectivam ignorantiam, et bonam aliquam fidem. Attamen procul dubio, si graviter Iulii famam revera laedat, eique grave aliud afferat damnum, in gravi ipse illusione versatur. — G. 427. 428., I. M. 1487. 1488.

3°. Menander famulus dimissus fuit a domino Balduino propter occultum furtum. Cum dominus Martinus Menandrum vellet tanquam famulum assumere in sua domo a Balduino petit, utrum Menander honestus et fidelis sit. Balduinus tunc ei aperit rationem, propter quam eum dimiserit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Balduinus potuit citra detractionem furtum Menandri Martino manifestare. Gravis et sufficiens aderat ratio talis manifestationis, videlicet grave Martini damnum avertendum. Enimvero manifestari generatim possunt graves aliorum defectus et gravia peccata, alicui personae, si id fiat ex gravi ratione avertendi grave damnum sive temporale, sive spirituale, alicuius communitatis, vel familiae, vel privatae personae. Tunc enim illi, quorum defectus et peccata revelantur ius amplius non habent, ut *cum aliorum damno* non detegantur. Alii enim ius etiam habent, et praevalens, ad huiusmodi damnum a se avertendum, quorum iuri cedit in casu ius ad propriam famam; *hoc enim ius cum aliorum iniuria esse non potest.*

Hinc potest etiam famula, e. g., quae dominum dereliquerit moribus perditum, et ancillis periculosum, aliam monere famulam, quae rei ignara, et bona fide, sua tractet addicere officia apud eundem dominum. Hinc etiam generatim poterit quis alterius defectus et peccata revelare, ratione gravis damni proprii vel alterius impediendi, licet ita impediatur matrimonium, vel consecutio haereditatis, vel consecutio alterius beneficii. — I. M. 1494., G. 426. 427.

243. — DE SUSURRATIONE

Alexius quidquid mali de aliis audit, in familiari cum amicis et sociis suis conversatione, aliis statim solet referre. Hinc fit, quod discordiae et dissensiones inter amicos et socios nascantur, et cum nullus audet aliis manifestare causam propriae displicentiae, Alexius facile omnium amicitia et fiducia gaudet, et omnibus despotice dominatur. Propriam

Alexius malitiam advertens saepe confitetur, se detraxisse famae proximi, addens tamen rem fuisse parvi momenti, et risus potius ac ioci causa, quam animo malevolo. Unde facile absolutionem recipiens poenitentiae et eucharistiae sacramenta frequenter recipit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Alexius inter *susurrones* est recensendus, hominum genus abominandum, siquidem secreto seminant inter fratres et amicos discordias. Quot malorum sint causa susurrones in familiis, in collegiis, in seminariis, in religiosis communitatibus haud facile dici potest. *Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes.* Eccli. 28., 15. Sufficienter autem Alexius, per se loquendo suum peccatum, vel potius continua sua peccata, non confitetur. Peccatum enim leve non est, sed grave, licet forte materia detractionis levis sit, ratione nempe pravi effectus graviter mali et nocivi, i. e. gravis displicentiae ingenitae in animis suorum amicorum et fratrum contra amicos et fratres, et gravis dissensionis et discordiae inter ipsos exortae. Alexius sibi forte illudit, in hac tam gravi et delicata re; sed prudens confessarius contentus esse non deberet tam superficiali confessione. Neque vero Alexius sufficienter explicat suum peccatum, inquiens, se proximi famae detraxisse. Susurratio enim specie diversa ac gravior detractione est. S. Th. 2. 2. q. 74. a. 2., I. M. 1486.

244. — DE RESTRICTIONE MENTALI

Magdalena, uxor, accusatur a proprio marito de adulterio omnino occulto, ut possit divortium coram iudice instituere, et aliud inire matrimonium. Hinc Magdalena quaerit a suo confessario, an teneatur suum peccatum in iudicio confiteri? Confessarius respondet posse ipsam negare se adulterium commisisse.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. « Dicendum, quod circa hoc est distinguendum. Si enim adulterium sit *omnino occultum,* non debet peccatum suum in iudicio confiteri, nec debet ab ea exigi iuramentum de veritate dicenda, *quia occulta soli divino iudicio reservantur;* secundum illud 1. ad Cor. 4., 5.: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum.* Sed quando ex adulterio procedit infamia, vel aliqua signa evidentia apparent, quae vehementem suspicionem facere possunt, vel quando est semiplene probatum; tunc debet ab ea exigi iuramentum de veritate dicenda, et ipsa tenetur confiteri veritatem ». S. Th. Quodl. 5. a. 16. Cum igitur de adulterio omnino occulto agatur in Casu, potest Magdalena, restrictione mentali, illud negare, dicendo, *adulterium non commisi,* et subintelligendo, *quod tenear in iudicio confiteri.* Responsio enim intelligenda per se est secundum factam interrogationem. Interrogatio autem a iudice facta de adulterio, interrogatio evidenter est de adulterio, *de quo* ipse potest interrogare, et sententiam ferre, et quod consequenter rea in iudicio confiteri tenetur. I. M. 1530. 1535., G. 418. 419.

245. — DE SECRETO COMMISSO

1°. Galenus, peritissimus medicus, herbam potentissimam cognoscebat, ad coercendum fluxum sanguinis. Secretum Laelio amicissimo unice communicavit, sub eiusdem secreti servandi promissione. Mortuo Galeno, Laelius, qui solus secretum cognoscit, vellet ad publicam utilitatem secretum manifestare; et dubium suo confessario proponit.

Quaer. *An Laelius possit, in casu, secretum manifestare?*

R. Videtur, quod Laelius possit praedictum secretum manifestare. Ratio est, quia ex ea manifestatione nullum sane damnum Galeno provenire potest, imo bonum, nempe laus et honor pro ipso. Neque vero cuilibet alteri huiusmodi damnum potest provenire, cum Laelius solum secretum cognoscat. Unde, facta ipsi eiusdem secreti communicatione a Galeno, ipse nunc absolutus dominus est huius secreti. Praeterea secretum utile omnino est bono communi aliorum. Quare potius videretur contra caritatem esse non communicare salutare omnibus remedium. Confirmatur auctoritate S. Thomae. Nam A. D., Quodl. 12. a. 21., quaestionem movet: « Utrum accipiens doctrinam alicuius experimenti sub iuramento non communicandi teneatur servare iuramentum »; et respondet: « Aliter dicendum est hic *simpliciter,* et aliter *in casu.* Simpliciter loquendo, *non tenetur, sed male fecit iurando.* Iuramentum non solum amittit vim, quando iuramentum est illicitum, sed etiam quando iurat peiora; quia iuramentum obligans debet habere iudicium, iustitiam et veritatem. Sed etsi iuro quandoque aliquid, quod licet mihi non facere, puta non ire ad ecclesiam, non licet tamen (pro semper) iurare; quia licet sit mihi licitum pro aliquo tempore facere vel dimittere huiusmodi bonum, quod est ecclesiam ire, non tamen licet mihi iuramentum interponere et animum obfirmare, ad aliquod bonum non faciendum, quia hoc est facere contra Spiritum Sanctum. Et ideo iuramentum contra omne id, quod est de genere bonorum est illicitum et non servandum. Tamen, in casu, servare tenetur, *puta si ille vel alius sufficiens medicus praesens esset, et paratus esset curare, et uti illo experimento in salutem corporalem aliorum* ». Loquens Scavini Ed. 12ª. Mediol. 1874. l. 2. n. 229. de *iuramento servandi secretum* circa artem conficiendi aliquam medicinam, sanandi aliquas infirmitates, inquit: « Non obstante iuramento, teneris ex caritate eam revelare, si aliter quis subiret grave periculum mortis, vel si ars ideo cum illo moreretur, cum pernicie reipublicae, atque aliter infirmi nequeant sanari, cum iuramentum non sit ad damnum ».

2°. Eustachius, sub secreti strictissima promissione, manifestavit Hilario, Amaliam suam filiam esse spuriam. Porro Hilarius animo suo sibi proposuerat Amalia uxorem ducere; sed, eius cognita conditione, animum omnino immutavit, et aliam duxit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Hilarius iure suo usus est, neque ullo modo illicite egit. Secretum est quasi *res aliena,* et *per se* non licet consequenter illud *explorare vel extorquere.* Id enim esset quasi domino *rem suam* eripere, licet quis sibi proponat, secretum aliis non revelare. Verum postquam quis secretum quoquomodo naturaliter cognoverit, iam illa notitia *sua facta est,* et non prohibetur *ea uti,* sine ullo alterius iniusto damno. Hinc, si secretum est inventum aliquod artis vel scientiae, possum illo uti, si mihi utilitas sequatur, et nullum alteri sequatur damnum; imo etiam, secundum Lessium si aliquod alterius damnum sequatur, quia illa notitia *mea* est. Si secretum factum aliquod respiciat, potest tunc quis illo uti, ea nempe faciendo, ad quae iam ante acceptam notitiam ius habebat; post enim acceptam notitiam ius non amittit, ut, e. g., si quis beneficium vel officium petat, quod vacare cognoverit, vel agrum emat, in quo didicerit thesaurum latere. Less. l. 2. c. 12. n. 131.

3°. Sempronius in usufructu scripserat haeredem uxorem suam, onere addito, ut Caio et Titiae illius matri alimenta praeberet; in proprietate vero haeredem nuncupaverat Caium ipsum, et, si hic decessisset improles, substituerat filios Berthae suae ex sorore neptis, quae, secluso testamento, ex lege in haereditatem avunculi sui successisset. Bertha iudicio civili pro nullitate testamenti institit post obitum testatoris, quippe qui adulterinum filium vocasset ad haereditatem, nempe Caium ipsum, ut aiebat, ex Titia progenitum, quo tempore matrimonium cum uxore sua constabat. At vero, cum argumenta ad hoc probandum deducta mere coniecturae limitem non excederent, ac Bertha declarasset, in Cancellaria episcopali et baptismali paroeciali tabulario documenta extare, quibus verus, ut ipsa contendebat, Caii status in clara luce poneretur, ab episcopo petiit iudicum praeses, ut memorata documenta exhiberet.

Quaer. *An Episcopus potuerit manifestare et tradere commemorata documenta?*

R. Negative, ut constat ex Responso S. C. EE. et RR. 25. Febr. 1842. Bizzarri Collectan. Ed. 1885. pag. 101. Ratio vero est, quia *boni publici maxime interest,* ut quae alicui personae in aliquo ministerio constitutae ratione officii committuntur, edere et manifestare nefas sit: aliter enim de fide publicae auctoritatis, praesertim Ecclesiae, debita actum esset; nemo namque qui se eidem crederet amplius inveniretur. Et sic ipsae Civiles Leges eximunt Advocatos, Medicos, Chirurgos, aliosque professores a testimonio ferendo circa ea quae sibi ratione professionis innotescant. Neque vero potuisset episcopus vel parochus praedicta documenta, fidei suae concredita exhibere, ex eo quo Bertha documentorum tenorem iam cognosceret ex rumore vulgi. Si veritas enim est ad custodiendum secretum obligata, famam et rumorem publicum, saepe dubium et incertum, suo assensu et sua affirmatione confirmare non potest, et indubium ac certum reddere. Iam enim contra secreti legem fieret.

Ac quamvis forte Bertha rem certo cognosceret ex corrupta officialium fide, adeoque ex facto turpi et iniusto; turpitudinem et iniustitiam continuare et confirmare illicitum prorsus est. Neque vero audiendus est in iudicio qui turpitudinem suam allegat. Unde Bertha nullum inde ius acquirere potuit ad praedictorum documentorum exhibitionem.

246. — DE SECRETO LITTERARUM

Lucianus, fortuito casu, litteras accepit ad Lucium directas. Scripturam agnoscens Rufini, a quo iam plura damna ipsi illata fuerant; et timens, ne litterae illae aliquid contra ipsum continerent, unde Lucius eius amicus et vir potens ab ipsius amicitia posset averti, litteras statim aperit et legit, in eisque reapse reperit plures calumnias contra ipsum assertas. Hinc nihil de acceptis litteris dicens, opportunis mediis, animum Lucii praeoccupat, et ab omni mala Rufini machinatione facile se liberat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Lucianus licite litteras in casu legit. Id enim non fecit animo alterius iuri praeiudicandi, sed animo a se avertendi iniustum gravamen sibi imminens; probabiliter, immo moraliter certo iudicans praedictas litteras scriptas fuisse in sui praeiudicium. Licet autem alienas litteras legere, ut licet naturale secretum manifestare, ad praevertendum iniustum damnum sibi vel alteri inferendum. Elbel 616., I. M. 1545.

Verum quid, si Lucianus litteras dolose ante subripuerit, possetne adhuc illis uti ad removendum a se grave damni periculum, quod ex ipsis litteris primum sibi imminere cognoscat, vel quod aliunde cognoscat sibi imminere? Generatim non licet, alterius litteris dolose subreptis uti, praesertim si inde illius damnum sequatur. Ratio est, quia nemo in peccato et in iniustitia continuare potest. Verum, si quis ea notitia, iniuste acquisita, utatur ad propulsandum a se grave et iniustum damnum, illicitum id non est. Licitum id est in illis ipsis circumstantiis, in quibus licite quis alienum revelat peccatum, et alienas legit epistolas. Ut enim licite quis nunc acquireret illam notitiam et licite ea uteretur, ita licite nunc uti potest notitia iam acquisita, licet eius acquisitio initio fuerit iniusta. I. M. 1494. 1495. 1545., G. 429. 430. 440-442.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

247. — DE DECIMIS

Proclamata lege abolitionis Decimarum, Ambrosius parochus anceps haeret, an possit percipere pensionem pro compensatione a Gubernio ipsi assignatam; et quatenus possit, hanc pensionem percipere, an simul percipere possit decimas eorum parochianorum, qui adhnc sponte eas offerunt.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Ambrosius videtur posse pensionem recipere a Gubernio assignatam, titulo compensationis ratione damnificationis ob decimarum abolitionem, ab ipso Gubernio factam. Item videtur posse Ambrosius recipere adhuc decimas, ipsi sponte oblatas a bonis parochianis, qui adhuc velint hanc obligationem implere. Nam propter decimarum abolitionem non eximuntur ab obligatione decimas solvendi; neque consequenter amittit parochus ius eas percipiendi, si offerantur. Confirmatur ex Resp. S. Poenit. 1860.: « Posse, iuxta oraculum SS. Domini, *titulo merae compensationis pro damno sibi a Gubernio illato* ob impeditam decimarum exactionem, percipere pensiones a Gubernio assignatas; facta prius sive ab Ordinario loci in communi, sive a quolibet ex dictis parochis seu ecclesiasticis in particulari, protestatione per huiusmodi perceptionem nullo modo recognosci aut approbari decimarum abolitionem a Gubernio factam, *et caute monitis earumdem decimarum debitoribus, eos non esse vi legis a Gubernio latae ab onere easdem solvendi liberatos* ». Scav. l. 4. n. 237., I. M. 1548.

248. — DE NOVORUM FESTORUM INSTITUTIONE

Episcopus quidam ad fovendam devotionem et pietatem sui populi in visitatione dioecesis in singulis civitatibus et oppidis diem festum constituit celebrandum in honorem Sancti, Patroni loci. Duos autem dies festos statuit in universa dioecesi celebrandos, nempe in honorem Sancti, Patroni totius dioecesis, et in honorem Sancti, titularis Ecclesiae Cathedralis.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Possunt Episcopi festum aliquod in honorem *Sanctorum*, non *Beatorum*, instituere saltem cum consensu cleri et populi, qui sufficienter adesse censetur, si non contradicant, ex C. *Conquestus* 5. *De Feriis*.

Attamen Urbanus VIII. C. *Universa* 15. Sept. a. 1641. episcopos monet, ne facile ad nova festa instituenda inducantur, *sed studeant abstinere.* Lig. l. 3. n. 266. Porro praedicta B. Urbani VIII. conceditur, ut celebretur festum « unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno sive Provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit ». Enchir. Mor. N. 474. Verum Patronos eligere, nisi *Sanctos,* non *Beatos,* et nisi de consensu populi et cleri et episcopi, et nisi causa in S. R. C. deducatur et examinetur, hodie non licet. S. R. C. 23. Mart. 1830. Fas igitur erit episcopo de consensu cleri et populi adiungere festum *Patroni,* non *Titularis,* vel unius ex praecipuis Patronis tum dioeceseos tum uniuscuiusque loci. — S. R. c. 11. Maii 1638., 23. Iun. 1703., Ferraris v. *Festa* n. 2. seqq. 141., I. M. 1550.

249. — DE ANNUA CONFESSIONE

Antoninus tempore paschali sua peccata confitetur, cum non nisi tempore paschali praecedentis anni sacramentalem confessionem fecerit. In praesenti confessione non nisi peccata venialia confitetur, deinde peccatum mortale dubium accusat, et gravis peccati certi obliviscitur.

Quaer. *An teneatur iterum confiteri?*

Resp. 1°. Antoninus praecepto annuae confessionis satisfecit, confessione facta tempore paschali anni praecedentis et sequentis. Variae enim sunt opiniones de anno computando quoad hoc praeceptum. Inter alias etiam haec adest, quod annus a paschate ad pascha computetur, quia hic censetur annus ecclesiasticus, et consuetudini Ecclesiae magis conformis. Fideles, praesertim illi, qui non nisi semel in anno confitentur sua peccata, confessionem tempore paschali facere solent, ex more approbato a Tridentino S. 14. c. 5., ut se praeparent ad communionem paschalem. I. M. 1558.

2°. Non videtur Antoninus teneri ad confessionem iterandam. Nam 1°. confessione peccatorum venialium probabiliter satisfecit praecepto annuae confessionis. Licet enim communis opinio teneat hoc praecepto Ecclesiam imponere tantum mortalium peccatorum confessionem; nihilominus graves sunt auctores, qui censent hoc praeceptum complecti etiam confessionem tantum venialium, si quis nullum commiserit grave peccatum. S. Th. 4. D. 16. q. 2. a. 2., D. 17. q. 3. a. 1., Suppl. q. 6. a. 3., q. 8. a. 5. ad 4., Bened. XIV. Inst. 18. n. 2.–4. Insuper probabiliter etiam satisfecit praecepto annuae confessionis peccatum mortale dubium confitendo. Plures enim et graves auctores docent obligationem adesse dubia peccata confitendi. « Hic vere, ait Lugo de Sacr. Poenit. D. 15. n. 169., implevit iam semel praeceptum Ecclesiae et Christi eodem anno; nam Christi praeceptum, licet non sit confitendi venialia, est tamen confitendi non solum peccata gravia certa, sed etiam dubia. Illud ergo praeceptum impletum est confitendo ea peccata dubia, quae tunc habebat ». Et La-Croix l. 6. P. 2. n. 2041. « Qui per annum saltem semel confessus est mortale dubium cum venialibus, satisfecit, nec tenetur iterum confiteri, quamvis postea incidat in mortale certum; quia erat obligatio confitendi illud dubium. Ergo posuit materiam praecepti ». Cf. S. Alph.

l. 6. n. 473. seqq. Quod autem Antoninus oblitus fuerit gravis peccati, hoc non impedit quod sufficienter iam satisfecerit praecepto Ecclesiae annuae confessionis. Quare tenetur utique illud peccatum accusare in proxima confessione, sed non tenetur ad iteratam confessionem, ut satisfiat praecepto annuae confessionis praesentis anni, cum huic praecepto iam satisfecerit. I. M. 1554. 1556.

250. — DE COMMUNIONE PASCHALI

1°. Hedvigis mulier, gravi decumbens morbo, sacrum suscepit Viaticum Dominica Palmarum. Verum, cum post paucos dies fere omnino convaluerit, quaerit a suo confessario, an teneatur egredi e domo, ut satisfaciat praecepto paschalis communionis.

2°. Emporius mercator, cum ratione commercii tempore paschali extra propriam paroeciam reperiatur, quaerit a suo confessario, an possit in loco ubi in praesenti est, paschalem communionem recipere vel debeat in suam parochiam redire.

Quaer. *Quid ad Casus?*

R. 1°. Hedvigis non videtur obliganda ad iteratam communionem. Etenim licet communionem receperit per modum Viatici, nihilominus communionem vere recepit tempore paschali, eamque, ut supponitur, recepit a parocho vel eius delegato, et modo publico; unde adaequate fini legis satisfecit, qui est publica aedificatio, et proprio parocho submissio. G. 453.

2°. Emporius in propriam parochiam redire non tenetur, nisi facile possit. Potest tunc communionem recipere in loco ubi est. Peregrini enim satisfaciunt huic praecepto communionem recipiendo ubi degunt tempore paschali. I. M. 1566., G. 454.

251. — DE ABSTINENTIA

Cornelius, Romae degens, causa piae peregrinationis ad limina Apostolorum, diebus sabbati carnes manducat. Nam confessarium interrogavit, qui respondit, id ipsum posse facere, ut in sua patria, in qua non observatur abstinentia diebus sabbati; quia peregrinus est. Lex enim abstinentiae sabbato universalis per se non est, sed particularis locorum.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Cornelius videtur teneri ad abstinentiam Romae diebus sabbati observandam. Id eruitur primo ex ipsa consuetudine, quae Romae viget; peregrini enim, vel hanc solent petere facultatem, vel abstinentiam, ut alii, servant. Ac nuperrime, occasione iubilaris festi Summi Pontificis, indultum peregrinis concessum est ab eodem Summo Pontifice, ut nempe possent Romae sequi patrias consuetudines quoad abstinentiam. Insuper lex abstinentiae *per se* universalis potius videtur quam particularis locorum. Benedictus XIV. de Syn. l. 1. C. 5. n. 2. 3. 5. haec habet: « Iam a saeculo IV. fuisse in Romana Ecclesia sabbati diem esurialibus annu-

meratum... Ecclesiae Romanae usum sectatae quidem sunt pleraeque non tamen omnes Occidentales Ecclesiae.... Illud autem probabile fatemur, eiusmodi nimirum Romanae Ecclesiae disciplinam nunquam Hispaniam pervasisse... Porro, quia nemo libenter diu sustinet iugum, a quo alios passim videt subtractos, ex hac disciplinae varietate tandem effectum est, ut consuetudo sacrandi ieiunio diem sabbati in toto Occidente pedetentim defecerit.... Hinc communiter apud doctores invaluit opinio licere die sabbati carnes comedere, ubicumque earum esus a recepta consuetudine non est interdictus ». Ex quibus eruitur legem *per se* fuisse generalem in Ecclesia Occidentali, ex usu Ecclesiae Romanae et ex generali consuetudine, sed in particularibus locis particularibus consuetudinibus ei fuisse derogatum. Hinc Clemens Marc. Inst. Mor. V. 1. n. 1244. ait: « Praeceptum ecclesiasticum abstinendi a carnibus urget sub gravi, praeter dies ieiunii, 1°. *feria sexta* cuiusvis hebdomadis in tota Ecclesia... 2°. *sabbato*, in plerisque locis Ecclesiae latinae ex lege consuetudinaria. Excipiuntur, praeter Graeciam, Hispaniarum regna. Item, in quibusdam Galliae et Belgii dioecesibus, excipiuntur sabbata inter Natalem Domini et Purificationem B. M. V. occurrentia ». Idque confirmari potest ex Rescripto Pii IX. anno 1868., quo noluit pro America generalem et perpetuam dispensationem concedere, sed iussit singulos episcopos expositis rationibus temporaneum Indultum rogare.

Praecedens resolutio et doctrina confirmari tandem potest ex sequenti Resolutione S. O. 13. Mart. 1727., Collect. S. C. de P. F. n. 2050.: « 1°. An liceat graecis Romae degentibus (saltem ad evitandum scandalum) comedere carnes die sabbati? — 2°. An liceat graecis habere latinos in suum servitium, et die sabbati dare eis carnes edendas. — 3°. An liceat graecis praefata die pueris, et iuvenibus latinis, qui eorum servitio non sunt addicti exhibere carnes edendas? — R. Ad 1^{um}. *Non licere*, et servetur Instructio Clementis VIII., in qua sic habetur: *Tolerandus est apud graecos usus carnium die sabbati, ubi sine scandalo fieri potest, in locis tamen ipsorum, et inter eos tantum.* — Ad 2^{um}. et 3^{um}. Latinos famulos graecorum teneri ritum latinum servare, et ideo peccant graeci apponendo famulis cibos vetitos tempore, quo ab illis debent abstinere ».

252. — DE LEGE IEIUNII

Xaverius, missionarius in locis infidelium, valde anceps haeret, utrum neoconversi ad fidem lege ieiunii teneantur, adeoque utrum ipse debeat eis illam manifestare. Timet enim, ne eam recentes fideles transgrediantur, et occasio aliis fiat, qua a fide avertantur.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Ius positivum ecclesiasticum de abstinentia et de ieiunio absolute obligat, etiam in locis missionum, infideles iam ad fidem conversos. Attenta vero regionum et personarum qualitate facilius esse potest locus dispensationi. Quare ius ecclesiasticum de abstinentia et de ieiunio a missionario notificandum est, ut obligatorium sub peccato mortali. Potest tamen missionarius simul explicare causas, propter quas excusantur

fideles ab observatione praeceptorum. Attenta autem personarum infirmitate et necessitate, poterit missionarius debitam petere dispensationem a S. Sede, vel debitam facultatem, ut possit ipse in casibus particularibus dispensare, si eam iam non habeat. Advertat vero facultatem dispensandi in abstinentia et in ieiuniis ita missionariis concedi, ut ea uti nequeant, nisi *in casibus particularibus, et iustis de causis.* S. C. de P. F. 12. Sept. 1645., 2. Aug. 1781., S. O. 23. Mart. 1656. Collect. S. C. de P. F. n. 2046. 2047. 2059.

253. — DE CIBORUM PROMISCUITATE

1°. Carolus degens in loco, ubi ex recepta consuetudine diebus abstinentiae fulicae permittuntur, quaerit a suo confessario, utrum diebus quadragesimalis ieiunii, cum carnes per Indultum concedantur, possit simul carnes et fulicam comedere.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Non videtur posse. Carolus simul comedere carnes et fulicam. In loco enim, in quo degit, fulica pro pisce habetur, et ideo diebus abstinentiae permittitur. Et sic ex Declar. S. Poenit. 16. Ian. 1834. testacea marina, quamvis vulgo pisces non appellentur, neque sint, ea tamen simul cum carnibus edere quis non potest. Eadem ratione limaces et ranae, quamvis pisces non sint, cum instar piscium edantur, prohibentur, quando esus carnium prohibetur, et per indultum deinde permittuntur. G. 489., Scav. l. l. n. 404. Idem ergo dicendum videtur de fulicis, quando instar piscium edantur. Secus enim sequeretur, quod, eo in loco, die abstinentiae et ieiunii intra annum fulicae edantur, quia *ad instar piscium eduntur;* alia vero quadragesimalis ieiunii die, carnibus per Indultum permissis, simul cum carnibus edantur fulicae, quia *ad instar carnium eduntur.* Porro, si eo in loco, ut pisces habentur et eduntur, sequitur quod semper ut pisces habeantur et edantur, et non ad libitum uniuscuiusque.

Verum licetne in praedicto loco fulicam comedere die abstinentiae et ieiunii? Si vere ibi *probata* adsit *consuetudo,* ut in Casu asseritur, illicitum non videtur. Probata autem dicenda est consuetudo *apud pios probosque viros recepta.* Bened. XIV. de Syn. l. 11. C. 5. n. 10–12. An autem, praescindendo a consuetudine, liceat *per se,* diebus abstinentiae, fulicam comedere? Non desunt qui affirmant, et innituntur 1°. in eo quod *avis aquatilis* sit; 2°. in *Indulto,* concesso Religiosis Ordinis Minimorum S. Francisci a Paula, S. C. Reg. Disc. 22. Febr. 1804. Etenim, non videtur, quod dictis Religiosis, *quibus carnes omnino interdictae sunt,* concessae fuerint *carnes fulicae.* Sed, stante dubio: « *Utrum avis aquatilis,* cui nomen *fulica, inter pisces computanda sit, illaque vesci liceat,* iis diebus, quibus vetitae sunt carnes »; itemque « *stante perplexitate,* qua eorum (religiosorum) conscientiae hac super re angebantur », unde iidem religiosi « supplicationem porrexerunt Pio VII., ut sibi concederetur *posse libere* uti eo cibo »; « Sanctissimus, *veris existentibus narratis* benigne annuit pro gratia *iuxta petita,* Constitutionibus Ordinis aliisque omnibus non obstantibus »: gratiam nempe ad *omnem*

conscientiae securitatem et ad cautelam concessit, in eo dubio; ut non raro fieri solet. Unde saltem certo de prohibitione fulicae non constat. Verum communior opinio tenet, fulicam esse *per se* prohibitam. Ratio est, quia fulica, quae gallina aquatica est, carnes habet similes carnibus avium terrestrium, quae prohibentur, vim habet nutritivam, ut aliae avium carnes, unde huiusmodi carnes *magis etiam conformantur humano corpori,* S. Th. 2. 2. q. 147. a. 8. I. M. 1572.

2°. Aurelius, diebus ieiunii, quando Indultum pro carnibus concessum est, pisces comedit simul cum iusculo carnis, carnes simul cum iusculo piscis; pisces simul cum placenta minutis carnis frustulis condita, carnes simul cum offa condita pisciculis sale exsiccatis et minutatim tritis, pisces simul cum gelatina carnis.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Aurelius non videtur inquietandus ex eo quod comedat pisces simul cum iusculo carnis, vel carnes cum iusculo piscis. Iusculum enim sive carnis, sive piscis caro, vel piscis, non est; adeoque dici non potest, quod *epulas* licitas et illicitas permisceat, quod *carnes ipsas* et *pisces* simul adhibeat.

Verum Aurelius pisces simul cum placenta minutis carnis frustulis condita, carnes simul cum offa condita pisciculis sale exsiccatis et minutatim tritis, comedere non potest. Nam ita e contra vere comedit carnes et pisces simul. Quod caro illa sit in minuta frustula secta, quod pisces sint minutatim triti ideo non desinunt vere esse carnes et pisces. Neque vero, in casu, proprie se habent ad instar *condimenti,* sed vere se habent ad instar *alterius substantiae,* quae ingreditur confectionem illius placentae et offae. Ac si illa placenta et offa tota ex carne, vel tota ex pisce esset intus confecta, nonne certe caro et piscis esset, et qui eas simul cum pisce vel cum carne manducaret, nonne simul carnes et pisces manducaret? Idem profecto est, si tantum partialiter et ex minori parte vel longe minori parte placenta ex carnibus, et offa ex piscibus minutatim sectis, vel isicium conficeretur.

Neque pariter Aurelius potest pisces cum gelatina comedere. Gelatina enim vera caro est, ac totam retinet carnis substantiam, licet accidentaliter quoad formam sit immutata. Simul cum piscibus non licent nisi iusculum ex carne, et condimenta ex carne, quemadmodum simul cum carne licent iusculum ex piscibus vel condimenta ex piscibus. Porro gelatina neque rationem iusculi, neque rationem condimenti habet, sed vera *epula* per se est, eaque profecto non ex pisce, in casu, sed ex carne constituitur; adeoque *epula illicita* est simul cum pisce die ieiunii.

254. — DE ABSTINENTIAE DISPENSATIONE

« Bertoldus paterfamilias, iusta de causa, nominatim dispensatur a lege abstinentiae, pro occurrentis quadragesimae tempore. Hoc cognito, uxor eius iubet ancillae, ut paret quidem carnes pro viro, cibos autem esuriales pro se, filiis et familiaribus ceteris. Quid est hoc? exclamat

mussitans Bertoldus. Ego sum dispensatus, et volo, ut tota familia meo privilegio utatur. Uxor autem anxia quaerit a confessario, utrum obtemperare possit.

Quaer. *An reapse tota familia carnibus vesci possit in praedicto casu?*

R. Affirmative. Constat ex Resp. Poenit. 16. Ian. 1834. Etenim sic quaesitum fuerat: *Utrum, cum paterfamilias, qui a lege abstinentiae a carnibus, tempore quadragesimae dispensatur, non potest, aut non vult cibos utriusque generis parari, eius filii, aut familiares carnes edere possint?* S. Poenit. respondit: *Posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adiecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis, et de unica comestione in die, pro iis qui ieiunare tenentur* ». Ita P. Gury 497.

Verum ex Responsionibus eiusdem S. Poenitentiariae aliud omnino in Casu dicendum est, et non Bertoldi voluntati, sed eius uxoris interpretationi standum est. Nam neque uxor neque filii, neque caeteri Bertoldi familiares in impotentia revera versantur abstinentiam servandi; sed eam e contra bene servare possunt.

Enimvero, eadem S. Poenitentiaria cum quaereretur, utrum patresfamilias, cum in familia adest aliquis a lege abstinentiae a carnibus dispensatus dispensationem ad omnes ex familia indiscriminatim extendere possit, respondit 10. Ian. 1834. « Infirmitatem, et aliud quodcumque rationabile impedimentum, de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium, eximere posse a praecepto abstinentiae in diebus esurialibus ». Et ad quaesitum: « An ratio, propter quam filiifamilias uti possint cibis vetitis a patrefamilias exhibitis sit eorum impotentia physica sive moralis observandi praeceptum; seu potius indultum, quo gaudet paterfamilias »; respondit 29. Dec. 1862.: « Ratio permissionis, de qua in quaesito proposito sermo, *non est indultum patrisfamilias, sed impotentia, in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum* ». Cf. Enchir. Mor. 513.

255. — DE BULLA CRUCIATAE

Xaverius, hispanus, Romae commoratur ad varia sua negotia tractanda; ibique permanere debet per quatuor vel quinque menses, in Hispaniam reversurus post praedictum tempus. Carnes interim, nec non ova et lacticinia comedit diebus abstinentiae et ieiunii. Habet enim Bullam *Cruciatae,* et Romae non nisi peregrinus est.

Quaer. 1°. *Quid sit Bulla Cruciatae?* — 2°. *Quaenam sint gratiae et indulta praedictae Bullae?* — 3°. *An Xaverius recte agat?*

R. Ad 1^um^. *Cruciata* est Bulla primitus concessa hispanis, ob infidelium expugnationem, a. 1509. a Iulio II., ab aliis deinde Pontificibus, maxime vero a Gregorio XIII., ampliata est. Haec a Pio V. a. 1569. etiam Neapolitanis fuit concessa ad piratas repellendos. Haec Bulla, ex eius prorogatione per Summos Pontifices pluries repetita, adhuc viget,

etsi prima illa concessionis ratio cessaverit, tum in Hispania tum in antiquo Siciliarum regno; et eleemosynae in alias pias causas impenduntur.

Ad 2^um^. Gratiae et Indulta praedictae Bullae, quae conceduntur *omnibus christifidelibus, qui degunt in toto hispano territorio, vel qui in illud veniunt infra annum a publicatione Bullae, eleemosynas erogant ad pios fines, et eiusdem Bullae Summarium accipiunt.* Cf. *Summarium* eiusdem Bullae, titulo et par. *Primeramente,* sunt sequentes:

1°. Plures conceduntur Indulgentiae, tum partiales, tum plenariae, quae in eodem *Summario* referuntur.

2°. Conceditur, ut bis, nempe semel in vita, et semel in morte, eligere possint quemlibet confessarium approbatum ab Ordinario, *et ab eo recipere in foro conscientiae absolutionem a quibuslibet peccatis et censuris reservatis cuilibet Ordinario, et etiam Sedi Apostolicae, excepto crimine haereseos, et quoad ecclesiasticos excepta censura, de qua agit Const. Bened. XIV.* Sacramentum Poenitentiae, *salutari imposita poenitentia, satisfacta* parte, aliisque iniunctis de iure iniungendis. Cf. *Summarium* cit. par. *Para que.*

3°. Conceditur, ut *ab eodem confessario commutari possint in alia pia opera et aliquam eleemosynam vota simplicia, exceptis votis castitatis, religionis et peregrinationis ultramarinae.* Cf. *Summarium* cit. par. *Para que.*

4°. Conceditur praedictis Christifidelibus, *ut etiam tempore Interdicti, (dummodo eidem ipsi causam non dederint, vel per eos non steterit, quominus amoveatur);* et *habita ad id facultate a Commissario generali, etiam per horam antequam illucescat dies, et per horam post meridiem, possint, infra dictum annum, celebrare, si fuerint presbyteri, vel facere celebrare Missas et alia divina officia in sua, ac familiarum et domesticorum ac consanguineorum suorum praesentia, clausis ianuis, non pulsatis campanis, ac exclusis excommunicatis ac specialiter interdictis; et recipere Eucharistiam et alia sacramenta, excepto Paschatis die, tam in Ecclesiis, in quibus alia divina officia, Interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuerit, quam in privato Oratorio, ad divinum cultum tantum deputato, ab Ordinario visitato et designato; et possint divinis interesse, tempore Interdicti: ei tamen, qui privato Oratorio ad praedictum usus fuerit, imponitur, ut quoties id fecerit aliquas Deo fundat preces pro prosperitate Ecclesiae, extirpatione haeresum, fidei propagatione, et pace ac concordia Principum christianorum.* Item, ut *mortuorum corpora, nisi vinculo excommunicationis innodati decesserint, cum moderata funerali pompa sepeliri possint eodem Interdicti tempore.* Cf. *Summarium* cit. par. *Item à los arriba.*

5°. Conceditur, *ut, durante praedicto anno a publicatione Bullae, et degendo in praefato hispano territorio, non extra illud, possint comedere carnes, de utriusque medici consilio, si id exigeret necessitas, vel debilis sanitas corporis, vel alia quaevis causa, tempore ieiuniorum totius anni, etiam quadragesimalium, ac eodem tempore ad arbitrium ova et lacticinia, ita ut ieiunio satisfaciant qui tenentur ieiunare, carnes comedendo, et in reliquis lege ieiunii servata. In hoc indulto comprehenduntur religiosi cuiusvis Ordinis militaris; sed excipiuntur ab ipso Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Praelati inferiores, personae eccle-*

siasticae regulares, (nempe presbyteri) *et presbyteri saeculares, nisi aetate iam sint sexaginta annorum; et extra tempus quadragesimale ii omnes eodem Indulto uti possunt quoad ova et lacticinia.* Cf. *Summar.* cit. par. *Item que durante.* Quare praedicti excepti, nempe Patriarchae, Archiepiscopi etc. excipiuntur ab Indulto tantum lacticiniorum et tempore quadragesimali tantum; non vero vescendi carnibus ex utriusque medici consilio et ex iusta causa.

Atque hic notandum est: 1°. Ex antiqua consuetudine et ex generali concessione Pii VI. permissum in Hispania est carnes comedere diebus sabbati. Cf. Bened. XIV. de Syn. l. 11. C. 5.

2°. Praeter Bullam *Cruciatae,* aliud in Hispania est Indultum, nempe *Indultum Lacticiniorum,* quo Commissarius Bullae Cruciatae, idem lacticiniorum indultum, reliquis christifidelibus concessum in Bulla *Cruciatae,* ad personas extendit in eadem Bulla exceptas. Hae autem personae accipere debent Summarium eiusdem Indulti lacticiniorum, et taxatam dare eleemosynam. Exceptio tamen in hac extensione a Commissario ponitur *maioris hebdomadae;* adeoque illa extensio ad praecedens tantum quadragesimale tempus coarctatur.

3°. Aliud item adest in Hispania Indultum, nempe *Indultum carnium,* quo conceditur omnibus christifidelibus utriusque sexus, saecularibus et ecclesiasticis, etiam religiosis, iis exceptis, qui ad abstinentiam voto sunt adstricti, ut possint comedere carnes salubres, adeoque etiam ova et lacticinia, omnibus diebus, exceptis fer. IV. cinerum, feriis VI. quadragesimae, fer. IV. V. VI. et sabbat. maioris hebdomadis, vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. V. M., SS. Apostolorum Petri et Pauli; et exceptis etiam pro iis qui sunt e clero, seu pro sacerdotibus, fer. II. et III. maioris hebdomadis. Summarium autem Indulti suscipiendum est, et taxata solvenda est eleemosyna, et simul suscipienda est Bulla *Cruciatae,* et pro ecclesiasticis suscipiendum etiam est Indultum *Lacticiniorum,* ut nempe iis uti possint *tempore quadragesimali,* si nondum sexagesimum aetatis annum expleverint. Cf. *Summar.* eiusdem Indulti. — In iis igitur exceptis diebus vi *Indulti carnium* non licet carnes, vel ova et lacticinia, manducare: licet vero iisdem diebus carnes, ova et lacticinia manducare vi Bullae *Cruciatae,* et vi *Indulti lacticiniorum,* prout in ea Bulla et in hoc Indulto permittuntur. Cf. hic par. 5°. *Conceditur* et par. 2°. *Praeter.*

4°. *Pauperes,* loco eleemosynae, aliquas tantum tenentur preces effundere, secundum Summi Pontificis mentem, ut Indulto carnium, et ut videtur, Bulla etiam *Cruciatae* gaudeant. In Brevi enim Pii IX. 20. Aprilis 1866. *onus duplicis eleemosynae* non nisi *divitibus* imponitur.

5°. Potest quis, bis quovis anno sumere *Summarium* Bullae *Cruciatae,* data pro unoquoque taxata eleemosyna, et poterit tunc praedictis gratiis bis in anno frui. Cf. *Summarium* cit. par. *Item se concede asimismo.*

6°. Aliae conferuntur gratiae ipsi Commissario Generali, nempe dispensandi ab irregularitate, contracta ob violatam censuram, et ab aliis quibusdam irregularitatibus ex delicto provenientibus; revalidandi titulos beneficiorum eadem irregularitate susceptorum, sed non omnium; celebrationis missae una hora ante auroram, et una hora post meridiem; compositionis faciendae quoad restitutionem; dispensandi super impedi-

mento occulto affinitatis ex copula illicita. Cf. *Summarium* cit. par. *Y à nos el Commissario General* seqq., — M. E. V. 2. P. 2. p. 181., P. 3. p. 88., V. 8. P. 1. p. 275. seqq.

Ad 3um. Xaverius hispanus illicite agit Romae comedens diebus prohibitis abstinentiae et ieiunii carnes, ova et lacticinia. Bulla enim Cruciatae *personale* indultum non est, sed *locale,* ut expresse in ipso *Summario* Bullae cavetur. Idem de Xaverio dicendum esset, si neapolitanus esset, ut clare etiam asseritur in eiusdem Indulti Instructione nuper iterum edita. Cf. M. E. V. 8. P. 1. p. 275. seqq.

2°. Ignatius, hispanus, Bullam tantum sumpsit *Cruciatae,* quin etiam Indultum carnis sumpserit, eaque utitur carnes comedens et lacticinia.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Bulla *Cruciatae,* uti etiam *Indultum lacticiniorum* valet, eoque uti quis potest, quamvis non habeat *Indultum carnis.* Hoc vero Indultum non valet pro illis, qui taxatam eleemosynam dare possunt, et qui eo uti non possunt, si non habeant Bullam Cruciatae et, qui sunt ecclesiastici, Indultum lacticiniorum, ut aperte constat ex Summario Indulti *carnium.* Quare Ignatius inquietandus non videtur, dummodo tamen non praetergrediatur limites concessionis Bullae *Cruciatae.* Etenim B. Cruciatae d. 4. Dec. 1877. conceditur christifidelibus, ut « tam quadragesimalibus quam ceteris eius anni diebus, quibus usus carnium, ovorum et lacticiniorum prohibitus est, iisdem ovis et lacticiniis, ac etiam carnibus, de utriusque tamen medici consilio, si necessitas, vel infirma corporis valetudo, aut alia quaecumque indigentia exegerit, uti et vesci, servata scilicet in reliquis ieiunii lege, libere ac licite valeant ». Ubi apparet quod restrictio quaedam apponatur pro carnibus, *necessitatis, infirmae valetudinis, alterius indigentiae,* et *de utriusque medici consilio;* nulla vero apponatur restrictio necessitatis vel alterius causae pro ovis et lacticiniis; *servata in reliquis ieiunii lege,* videlicet unicae refectionis cum frustulo matutino, et serotina collatione.

3°. Paschalis quinquagenarius, presbyter neapolitanus, vi Bullae Cruciatae, et vi Responsi S. Poenitent. 16. Ian. 1834., Cf. Enchir. Mor. N. 499., diebus ieiunii in serotina etiam refectiuncula larido utitur liquefacto per modum condimenti. Itemque ovis et lacticiniis vescitur etiam maiori hebdomada.

Quaer. *An recte?*

R. In cit. Responso S. Poenit. dicitur quidem, quod ii, qui ad ieiunium tenentur licite uti possint in serotina etiam refectione condimentis in Indulto permissis. Attamen in eodem Responso restrictio apponitur, videlicet: *dummodo in Indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione.* Porro haec restrictio habetur in C. *Catholicae Ecclesiae* Pii VI. 21. Nov. 1777., qua Neapoli-

tanis Provinciis conceditur usus ovorum et lacticiniorum *unica tantum comestione in die*. Itemque in eadem Const. conceditur facultas pro omnibus quadragesimae diebus utendi ovis et lacticiniis, etiam maiori hebdomada; sed excipiuntur ab hac ultima concessione Archiepiscopi, Episcopi, Praelati, religiosi et sacerdotes saeculares *nisi sexagesimum aetatis annum compleverint*. Sacerdotibus vero sive regularibus, sive saecularibus, qui iam expleverunt praedictam aetatem usus conceditur praedictorum ciborum etiam Dominica in Palmis et per maiorem hebdomadam. Neque vero haec revocata sunt, sed potius confirmata per aliam Const. *Quamvis Pastoralis* 20. Nov. 1778. Quare Paschalis quoad utrumque non recte agit.

Confirmatur ex recentiori Instructione, quae habetur apud M. E. V. 8. P. 1. p. 275. seqq. Par. III. haec habentur quoad praesentem rem: « Quanto al privilegio di usar uova latticinii e strutto, che si usa a modo di condimento è cosa notissima: 1°. che di tal privilegio possono avvalersi i fedeli *in tutti i giorni dell' anno, senza alcuna eccezione, purchè dimorino nel territorio delle provincie del Napolitano:* di tal che se ne escano da esso territorio, e vadano a dimorare altrove, anche per breve tempo, non potranno godere di questa concessione; nei giorni però *di quaresima,* tranne le domeniche, come pure in tutti gli altri giorni *di digiuno* non è loro consentito l' uso di detti cibi, *fuorchè una sola volta al giorno,* cioè nell' unica comestione, qualora o per ragione di età o di altra causa escusante *non vadano esenti dal digiuno in quanto all' unica comestione:* 2°. che i sacerdoti ed i religiosi professi dell' uno e l' altro sesso potranno al presente anche essi fruire di tal privilegio, *eccetto la settimana maggiore per quelli che non hanno compito l' età di anni 60* a cominciare dalla domenica delle Palme: quei religiosi però, che per proprio Istituto sieno obligati alla perpetua quaresima, in nessun giorno dell' anno potranno avvalersi di tal concessione ».

A. M. D. G.

INDEX CASUUM

De Actibus humanis

1. De Voluntario . . . . . PAG. 3
2. De Libero. . . . . » 4
3. De Non Voluntario et Involuntario . . . . . » ibid.
4. De Intentione plurium. . . . . » 5
5. De Intentione actuali et virtuali . . . . . » 6
6. De Voluntario indirecto. . . . . » ibid.
7. Involuntarium et ignorantia . . . . . » 7
8. Peccatum ex ignorantia . . . . . » 8
9. De Contracto habitu . . . . . » ibid.
10. De Concupiscentia et Ira. . . . . » 9
11. De Voluntario ex metu . . . . . » 10
12. De Fine agentis. . . . . » 11
13. Agere propter voluptatem, propter Deum . . . . . » 12
14. De Moralitatis Obiecto . . . . . » 13
15. De Humanorum actuum circumstantiis . . . . . » ibid.

De Conscientia

16. De Conscientia erronea . . . . . » 15
17. De Conscientia probabili. . . . . » 16
18. De Probabilismi extensione. . . . . » 20
19. De Usu probabilitatis . . . . . » 21
20. Confessarius opinionem imponens. . . . . » 22
21. Opinionis mutatio . . . . . » 23
22. De Conscientia dubia. . . . . » 24
23. De Conscientia scrupulosa . . . . . » 25

De Legibus

24. De Natura legis . . . . . » 27
25. De Promulgatione legis . . . . . » 28
26. De Promulgatione legis canonicae. . . . . » 29
27. De Obiecto legis . . . . . » 30
28. De Auctore legis . . . . . » 31
29. De Potestate abbatissae monialium. . . . . » 32
30. De Subiecto legis . . . . . » 33
31. De Obligatione legis in praesumptione fundatae . . . . . » 34
32. De Adimpletione legis . . . . . » 35
33. De Modo satisfaciendi legi . . . . . » 36
34. De Appositione impedimentorum in observantia legis . . . . » ibid.

35. De Cessatione legis. . . . . PAG. 39
36. De Lege irritante . . . . . » ibid.
37. De Lege poenali . . . . . » 40
38. De Lege tributorum . . . . . » 42
39. De Lege militiae . . . . . » ibid.
40. De Legis dispensatione. . . . . » 44
41. Dispensatio data peregrinis . . . . . » 45
42. Dispensatio ante denegata et deinde concessa. . . . . » 46
43. Dispensatio sine causa. . . . . » 47
44. Cessatio dispensationis. . . . . » 48
45. De Privilegiis. . . . . » 49
46. De Rescriptis. . . . . » 50

De Peccatis

47. De Displicentia boni peracti. . . . . » 52
48. De Consensu ad peccatum requisito . . . . . » ibid.
49. De Omissione boni perfectioris . . . . . » 53
50. De Specifica peccatorum distinctione. . . . . » 54
51. Infima peccatorum species. . . . . » 55
52. Numerica peccatorum distinctio. . . . . » 56
53. De Superbia. . . . . » 57
54. De Episcopatus desiderio . . . . . » 58
55. De pretiosis vestibus . . . . . » 59
56. De Discordia et Contentione. . . . . » 60
57. De Avaritia . . . . . » 61
58. De Invidia. . . . . » ibid.
59. De Ebrietate . . . . . » 62
60. De Ira. . . . . » 63
61. De Acedia. . . . . » ibid.

De Fide, Spe et Caritate

62. De Necessario credendis . . . . . » 64
63. De Obligatione actus fidei . . . . . » 65
64. De Fidei professione . . . . . » ibid.
65. De Locatione quoad gentiles. . . . . » 67
66. De Emptione quoad gentiles. . . . . » 68
67. De Deposito quoad gentiles. . . . . » ibid.
68. De Infidelium transvectione . . . . . » ibid.
69. De Tributo infidelibus solvendo . . . . . » ibid.
70. De Crucis conculcatione. . . . . » 69
71. Communicatio cum haereticis . . . . . » 71
72. Mulier haeretica in morte absoluta . . . . . » 72
73. Communicatio cum infidelibus. . . . . » 73
74. De Instructione castae hominum vulgo *Mangiò* . . . . . » 74
75. De Peccatis contra spem. . . . . » 75
76. De Caritate erga proximum. . . . . » 76
77. De Dilectione inimicorum . . . . . » 77
78. De Eleemosyna . . . . . » 78
79. De Correptione fraterna . . . . . » 79
80. De Monitione facienda . . . . . » 80
81. De Scandalo. . . . . » ibid.
82. De Appositione occasionis peccati. . . . . » 81
83. De Cooperatione quoad fidem. . . . . » 82
84. De Cooperatione quoad iustitiam. . . . . » 83

De Primo Decalogi Praecepto

85. De Novis Cultibus . . . . . PAG. 85
86. De Reliquiarum cultu . . . . . » 86
87. De Divinatione . . . . . » 87
88. De Vana observantia . . . . . » 88
89. De Magnetismo et Hypnotismo . . . . . » 89
90. De Tentatione Dei . . . . . » 90
91. De Sacrilegio . . . . . » 92
92. De Simonia mentali et conventionali . . . . . » 93
93. De Simonia reali . . . . . » 94
94. Functiones sacrae propter stipendium . . . . . » 95
95. De Simonia confidentiali . . . . . » 96
96. De Simoniacae collationis nullitate . . . . . » 97

De Secundo Decalogi Praecepto

97. De Vana Nominis Dei usurpatione . . . . . » 98
98. De Blasphemia sine intentione . . . . . » ibid.
99. De Blasphemia ex ira . . . . . » 99
100. De Iuramento ex consuetudine et ira . . . . . » ibid.
101. De Iuramento non ludendi . . . . . » 100
102. Iuramentum redeundi in carcerem . . . . . » 101
103. Iuramentum secretum servandi . . . . . » ibid.
104. De Variis iuramenti formulis . . . . . » 102
105. De Iuramento in iudicio . . . . . » ibid.
106. De Iuramento cum restrictione mentali . . . . . » 103
107. De Voto sub imperfectione . . . . . » ibid.
108. De Duplici voto incompossibili . . . . . » 104
109. De Voto conditionato . . . . . » 105
110. De Voto disiunctivo . . . . . » ibid.
111. De Voto reservato . . . . . » 106
112. De Voti interpretatione . . . . . » ibid.
113. De Voti irritatione . . . . . » 107
114. De Voti dispensatione . . . . . » 108
115. De Facultate a voto dispensandi . . . . . » 110
116. De Voti reservati dispensatione . . . . . » ibid.
117. De Dispensatione votorum religiosorum . . . . . » 112
118. De Dispensatione voti religiosae castitatis . . . . . » 114

De Tertio Decalogi Praecepto

119. De Sanctificatione festorum . . . . . » 115
120. De Auditione missae . . . . . » 117
121. De Oratorio Privato . . . . . » 119
122. De Abstinentia ab operibus Servilibus . . . . . » 120

De Quarto Decalogi Praecepto

123. De Filiorum obligationibus . . . . . » 122
124. De Filiorum obedientia . . . . . » 123
125. De Filiorum dominio . . . . . » 124
126. De Parentum obligationibus . . . . . » 127
127. De Coniugum obligationibus . . . . . » 128
128. De Coniugum dominio . . . . . » ibid.

129. De Uxoris lucro . . . . . PAG. 129
130. De Uxoris contractu . . . . . » 131
131. De Iure successionis ex matrimonio, vel tantum ecclesiastico vel tantum civili . . . . . » 132
132. De Successione filiorum adulterinorum, sacrilegorum . . . . » 135
133. De Obligationibus dominorum. . . . . » 137
134. De Obligationibus discipulorum . . . . . » 138
135. De Obligationibus subditorum. . . . . » 139

De Quinto Decalogi Praecepto

136. Vitae periculo se exponere . . . . . » 140
137. E fenestra sese proiicere. . . . . » 141
138. Breviatio vitae . . . . . » 142
139. De Vitae defensione . . . . . » 143
140. De Honoris defensione . . . . . » 144
141. De Bonorum defensione. . . . . » 145
142. De Homicidio . . . . . » 146
143. De Abortu . . . . . » ibid.
144. De Operatione caesarea . . . . . » 147
145. De Duello. . . . . » 148
146. De Bello . . . . . » 149
147. De Anarchia. . . . . » 150

De Sexto Decalogi Praecepto

148. De Inhonestis cogitationibus . . . . . » 150
149. De Inhonestis aspectibus . . . . . » 153
150. De Inhonestis lectionibus . . . . . » 154
151. De Inhonestis colloquiis . . . . . » 155
152. De Osculis et amplexibus . . . . . » ibid.
153. De Choreis et spectaculis . . . . . » ibid.
154. De Fornicatione . . . . . » 156
155. De Stupro . . . . . » 157
156. De Usu matrimonii . . . . . » 159
157. De Onanismo . . . . . » 161
158. De Conceptionis impedimento. . . . . » 162
159. De Pollutione voluntaria in causa . . . . . » 165
160. De Involuntaria pollutione . . . . . » 166

De Septimo Decalogi Praecepto

161. De Bonis ecclesiasticis . . . . . » 168
162. De Dominio clericorum . . . . . » 169
163. De Occupatione. . . . . » 170
164. De Occupatione animalium . . . . . » 171
165. De Thesauro . . . . . » ibid.
166. De Inaedificatione . . . . . » 172
167. De Alluvione et Commixtione . . . . . » 173
168. De Specificatione et Commixtione . . . . . » ibid.
169. De Commixtione . . . . . » 174
170. De Praescriptione onerum missarum. . . . . » ibid.
171. De Census perpetui praescriptione . . . . . » 175
172. De Possessione ad praescriptionem requisita . . . . . » 177
173. De Tempore ad praescriptionem requisita . . . . . » ibid.

174. De Mobilium praescriptione . . . . . PAG. 177
175. De Immobilium praescriptione. . . . . » 178
176. De Praescriptionis interruptione . . . . . » ibid.
177. De Dolo in contractu . . . . . » ibid.
178. De Metu in contractu . . . . . » 179
179. De Forma actuum . . . . . » 180
180. Contractus sub conditione . . . . . » 181
181. Contractus sub modo. . . . . » 185
182. De Promissione . . . . . » 186
183. De Donatione mortis causa. . . . . » ibid.
184. Donatio absenti facta . . . . . » 187
185. Donatio manualis . . . . . » 188
186. Donationis reductio . . . . . » 190
187. De collatione . . . . . » ibid.
188. Donationis revocatio . . . . . » 191
189. De Testamento holographo . . . . . » 192
190. De Testamento publico . . . . . » 193
191. De Legitima. . . . . » 194
192. Testamentum inter coniuges . . . . . » 196
193. Fidei Commissum . . . . . » ibid.
194. De Revocatione testamenti . . . . . » 198
195. Testamentum casu destructum. . . . . » ibid.
196. De Patrimonio dividendo inter filios ab intestato patri succedentes. » 200
197. De Legatis . . . . . » 201
198. De Legatiis piis. . . . . » 203
199. Legata pia retardata . . . . . » 205
200. De Commutatione pii legati . . . . . » 206
201. De Commodato. . . . . » 207
202. De Deposito . . . . . » 208
203. De Mutuo . . . . . » 210
204. Mutuata pecunia . . . . . » 211
205. De Filiifamilias mutuo . . . . . » 212
206. De Uxoris mutuo . . . . . » 213
207. Haeredes usurarii . . . . . » 214
208. De Mandato. . . . . » 215
209. De Negotiorum gestione . . . . . » 216
210. Res Vendita periens . . . . . » ibid.
211. Res bis vendita . . . . . » 217
212. Error in venditione . . . . . » 218
213. De Iusto pretio. . . . . » 219
214. Venditio sub hasta. . . . . » ibid.
215. De Evictione. . . . . » 220
216. De Domus locatione . . . . . » 221
217. De Locatione operae . . . . . » 222
218. De Locatione operis . . . . . » 223
219. De Operariorum salario . . . . . » 224
220. De Coloniis partiariis. . . . . » 229
221. De Locatione animalium. . . . . » 230
222. De Ludo . . . . . » 233
223. De Transactione . . . . . » 234
224. De Furto. . . . . » ibid.
225. De Iniustitiae reparatione . . . . . » 236
226. De Restitutione ex iniusta acceptione . . . . . » 238
227. De Restitutione ex re aliena . . . . . » ibid.
228. De Restitutione, quia ditior quis factus ex re aliena . . . . » 239
229. De Restitutione ex iniusta damnificatione . . . . . » 242

230. De Restitutione ex homicidio . . . . . PAG. 244
231. De Restitutione ex contractu . . . . . » 246
232. De Restitutione ex iudicis sententia . . . . . » 247
233. De Restitutione ex iniusta cooperatione. . . . . » 248
234. Cuinam sit restituendum. . . . . » 249
235. Quantum sit restituendum . . . . . » 250
236. Quo ordine restituendum . . . . . » ibid.
237. Quomodo sit restituendum . . . . . » 251
238. Quando sit restituendum. . . . . » 252
239. De Causis a restitutione excusantibus . . . . . » 253
240. De Occulta compensatione . . . . . » 254

De Octavo Decalogi Praecepto

241. De Suspicione . . . . . » 255
242. De Detractione . . . . . » 256
243. De Susurratione . . . . . » 257
244. De Restrictione mentali . . . . . » 258
245. De Secreto commisso. . . . . » 259
246. De Secreto litterarum. . . . . » 260

De Praeceptis Ecclesiae

247. De Decimis . . . . . » 262
248. De novorum festorum institutione . . . . . » ibid.
249. De Annua confessione . . . . . » 263
250. De Communione paschali . . . . . » 264
251. De Abstinentia . . . . . » ibid.
252. De Lege ieiunii. . . . . » 265
253. De Ciborum promiscuitate . . . . . » 266
254. De Abstinentiae dispensatione . . . . . » 267
255. De Bulla Cruciatae . . . . . » 268

IMPRIMATUR

Fr. Raphaël Pierotti O. P. S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Patr. Constantinop. Vicesgerens

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

CASUS CONSCIENTIAE

PROPOSITI

A CARD. DE LUGO

A P. BENIAMINO ELBEL A P. IOANNE PETRO GURY

ALIISQUE AUCTORIBUS

RESOLUTI

A P. IANUARIO BUCCERONI S. J.

ACCEDUNT

PLURES CASUS RESOLUTI A SS. ROM. CONGR.

VOLUMEN SECUNDUM

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1894.

APPROBATIO

Cum Opus, cui titulus: *Casus conscientiae,* etc. P. Ianuarii Bucceroni S. J., aliqui e. S. Theologi recognoverint, et probaverint, facultatem concedimus, ut typis edatur.

Romae die 1 Nov. 1892.

EMMANUEL DE CARO S. J.
PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE

ABBREVIATIONES

G. 5. = Gury Cas. Consc. in eodem Tr. num. 5.
I. M. 5. = Institutiones Morales in eodem Tr. num. 5.
M. E. V. 7. P. 1. p. 5. = Monitore Ecclesiastico, Conversano, Vol. 7. Part. 1. pag. 5.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

DE PARTICULARIBUS LAICORUM OBLIGATIONIBUS

1. — DE PROVINCIAE PRAEFECTO

Ferdinando piissimo viro, provinciae praefecto, commissa fuit executio Decreti familiarum expellendarum ex eadem illa provincia, cui praeest. Quod si exequi renueret, officio ipse renuntiare omnino deberet, et alius omnino pravus substitueretur eius loco praefectus, qui statim, et durius, Decretum illud certo exequetur.

Quaer. *An Ferdinandus praedictum Decretum exequi possit, praecipiendo, ut vi etiam militari, ubi opus sit, religiosi e propriis domibus expellantur.*

R. Negative. Etenim 1°. non videtur, quod in huiusmodi circumstantiis, Ecclesia cedat iuri suo, liberae existentiae religiosorum Ordinum, et ecclesiasticae immunitatis. 2°. Non apparet sane, quomodo *piissimus vir* possit praecipere executionem tam iniqui et iniusti Decreti, *sine publico scandalo*. 3°. Si ratio illa, quae praecipua est, renuntiationis officii valeret pro Praefecto, cui incumbit onus executionis Decreti; tunc etiam dicendum esset excusari ipsum supremum Ministrum Gubernii, ferentem tale Decretum, si secus suo officio cedere deberet. Si enim illud *executionis mandatum* iniquum, iniustum et scandalosum est; multo magis iniquum, iniustum et scandalosum est *ipsum Decretum*. Porro nemo est, qui excusabit unquam supremum Ministrum Gubernii, ea ratione, quod secus suo officio cedere deberet. Secus, iam similibus Decretis posset impune impetere quodlibet aliud Ecclesiae ius, quod directe cedit in publicum Religionis damnum: nam quilibet Minister, qui nollet huiusmodi Decretis subscribere, is cogeretur certe officio suo renuntiare. Quod autem alius non desit, qui malum hoc sit praestiturus et peius; hoc licitum reddere non potest illud quod intrinsece illicitum est, ratione scandali, ratione odii in Religionem, ratione iniuriae in legitimam libertatem Ecclesiae, Ecclesia quidem rationabiliter invita et contradicente.

2. — DE IUDICIBUS

1°. Festus parochus, propter gravem et urgentem mortis causam, matrimonio coniunxit Caium et Semproniam concubinarios, quin antea hi civile matrimonium coram civili magistratu contraxissent. Accusatur Festus, tanquam reus violatae legis coram iudice, optimo viro et ferventi catholico. Hinc valde dubius iudex suum adit confessarium, ab ipso

petens, utrum debeat suo officio renuntiare, vel an possit condemnatoriam sententiam in parochum ferre.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Iudex curare primum debet omni modo parochum, in casu, absolvere, et innocentem declarare. Parochus enim per se legitime egit. Quin imo legitime egit, ea etiam stante lege praecedentiae matrimonii civilis. Lex enim legitimae obnoxia est epicheiae, et, in casu, legitima apparet epicheia. Si nullo modo iudex sententiam ferre possit pro parocho, neque possit ipse iudicium declinare; non videtur teneri tunc officio cedere. Quamvis enim de lege agatur omnino dura et iniusta; res tamen non est intrinsece mala, et ubi aliter fieri non potest, toleratur; adeoque nec eam executioni mandare intrinsece malum est. Neque item intrinsece malum est mulcta aliqua pecuniaria, e. g., parochum condemnare, in casu, *praecise* propter legem non observatam, praescindendo a praedicta epicheia, quam lex civilis et fori praxis non admittit. Tunc enim non condemnatur omnino innocens, saltem secundum speciem et formam iudicii, sed reus legis violatae, secundum nempe praesumptionem externi fori, et secundum allata et probata. Parochus vero propter maius et iudicis et communitatis nocumentum, si alius pravus substituendus esset iudex, rationabiliter censetur iuri suo cedere, quoad praedictam mulctam solvendam. Quare praevalere videtur, in casu, grave iudicis nocumentum, qui secus officio renuntiare deberet, et grave simul communitatis nocumentum, quod profecto adesset, si pravus iudex sufficeretur. Iudex autem curare debet in casu, ut quam minimam mulctam decernat; et ut in praeviis sententiae considerationibus removeat quamlibet contra parochum iniuriosam insinuationem, ita ut et omne removeatur scandalum, et ipsa sententia satis intelligatur, se legis rigori dumtaxat cedere, legitimam aliunde epicheiam non admittenti. — Cf. D'Annib. Summ. Ed. 3ª. P. 2. n. 592., I. M. 19.

2°. Lambertus iudex cogitur sententiam ferre divortii ab ipso vinculo matrimonii, quam *secundum vigentem legem,* huiusmodi divortium permittentem et novum matrimonium consequenter auctorizantem, coniux contra coniugem *petit;* secus officio suo Lambertus omnino cedere deberet.

Quaer. *An licite Lambertus praedictam sententiam, in Casu, ferre possit?*

R. Negative. Agitur enim in casu de lege intrinsece illicita, utpote contraria iuri naturali et divino, quam consequenter iudex sua sententia executioni mandare non potest. Id praeterea constat ex pluribus Decisionibus S. C. et S. Poenit. Cf. Enchir. Mor. N. 1. Confirmatur ex eo quod evidenter pro coniugibus intrinsece illicitum est petere a iudice divortium a vinculo matrimonii, et consequenter auctorizationem ad alias nuptias convolandi. Ergo hoc idem concedere, et auctoritative concedere, publico actu, intrinsece illicitum pro iudice est. I. M. 983. Cf. Commentar. De Sententia divortii quoad vinculum matrimonii a iudice laico ferenda.

P. Matthaeus Liberatore, recentiorum philosophorum facile princeps, doctrinam recensens praedicti Commentarii de intrinseca illiceitate illius sententiae, eam sic exponit: « Se la dottrina dell'Angelico è vera, come è verissima sul valore intrinseco, autoritativo e giuridico della sentenza del giudice; se è vero, come è verissimo, che la legge del divorzio è intrinsecamente iniqua ed ingiusta; per certo intrinsecamente iniqua ed ingiusta è la sentenza di divorzio pronunziata da un giudice laico... Che cosa possa obbiettarsi seriamente contro tale discorso, fondato su verissimi e certissimi principii, noi non veggiamo ». Civiltà Cattolica S. 13. V. 8. p. 336.

3. — DE SYNDICO

1°. Gerulfus Syndicus civili assistit matrimonio duorum sponsorum, qui ambo praecedenti matrimonio sunt ligati, sed a propriis coniugibus per sententiam divortii, secundum vigentem legem, iam separati sunt. Contendit Gerulfus id ipse licite facere posse, quia eius assistentia mere civilis quaedam caeremonia est.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Gerulfus omnino illicite agit. Eius enim praesentia non est mera civilis caeremonia; sed est solemnitas quaedam iuris, civilem praebens auctoritatem, in casu particulari exposito, legali adulterio, seu adulterio contracto secundum civilium legum normam. Id praeterea constat ex Responsis S. C. et S. Poenit. Cf. Enchir. Mor. N. 1. Ac, cum Syndicus, in praedicto casu, non solum ponit actum intrinsece illicitum, verum etiam iniustum contra priorem legitimam uxorem, et legitimos filios, ad damnorum compensationem tenetur, si ea adulter renuat compensare. Syndicus enim iniusto illo actu efficaciter in ea influit damna.

Neque vero valet obiicere, quod civile matrimonium in casu intrinsece illicitum non est; unde saltem permitti posset in gravissimo et rarissimo aliquo casu. Matrimonium enim civile, cum non sit verum matrimonium, *per se* non impedit, quominus quis prioris legitimi matrimonii impleat obligationes. Hoc enim verum non est; nam ut possit *de facto* vir, e. g., post civile matrimonium redire ad legitimam uxorem opus est consensu compartis. Ergo civile illud matrimonium actus est *per se* et *natura sua* legale sanciens adulterium contra ecclesiasticum et legitimum matrimonium. De huiusmodi syndico quidem dici non potest, ut praescribitur a S. Poenit. 20. Mart. 1855., quod *nihil peragat contra sanctitatem matrimonii, et necessitatem illud contrahendi coram Ecclesia.* De huiusmodi syndico dici non potest, ut habetur ex eadem S. Poenit. quod *scandalum removeat,* cum e contra illud suo firmet actu.

2°. Torquatus Syndicus, fervens catholicus, matrimonio civili assistit Tullii et Tulliae, quos cognoscit canonicum matrimonium neque antea contraxisse, neque postea velle contrahere. Torquatus suam denegare non potest assistentiam; nam secus et gravi mulctae et depositioni ab officio erit obnoxius.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Torquatus, in casu, praedicto matrimonio assistere potest. Etenim ad praedictum casum S. Poenit. 20. Mart. 1855. respondit: « Posse tolerari, dummodo Officiales civiles in conficiendis huiusmodi actis intendant exercere caeremoniam mere civilem, *et nihil peragant,* aut suadeant *contra sanctitatem matrimonii, et necessitatem illud contrahendi coram Ecclesia,* quinimo hortentur ad illud coram ipsa Ecclesia contrahendum; habitis prae oculis sanctissimis Religionis nostrae legibus, et litteris Bened. XIV. *Redditae sunt nobis,* de quibus, ad scandalum removendum, contrahentes moneant. Quod vero attinet ad casus, in quibus appareat, fideles, ad caeremoniam civilem accedentes, male esse dispositos, neque matrimonium, quod regulariter praemitti debuisset, coram Ecclesia esse celebraturos, sed sub praetextu contractus civilis in concubinatu permansuros, ipsos officiales dirigendos esse iuxta regulas a probatis auctoribus, ac praesertim a S. Alph., l. 2. tr. 3. C. 2. Dub. 5. art. 3., circa cooperationem traditas ». Porro praedictis litteris Ben. XIV. tradit, quod, cum catholici civili magistratui se sistunt, *actum exercent mere civilem,* ac nisi coram ministro catholico, et duobus testibus, matrimonium esse celebrandum, secus neque unquam *legitimi coniuges* erunt, neque unquam *legitima proles.* Haec autem circa cooperationem docet S. Alph. l. c.: « Dicendum, illam esse *formalem,* quae concurrit ad malam voluntatem alterius, et nequit esse sine peccato: *materialem* vero illam, quae concurrit tantum ad malam actionem alterius, praeter intentionem cooperantis. Haec autem est licita, quando per se actio est bona et indifferens, et quando adest iusta causa et proportionata ad gravitatem peccati alterius et ad proximitatem concursus, qui praestatur ad peccati executionem ». Cf. I. M. V. 1. 440. Porro Torquatus Syndicus non cooperatur in casu *formaliter,* ad pravam Tullii et Tulliae voluntatem, neque *intentione,* ut supponitur; neque *actione,* actus enim syndici caeremonia est, in casu, mere civilis, robur de se praestans matrimonio contracto vel contrahendo, quoad effectus civiles. Civili enim iure ordinari et administrari res possunt, quas matrimonia ex sese afferunt in genere civili, intacto relicto ipso matrimonio; quod Ecclesiae legibus regitur inter christianos. Quod autem Tullius et Tullia, neque antea matrimonium contraxerint neque velint postea matrimonium contrahere, hoc tantum ex eorum prava voluntate est. Cooperatio syndici mere materialis est, actu, uti apparet, non tantum indifferenti, sed ex se honesto et licito, quo praedicti sponsi ex propria tantum malitia abutuntur. Neque vero desideratur iusta et proportionata causa, qualis profecto est et gravis mulcta, cui syndicus secus subiiceretur, et eius ab officio depositio, quod cederet in grave damnum privatum ipsius syndici, et commune ipsius societatis; quia secus honesti et religiosi officiales publici pravis et iniquis officialibus, publico damno, substituerentur.

4. — DE ADVOCATIS

Hyparcus, advocatus, causam defendendam suscepit nobilis cuiusdam viri, qui praeter ordinarium honorarium, mille libellas praeterea ei promisit, si victoriam esset reportaturus. Hyparcus sine mora causam defendit, et victoriam magno plausu reapse obtinuit.

Quaer. *An licite Hyparcus recipere possit praeter ordinarium honorarium mille libellas ei promissas.*

R. Affirmative. Nam primo extraordinarium illud stipendium non exigitur ab advocato, sed sponte ei promittitur. Nemo autem tenetur recusare quod sponte ab aliis ipsi offertur. Praeterea, cum advocatus causam obtinuerit magno plausu, extraordinarium studium et diligentiam adhibere debuit, vel saltem advocatus esse debet non ordinarii ingenii et nominis, et ex hoc capite non ordinarium stipendium recipere et exigere etiam potuisset, respectu aliorum communium advocatorum. Quin imo vel pro sola victoria recipere et exigere potuisset stipendium ultra consuetum, praescindendo etiam ab eius extraordinario studio et diligentia, ab eius nomine et fama. Ratio est primo, quia, si successus, attentis omnibus circumstantiis, apparuisset valde dubius, ita ut aequalitas inter spem et metum servata esset, fuisset tunc contractus ex parte aleatorius. Quod bene observat Gury n. 9. Ratio praeterea est, quia obtenta victoria advocatus rem praestat suo clienti maxime utilem et pretio aestimabilem. Quare verum non est, quod idem Gury habet l. c., quod nempe advocatus « exigere nequit stipendium ultra consuetum, etiam pro casu, in quo causam sit obtenturus. Victoria enim eius labori et curis nihil addit, neque pro victoria, sed pro studio et diligentia mercedem accipit. Ergo id quod accipit pro victoria obtenta iniuste accipit, et id restituere debet ». Sane victoria multum addit operae et labori advocati. Victoria est, quae eius operam et laborem utilem vere facit et maxime pretio aestimabilem; victoria intime cum ipsa defensione connectitur. I. M. 40.

5. — DE NOTARIIS

1°. Homobonus, catholicus notarius, cogitur ratione sui officii sub poena carceris, actum conficere venditionis et emptionis cuiusdam domus et parvi horti annexi, olim Conventus Patrum Capuccinorum. Domum et hortum a Demanio emit quidam Tiburtius, qui nunc cuidam Curtio vendit praedictum Conventum. Homobonus anxius quaerit a suo confessario, utrum praedictum actum conficere possit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Videtur, quod possit Homobonus praedictum actum conficere. Etenim de re non agitur certe intrinsece mala, ex parte ipsius notarii; siquidem Tiburtius et Curtius, bene possunt debitam petere veniam hac in re, si velint ab Apostolica Sede. Praeterea non agitur de directa spoliatione Ecclesiae; siquidem iam praedicta bona a Gubernio usurpata vendita sunt; sed agitur de mera transmissione eorundem bonorum ab uno possessore in alium; adeoque ille notarii actus non est quasi consummans et perficiens iniustam spoliationem, quae iam perfecta est: neque eam possessionis transmissione ullo modo confirmat vel auget, quemadmodum etiam notarius actum renuens conficere non eam removet vel infirmat; alius enim non deerit pravus notarius, qui actum conficiat. Postremo, si qua sit adhuc difficultas, non desideratur sane in casu praesumptus Ecclesiae consensus. Si enim in simili casu non desideratur

quoad privatorum bona, consensus rationabiliter praesumptus domini propter privatum notarii grave damnum, et grave societatis nocumentum, multo magis non deerit in casu praesumptus consensus Ecclesiae; quem certe expedit explicite petere, propter publicam aedificationem. Facile autem conceditur propter allatas iam rationes. — Cf. Génnari Consultaz. Morali etc. P. 1. Cons. 16., I. M. 19.

2°. Rutilius, notarius, bene advertit in contractu venditionis alicuius domus non declarari verum pretium a contrahentibus, sed minus; nempe ut minus persolvant tributum. Actum perficit Rutilius, et praedictum pretium in eo consignat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Rutilius inquietandus non videtur. Ipse enim non est praepositus tributorum, sed publicus officialis destinatus ad actus conficiendos. Praeterea neque ipsi contrahentes probabiliter contra iustitiam peccant. Actus enim conficiendus est tantum ad firmandum contractum, et praestandam assecurationem rei in casu evictionis, vel alterius iudiciariae litis. Quare nulla est obligatio conscientiae declarandi verum pretium, vi illius actus conficiendi. Neque vero obligatio adest, vi impositi tributi, verum rei pretium sponte declarandi, cum praxis iam sit, ut tributa non solvantur nisi exigantur. Attamen obligatio adest mulctam solvendi, si res detegatur, et mendacium non dicendi. — G. V. 1. n. 754.-756., V. 2. n. 23., I. M. V. 1. n. 232.

6. — DE TESTIBUS

1°. Barbantius, integerrimae famae sacerdos, invisens, occasione quadam data, Armandam uxoratam, mulierem optimae famae, cum ea peccavit. Fortuito casu eos aspexit Melchior corruptis moribus homo, qui rem statim detulit marito Armandae, et deinde in iudicio eandem testatus est, magno civitatis scandalo.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Quaestionem movet P. Gury: *An testis crimen omnino occultum revelare teneatur?* et respondet n. 19: « Negative probabilius *de Iure Communi,* si testis sit omnino certus, sibi soli crimen notum esse; quia ad reum damnandum necessario duo testes requiruntur. Hinc axioma: *testis unus, testis nullus.* Secus vero dicendum *iuxta Ius Gallicum, vel aliud simile,* ex quo unicus testis sufficere potest ad rei damnationem, et nihil aliud a iuratis exigitur, nisi ut asserant se intimam facti convictionem habere, quin sententiam suam probare debeant ».

Verum, quod iurati non teneantur probare suam sententiam, et sufficiat, quod habeant intimam facti convictionem, inde non sequitur quod testis teneatur vel etiam possit, crimen omnino occultum revelare. Quin imo sequitur potius contrarium. Nam iurati suam non pronuntiant sententiam independenter a iudicio, sed postquam adfuerint in iudicio toti

discussioni causae, et testium examini; unde iam supponitur crimen eo ipso divulgatum, semiplene saltem probatum, vel certe ad minus magnam sui ingerens suspicionem, et quidem ex notitia iam per se publica factorum. Quare ex iuratorum sententia, secundum intimam convictionem pronuntianda, nihil quidem eruitur pro ea resolutione, sed potius contrarium. Neque vero aliquid melius probat illud aliud, quod nempe ex recentiori Iure sufficiat unus testis; aliud enim est, quod unus testis plenam etiam fidem in iudicio facere possit, aliud, omnino diversum, quod ideo testis possit etiam crimen omnino occultum revelare. Nulla est necessitas talis interpretationis, quae cum Iuri Naturali per se consona non sit, non est consequenter asserenda sine manifesta ipsius legis declaratione. Cf. I. M. 70. Ac in proposito casu, aliisque similibus facile apparent gravissima huius sententiae incommoda.

Non videtur ergo, quod Melchior *teneatur*, imo etiam quod *possit* occultissimum illud crimen revelare sive marito Armandae, cum tanto ipsius Armandae et Barbantii damno et infamia; sive etiam iudici cum tanto publico scandalo. Neque vero agitur in casu de crimine impendendo ac evitando, et in futurum impediendo; nam, ut constat ex casus expositione, delictum illud fuit obiter omnino commissum; nec ullum habetur indicium futuri periculi, cui caeteroquin aliis omnino honestis et utilibus mediis esset occurrendum.

2°. « Alexius iuramento promittit Marco, nulli se cuipiam unquam manifestaturum, aut homicidium, quod, se vidente, nec viso, latenter Marcus patraverat, aut furtum, quod, pacto inito de secreto servando, Marcus ad aurem sibi concrediderat.

Quaer. *Possitne Alexius a iudice conventus testimonium praestare?*

R. Promissio, *superveniens* cognitioni secreti aliunde noti, non obligat ad secretum iis in casibus, in quibus seclusa promissione secretum manifestare quis obligaretur. Exemplo res clarescit. Deprehendisti Petrum in fragranti delicto. *Publica delicti fama vulgata,* vel *semiplena delicti probatione iam habita,* iudex te accersit, ac legitime interrogat, quid tibi notum sit de huiusmodi delicto. Dubium non est, quin de illo constare adfirmare debeas, graviter peccaturus, si neges. Id ipsum ergo iuris erit, etiamsi promiseris, imo et iuraveris, te delictum illud secretum perpetuo taciturum; quin etiamsi iuraveris, ne iudici quidem prodituram, quia promissio, ne iuramento quidem firmata, quempiam ullum obligare potest ad quid illicitum; at illicitum est iudici *legitime interroganti* non parere; ergo, nihil obstante promissione, temere iuramento munita, delictum manifestare debes, ut pareas. Profecto fides etiam iurata, *superveniens notitiae habitae rei,* impedire non potest, quominus aut iudex de delicto testes examinet, aut testes de delicto deponant coram iudice legitimo eos, ac privativo iure, examinante, praesertim cum obligatio haec deponendi nascatur statim ac delicti cognitio habetur....

Haec cum ita sint, vides Alexium nostrum, qui in specie casus, iuramenti religione interposita, Marco promiserat, nulli se cuipiam un-

quam manifestaturum homicidium, quod, se vidente, Marcus ipse patraverat, non ita se obligare potuisse, ut *legitime a iudice conventus* celare homicidium debeat aut possit.... Atque hanc rationem dicendi fac applices ad casum, etiam, quo Alexium Marcus homicidii socium vocasset, data et accepta cum iuramento fide secreti: quia huiusmodi secretum proprie non est commissum, sed intra mere promissi cancellos contineretur, cum rei notitiam non ex communicatione a Marco sibi facta, sed ex facto suis ipse oculis Alexius accepisset....

Secretum tunc vere commissum dicitur cum secretam rei cognitionem non aliunde comparare possumus, quam ab libera rei manifestatione, quam alter nobis facit, rem in nostra fide, ut ita dicam, deponendo, ea inviolabili lege, ut perpetuo in scrinio cordis deposita, alto pressa silentio custodiatur: qua lege usque eo crescit obligatio secreti, ut ne in casibus quidem, in quibus alias tenereris, debeas aut possis illud manifestare, nisi manifestatio sit ad vitandum damnum aliquod reipublicae, vel etiam alicuius privati, prout docet Angelicus Magister 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2...

Iam vero quoniam furtum, de quo in specie casus non ad id genus rerum spectat, quae ut ad notitiam nostram devenerint, confestim tenemur ea manifestare: pono enim neque ad reipublicae, neque ad alius cuiusque damnum pertinere, si occultum retineatur, (res ita eveniet, si ponas equum v. g. furto ablatum periisse, et Marcum solvendo imparem esse, vel Alexii consilio inductum esse ad equum restituendum); consequitur ex inconcusso D. Thomae principio, Alexium interrogatum a iudice: quidquamne sciat de furto Marci; libere respondere posse ac debere, nihil de illo se scire; ne si scire se affirmet fidem frangat, quam sartam tectam servare Marco iure naturali compellitur ». Ithur. Cas. 37. n. 8.-11.

Ita sane, si agatur de furto obiter a quapiam persona commisso et cum expositis circumstantiis. Sed, practice loquendo, in casu proposito res serio esset perpendenda; siquidem agitur de Marco, *simul homicida et fure*. Quare bene esse potest, quod Marcus fur sit ex professione, et dispositus sit ad furta continuanda cum periculo etiam alterius homicidii, et in tali casu, non obstante secreto commisso, cum verificetur saltem gravissimum privatorum damnum in futurum impendens, denunciandus omnino iudici esset, quod caeteroquin deinde affirmat idem Ithur. numm. seqq. Cf. n. 32.

Praeterea in casu proposito, cum Aurelius iam conventus sit a iudice, et iudex eum interroget et de homicidio et de furto, videtur quod revera iam utrumque Marci crimen non tantum homicidium, verum etiam furtum sit publica fama divulgatum. Porro idem Ithur. deinde n. 24. haec monet quoad furtum lege secreti alteri *commissum:* « Ego autem loquor de secreto, quod custodiri *sine peccato possit,* et quod pandi nequeat *sine iuris naturalis laesione:* atque in huiusmodi urgentis necessitatis casibus mordicus propugnare pergo, perinde quempiam cum iudice gerere se debere, ac si nesciret, quod scit utique, *at ea inviolabili secreti commissi lege, ut ipse sciat, sed praeter ipsum nemo* ». Porro quando res est divulgata, et publice nota, iam secreta esse desiit; adeoque secreti obligatio dari amplius non potest: illa enim obligatio cum sit obligatio ad *secretum,* non perseverat nisi eo usque, quod res *secreta* seu *occulta* permaneat. — Cf. I. M. V. 1. n. 1536. seqq.

7. — DE OPERARIIS

1°. Titus, faber lignarius, saepe saepius a quotidiano labore cessat, quia labor ipsi valde displicet, licet validas habeat vires. Hinc otio saepe indulget, et contentus est admodum parce se sustentare; et, quando nihil habet unde sustentetur; labori praefert eleemosynam per publicas vias petere, vel aliena furari.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Titus a peccato excusari non potest. Laboris enim obligatio pro ipso adest, tum ex necessaria providentia sibi habenda, ut sibi procuret medio licito ea, quae necessaria sunt ad honestam vitae sustentationem, tum ad vitandum otium, quod tot peccatorum occasio est.

Apposite Angelicus Doctor: « Iudicium de unaquaque re sumendum est secundum finem, ad quem ordinatur. Labor autem manuum ad tria esse utilis invenitur. Primo ad otium tollendum, unde Hieronymus ad Rusticum monachum: *semper aliquid operis facito, ut te diabolus inveniet occupatum...* Secundo ad corpus domandum; unde 2. ad Cor. 6., 5. aliis carnis macerationibus coniungitur, ubi dicitur: *In laboribus,* scilicet operum, quia manibus suis operabatur, et subiungit: *in vigiliis et ieiuniis,* etc. Tertio ordinatur ad quaerendum victum, Act. 20., 34.: *Ad ea quae mihi opus erant, et his qui mecum erant, ministraverunt manus istae.*

Si ergo consideretur labor manuum secundum quod ordinatur ad tollendum otium vel corpus domandum; sic idem iudicium est de labore manuum, et de aliis exercitiis ad eadem ordinatis. Non enim est, quod tollatur otium tali aut tali occupatione: sed sufficit ad otium tollendum quacumque licita occupatione ab otio quis desistat: et sic occupatio laboris manuum non est in praecepto, considerato hoc fine.

Et similis est ratio de labore manuum secundum quod ordinatur ad corpus domandum: quia multis exercitiis corpus domari potest, sicut vigiliis, ieiuniis et multis huiusmodi. Unde nullum eorum, in quantum ordinatur ad talem finem est in praecepto in speciali; quamvis in generali sit in praecepto corpus domare qualicumque exercitio, quo mortiferae concupiscentiae reprimantur.

Secundum autem quod ordinatur ad victum quaerendum, sic videtur esse in praecepto: unde dicitur 1. ad Thess. 4., 2. *Operamini manibus vestris, sicut praecepimus vobis;* nec solum in praecepto iuris positivi, sed etiam iuris naturalis. Illa enim sunt de lege naturali, ad quae homo ex suis naturalibus inclinatur. Sicut autem ex ipsa dispositione corporis patet, homo naturalem ordinationem habet ad opus manuale, propter quod dicitur Iob. 5., 7.: *Homo ad laborem nascitur, et avis ad volandum.* Cum autem aliis animalibus natura sufficienter providerit in his, quae ad sustentationem suae vitae pertinent in cibis et armis et tegumentis: homini in his non providit, quia ipse est praeditus ratione, per quam sibi poterit providere in omnibus supradictis; unde et erit sibi loco omnium praedictorum manus conveniens ad diversa opera, quibus conceptiones rationis diversis artificiis exequatur.

Sciendum tamen est, quod duplex est praeceptum legis naturae. Quoddam quod ordinatur ad tollendum defectum unius singularis personae, vel spirituale, sicut de actibus virtutum, vel corporale, sicut praeceptum, quod Dominus dedit homini Gen. 2., 16.: *De omni ligno quod est in paradiso, comede,* etc. Aliud vero est, quod ordinatur ad tollendum defectum totius speciei sicut hoc quod dicitur Gen. 1., 28.: *Crescite et multiplicamini, et replete terram;* in hoc enim praecipitur actus generationis, quo natura salvatur et multiplicatur.

Hoc autem interest inter haec duo genera praeceptorum, quia primum praeceptum legis naturae quilibet tenetur singulariter observare; sed ad secundum praeceptum non tenetur quilibet singulariter. In his enim, quae pertinent ad speciem, omnes homines computandi sunt quasi unus homo: participatione enim speciei plures homines sunt unus homo: Sicut autem homo unus habet diversa membra, quibus occupatur in diversis officiis ordinatis ad tollendum proprium defectum, quae non possunt omnia per unum membrum exerceri, sicut oculus videt totum corpus, et per totum corpus portat; ita oportet esse in his, quae ad totam speciem pertinent. Non enim sufficeret unus homo ad exercenda omnia, quibus humana societas indiget; et ideo diversis officiis oportet occupari diversos, ut dicitur ad Rom. 12., 4... Haec autem diversificatio hominum in diversis officiis contingit primo ex divina providentia, quae ita hominum status distribuit, ut nihil unquam deesse inveniatur de necessariis ad vitam; secundo etiam ex causis naturalibus, ex quibus contingit, quod in diversis hominibus sunt diversae inclinationes ad diversa officia vel ad diversos modos vivendi.

Quia ergo labore manuum aliquis potest subvenire et proprio defectui et alieno; cum non possit unus homo in omnibus sibi sufficere, sed indiget alieno auxilio, patet, quod praeceptum de labore manuum quodammodo sub utroque genere praedictorum praeceptorum continetur. In quantum enim labore manuum unius subvenitur necessitatibus aliorum, sic pertinet ad secundum genus naturalium praeceptorum; in quantum autem aliquis per hoc suis necessitatibus subvenit, pertinet ad primum genus, sicut praeceptum de comedendo. Praeceptum autem quod ordinatur ad tollendum defectum corporalem, non obligat nisi defectu exsistente; unde si esset aliquis qui posset vivere sine cibo, non obligaretur praecepto de comedendo. Sic ergo praeceptum de labore manuum non obligat aliquem singulariter, secundum quod ordinatur ad tollendum defectum communem aliquo modo, neque secundum quod ordinatur ad tollendum proprium, nisi defectu exsistente. Et ideo ille, qui habet unde licite vivere possit, non tenetur manibus operari; qui autem non habet unde alias vivat, vel nisi aliquo illicito negotio victum acquirat, tenetur manibus laborare. Et hoc patet per Apostolum in tribus locis, ubi de manuum operatione praeceptum dat. Primo ad Eph. 4., 28., ubi prohibendo furtum, inungit manuum operationem: *Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret manibus suis.* Secundo 1. ad Thess. 4., 2., ubi praecepit laborem manuum prohibens concupiscentiam rerum alienarum: *Operemini,* inquit, *manibus vestris, sicut praecepimus vobis, ut honeste ambuletis, ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis.* Tertio 2. ad Thess. 3., 2., ubi praecipit operationem manuum prohibens turpia negotia, quibus aliqui victum quaerebant: *Audimus,* inquit, *inter vos*

quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Glossa : *Qui foeda cura sibi necessaria provident:* et subiungit: *His autem qui huiusmodi sunt denuntiamus, et obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes panem suum manducent.*

Sciendum etiam est, quod sicut visus est principaliter inter alios sensus, ratione cuius omnes alii sensus nomen visus sortiuntur,.... ita manus quia ad plurima opera necessaria est, dicitur organum organorum,.. et ideo per operationem manualem intelligitur non solum quod manibus fit, sed quocumque corporali instrumento: et breviter quodcumque officium homo agit, de quo licite possit victum acquirere, sub labore manuum comprehenditur. Non enim videtur rationabile, quod magistri artis mechanicae possint vivere de arte sua, et magistri artium liberalium non possint vivere de arte sua. Similiter et advocati possunt vivere de patrocinio, quod praestant in causis; et similiter est de omnibus aliis licitis occupationibus. Quia ergo praeceptum est, sed non omnes obligat, ideo etc. ». S. Th. Quodl. 7. a. 17.

2°. Lucretius sculptor, conventione facta, et pretio constituto, statuam S. Antonii se facturum promisit Fulgentio parocho. Cum deinde plures aliae statuae, et maiori pretio, ab aliis faciendae ipsi fuerint commissae, statuam S. Antonii facere omisit. Verum, cum Fulgentius reclamasset, tunc Lucretius statuam suo amico Caio faciendam commisit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Quando obligatio consistit in faciendo aliquid et debitor *ex contractu* illud non facit, ad damnorum reparationem tenetur; ac etiam potestatem habet creditor petendi a iudice ut illud debitoris impensis fiat. C. I. 1218. 1220., C. G. 1142. 1144. Sed permittitur debitor ea, quae debet, per alium etiam praestare, nisi creditoris intersit ab ipso fieri. C. I. 1239., C. G. 1237. Hinc, si grave adest Fulgentii damnum ob non factam S. Antonii statuam, et graviter Fulgentii interest, ut ea statua non nisi a Lucretio fiat, eam Lucretius facere omittens graviter peccat, quia fidem fallit in re gravi, et ad damnorum reparationem tenetur. C. I. 1218., C. G. 1142.

DE PARTICULARIBUS CLERICORUM OBLIGATIONIBUS

8. — DE SANCTA CLERICORUM VITA

Ambrosius episcopus ad reformandos mores plurium e clero suae dioecesis sequentia constituit, in statutis Dioecesanis, ab ipso primum promulgatis; 1°. *Ne Clerici initiati sacris ordinibus et beneficiati omnes ac religiosi clerici coronam deferre omitterent.* — 2°. Sub poena suspensionis ipso facto incurrendae prohibuit, *ne iidem vestem talarem post solis occasum, vel unica vice, omitterent.* — 3°. *Prohibuit, ne parochi aliique clerici in sacris constituti, sive saeculares sive regulares, soli habitarent cum famula, quae non attigerit annum quadragesimum,* addens, *sed id prohiberi sub gravi.* — 4°. Domo exercitiorum propriis expensis aedificata et fundata, praecepit, *ut clerici omnes sive saeculares sive regulares singulis trienniis exercitia ibidem peragerent octo dierum spatio, nulla tamen mercede soluta pro victu, habitatione, aliisque necessariis rebus, mulctâ vero solvendâ quinque libellarum a transgressoribus.* Porro Rusticus ruri parochus, cum ipse solus clericus sit in sua paroecia iam a multis annis, neque ibidem sint familiae vel personae conspicuae, sed simplices agricolae, longe praeterea adhuc sit a civitatibus propter defectum viae ferreae, locus tandem montuosus et frigidus sit, existimat se legitimâ epichejâ exemptum a 1°. 2°. et 4°. statuto. Omni autem iure se existimat liberum a 3°. statuto; quamvis secum habeat mulierem non adhuc quadragenariam, quae ipsi in domesticis rebus inserviat, ait enim, eam non esse famulam, sed consanguineam suam, licet in remotiori gradu.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Episcopus recte ferre poterat ea statuta. Episcopus enim, utpote vera potestate iurisdictionis praeditus in sua dioecesi, et in clerum suae dioeceseos, in ipsosque sacerdotes, eas condere potest ecclesiasticas leges, quae rectum animarum regimen et bonum respiciunt, dummodo tamen communi iuri non adversentur. Cap. *Institutionis* 7., Cap. *Ecclesiasticae* 12. Caus. 25. q. 2., Cap. *Quod super his* 9. *De Maiorit. et obedientia,* S. C. in Asc. 11. Iul. 1767. § 4., Reiff. Tit. 2. lib. 1. Decret. n. 69., Benedict. XIV. De Syn. Dioec. l. 13. C. 1. n. 3., Bouix de Episc. V. 2. C. 5. Atqui illa statuta non adversantur iuri communi, quod omnibus constat quoad tonsuram seu coronam, habitum clericalem et cohabitationem cum mulieribus Cf. I. M. 100. — 103. 181.

Atque haec generatim. Perpendamus nunc in particulari singula sta-

tuta. Primum Statutum non videtur afferre *per se* gravem obligationem cum neque declaretur ista gravis obligatio, neque gravi sanctione confirmetur. Utrumque habetur in aliis Statutis. Ergo iste diversus modus loquendi, ostendit vehementer quidem episcopum velle, ut omnes illi clerici tonsuram seu coronam deferant, gravem tamen obbligationem hac in re non apponere, praeter eam quae aliunde est ex communi iure. Difficultas moveri potest quoad religiosos, an potuerit legitime idem statuere episcopus pro saecularibus et regularibus clericis. Id sane potuit quoad religiosos non exemptos; et patet. Verum idemne potuit quoad ipsos religiosos exemptos? Respondetur, id quidem *directe* non potuit, ratione ipsius privilegii exemptionis. Neque enim materia ista excepta est a tali privilegio, ut aliae plures, in quibus regulares etiam exempti subiiciuntur iurisdictioni sive ordinariae sive delegatae episcoporum. Si ergo regulares a iurisdictione episcopali exempti sunt, non potest sane episcopus sua iurisdictione *directe* eos attingere praecepto vel lege vel etiam simplici Statuto. Attamen id potuit Episcopus *indirecte,* quatenus nempe licet *praecipere* non possit, potest tamen punire. Regulares enim etiam exempti subduntur episcopis, si degant et delinquant extra claustra, ita ut *ab Ordinario loci; tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi valeant.* Trid. S. 6. de R. C. 3. Dicitur *si degant et delinquant* extra claustra; si enim degant intra claustra et extra notorie delinquant cum populi scandalo, debent a suo superiore puniri, et, non nisi in casu negligentiae regularis superioris, ab ipso episcopo puniri possunt, ut habetur ex eodem Trid. 25. de R. C. 14., et ex Motu proprio Benedicti XIII. 26. Mart. 1729. Atqui regularis non deferens clericalem coronam vel monachalem per civitatem, est delinquens extra claustra. Confirmatur ex S. C. EE. in Andrien. 15. Dec. 1584., et in Ravennaten. 12. Sept. 1594. apud Monacel. Tom. 1. Tit. 6. Formul. 20. n. 131., Ferraris v. *Regulares* art. 2. n. 48., unde habetur, quod regulares incedentes per civitatem, et loca sine socio, vel de nocte, aut indecenter vestiti, et sine debita modestia religiosa, possunt per episcopum in carceribus mancipari tanquam delinquentes extra claustra, servata tamen forma Trid. S. 25. C. 14. de R. R.

Alterum Statutum de habitu gravem secum affert obligationem: id enim eruitur ex gravi poena suspensionis, quae additur. An autem episcopus possit hanc poenam statuere? Affirmandum omnino est ex Trid. S. 14. C. 6. de R., hanc potestatem explicite episcopis concedente. Ad regulares vero quod attinet, idem dicendum est ac in praecedenti Statuto.

Tertium Statutum de cohabitatione cum mulieribus gravem affert obligationem, ut explicite in ipsomet enuntiatur. Res per se gravis est, et non sine scandalo, si cum iuvene quadam muliere cohabitetur. Ad Regulares quod spectat, res patet ex dictis in primo Statuto. Notandum tantum est, huiusmodi regulares solos cum feminis degentes, iam degere et delinquere extra claustra.

Quartum tandem Statutum, quo episcopus iubet presbyteros suae dioecesis sacra peragere exercitia, neque fines excedit ordinariae potestatis episcopalis, neque iuri communi opponitur, sed huic e contra maxime conforme est, ut constat ex Epistola Encyclica ad universos Italiae Ordinarios 1. Febr. 1710., Lucidi De Visit. V. 3. p. 381. seqq. Ed. 3ª.

Confirmatur ex responso S. C. C. 20. Sept. 1878., Acta S. Sed. V. 12. p. 612. Verum non videtur, posse episcopus adstringere etiam regulares exemptos. Ea enim, quae pertinent ad observantiam disciplinae regularis non subiiciuntur iurisdictioni aut correctioni episcopi. Porro exercitia spiritualia peragere res est, quae pertinet ad observantiam et disciplinam regularem, praesertim si notetur, quod huiusmodi exercitia peragenda essent extra Coenobium in domo ab illo episcopo aedificata et fundata. Ipsi regulares parochi in his, quae spectant ad regularem observantiam ab episcopi iurisdictione, visitatione, correctione exempti sunt. Benedictus XIV. C. *Firmandis* VIII Id. Nov. 1744. par. 8. 10., C. *Apostolicum ministerium* 30. Maii 1753. par. 15. An vero gravem obligationem afferat huiusmodi Statutum? Negandum videtur ex levi poena addita mulctae 5. libellarum.

Iam vero excusationes Rustici probari non possunt. *Ob montuosum et frigidum locum* non dispensatur a tonsura seu corona. Utatur pyleo quadrato et pyleolo; et nullum ob aeris inclementiam patietur incommodum. *Quod sui parochiani simplices agricolae sint,* et non nobiles cives, non ideo dispensatur a veste talari extra domum deferenda, praesertim tempore nocturno. Immo ad praecavenda pericula multa et incommoda, quo inferioris conditionis sunt parochiani eo maior exterior decor necessarius est in parocho. Et huiusmodi exterior decor necessarius etiam est, ut simplices agricolae parochum habeant in maiori quadam veneratione et maiorem illi reverentiam exhibeant, sacerdotali gradui et apostolico ministerio debitam. *Quod solus clericus sit in paroecia,* et *distantia ac difficultas itineris* non eum excusant ab exercitiis spiritualibus, singulis tantum trienniis peragendis. Alia forte suscipit ipse longiora itinera et difficiliora. Petat igitur vicarium ab episcopo pro tempore absentiae, advocet viciniorem quendam presbyterum et pergat in civitatem episcopalem ad exercitia peragenda, saltem singulis triennis, secundum episcopale statutum. Neque vero *ingentes expensae* faciendae ipsi erunt, cum omnia gratuita praestentur toto exercitiorum tempore. *Licet desit via ferrea,* non deerunt certe alii publici currus, qui eum ferent, etiam modica expensa, in episcopalem civitatem. Quamvis vero in toto rigore non videatur facere contra tertium Statutum, contra nempe litteram scriptam, famula enim persona extranea ordinarie intelligitur; videndum tamen bene est, ne attentis circumstantiis, scandalo reapse sit societas illius consanguineae et sibi et aliis, et graviter suae noceat famae et bonae existimationi, quam optimam parochiani omnes de parocho habere debent. Exponat suum casum rmo episcopo.

9. — DE CLERICORUM CAELIBATU

1°. Arcontius sacerdos, graves patiens tentationes contra castitatem quibus antea omnino carebat, in plura incidit peccata contra eandem virtutem; sacrilegium tamen committere non arbitratur, primo quia, inquit, coelibatus ecclesiasticus non est ex voto servandus, sed ex mera lege ecclesiastica, leges autem positivae humanae non obligant cum gravi incommodo. Secundo, quia, licet habeatur votum, cessat tamen eius obligatio ob mutatas rerum circumstantias, et ob superveniens grave incommodum, quod si fuisset praevisum votum emissum non fuisset.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Arcontius egregie in omnibus decipitur. Errat primo inquiens, ecclesiasticum caelibatum non obligare nisi ex mera lege ecclesiastica, voto nempe non intercedente. Id aperte repugnat C. *Quod votum* un. *De Voto et Voti Redempt.* et Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* par. 1., 3. Dec. 1749.

Errat secundo, cum existimat se sacrilegium non committere, quia caelibatus servandus est non ex voto, sed tantum vi ipsius legis ecclesiasticae. Nam 1°. cum illa lex motivo religionis innitatur, eius transgressio sacrilegium est, saltem late tale. 2°. cum omnium sententia, illa lex solemniter consecret Deo ipsam personam publica Ecclesiae auctoritate, eius transgressio sacrilegium etiam est stricte et proprie tale.

Errat tertio, cum putat, se ob graves tentationes quas experitur non teneri ea lege, cum leges positivae humanae non obligent cum gravi incommodo. Id verum non est, cum agitur de lege dependenter ex proprio et libero voluntatis consensu, uti est haec. Sic monialibus praecipitur clausura, quae certe gravissima res est, sed monialibus liberum est religionem ingredi, ut etiam clericis liberum est sacris ordinibus initiari.

Errat quarto, putans castitatis votum cessare ob mutatas rerum difficultates. Difficultas enim *generatim* castitatis servandae ipsi intrinseca est, pro omnibus est; et tantum *specialis* quaedam difficultas pro aliquo haberi potest, sed qui nolit uti mediis necessariis, uti est potissimum oratio et occasionum fuga. Cum igitur ista specialis difficultas voluntaria sit, nempe a voluntate dependens, evidens res est, quod propter eam votum cessare non potest; nam secus votum cessaret ob voluntariam eius violationem, quod esse non potest. Hinc non valet dicere, quod talis difficultas praevisa non erat; nam, licet praevisa non fuerit ista difficultas, cum a voluntate sit, voluntate semper cessare potest, si nempe velit quis serio debita remedia adhibere. *Specialis* item difficultas haberi potest independenter a propria negligentia, ob circumstantias mere subiectivas temperamenti. Verum neque haec specialis difficultas a voto eximit castitatis. Etenim primo, si agatur de voto castitatis generatim, etiam de *simplici voto castitatis extra Religionem,* hoc firmum semper remanet, etsi stimulis quis carnis insolitis et non praevisis agitetur, nam per se loquendo haec difficultas in confuso saltem praevidetur, cum reapse neque extrinseca sit huic materiae, neque omnino rara, quatenus nempe illi qui castitatem vovent etiam sanctiores et puriores, ordinarie loquendo, aliquando saltem in vita hanc difficultatem experiantur. Accedit praeterea Dei gratia, quae non denegatur facienti quod in se est, cui si quis libere cooperatur et certe nullum erit incontinentiae periculum, et difficultas illa specialis tentationibus resistendi imminuitur. Quare Conc. Trid. Sess. 24. c. 9. eos damnat, qui asserunt, posse « omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, *etiamsi eam voverint,* habere donum; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari ». Verum hic notandum est, quod, si notabilis difficultas et mutatio non directe et ab intrinseco ipsius voti castitatis proveniret, sed indirecte tantum et ab extrinseco, e. g., si femina, quae votum emisit castitatis, ab alio per vim oppressa fuerit, et ideo nisi nubat in miserrima conditione versaretur, sunt qui tenent castitatis votum tunc extingui. Haec

enim circumstantia non includitur ullo modo in ea materia, neque ullo modo poterat praevideri. Si ea praevisa fuisset certe votum non fuisset emissum. Vota autem, peculiaribus conditionibus praeclusis, per se non obligant ultra id quod hic et nunc fuit a vovente promissum. Illud vero quod dictum est de firmitate simplicis voti castitatis, non obstantibus gravibus tentationibus postea insurgentibus, multo magis valet *de votis solemnibus,* valide emissis in professione religiosa, vel in susceptione Ordinum, quae semper valida sunt, quacumque notabili circumstantia superveniente. Nam religiosus et ecclesiasticus in hoc casu non consideratur, uti persona particularis, cui melius sit tunc non esse voto obstrictam, sed ut pars communitatis Ecclesiae, cui praestat postponere bonum privatum: alias, quot, uti patet, inconvenientia, quot scandala et perturbationes! Idem dicendum eadem ratione boni communis de *votis simplicibus quae emittuntur,* a viris aut mulieribus *in aliquibus Congregationibus,* maxime si addatur iuramentum perseverantiae; tunc enim intervenit contractus explicitus onerosus. Quare, sicut Congregatio nequit alumnum dimittere ob supervenientes circumstantias, exceptis circumstantiis criminum, ita nec alumnus ob ipsas Congregationem deserere potest. — Scavini l. 2. n. 64. Ed. Mediol. 1874., Gury V. 1. n. 311., La-Croix l. 3. P. 1. n. 481., I. M. V. 1. n. 575.

2°. Pomponius parochus, valde pius et bonus spirituales habebat collationes cum quadam femina valde pia et bona. Amicitia ex spirituali in sensualem degeneravit, et paulatim carnalis omnino evasit. Ad scandalum omne removendum, antequam suboriretur, in longinquam regionem profectus est, ubi Concilium Tridentinum quoad matrimonia clandestina promulgatum non est. Cum ipso profecta est illa femina, quod ut eius soror publice habebatur. Cum praedictus parochus ingenio et arte non careret brevi factus est familiaris episcopi, et totius dioecesis vicarius generalis, apud omnes gaudens tum ipse, tum eius existimata soror publicâ famâ et aestimatione pietatis et sanctitatis. In his rerum circumstantiis constitutus, valde timens pro anima sua et illius feminae, matrimonium cum illâ contrahit, eidem persuadens se petiisse et obtinuisse Apostolicam dispensationem, sibi vero illudens, propter tantam rei difficultatem et propter scandalum quod secus adesset, esse se ex legitima epichejâ ab ecclesiastica lege caelibatus exemptum, adeoque et licite et valide contrahere potuisse.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Legitima epicheia Pomponii parochi, deinde vicarii generalis nulla est; nam nullum habetur scandalum, nisi omnino voluntarium, ab eius nempe libera voluntate dependens. Etenim primo, nulla uti patet, est necessitas peccandi cum illa femina. Peccatum totum dependet ab eius prava voluntate. Praeterea optime potest ab illa femina separari habitatione, quamvis ut eius soror publice habeatur, simulato aliquo praetextu; et quia ut eius soror publice habetur, separatio adhuc facilior est, neque ullum scandalum esse posset. Insuper quoniam ad peccandum profectus est in longinquam regionem, quod et illa femina similiter fecit,

cur nunc non aliud suscipiat iter, e. g., Romam, ad se Deo sincere convertendum ? Facile ipsi erit declarare illi feminae, se Apostolicam dispensationem non obtinuisse; illa forte neque unquam hoc sibi persuasit, cum res sit tam aliena a praxi. Et sic suo exemplo inducat ad sinceram conversionem eam feminam, quam ipsemet forte primus ad peccandum induxit, et reparet scandalum ipsi datum. Tandem, uti patet ex dictis, hic ratio potissimum attenditur ipsius status et boni communis. Quare propter privatum, licet grave, incommodum votum non cessat. Multo minus vero cessat impedimentum dirimens, directe respiciens bonum commune, ob incommodum, licet grave, in casu particulari privatae personae, praesertim vero voluntarium.

10. — DE DIVINO OFFICIO

1°. Benedictus beneficiatus, organista Ecclesiae Cathedralis, quando organum pulsat, ut, in cantu divini officii, versiculis respondeat quos totus chorus decantat versiculos ipse alternatim non decantat, neque submissa voce pronuntiat, sed organum tantum pulsat, inquiens chori cantui sonitus organi respondet. Ac cum ipse organum pulset, existimat se sufficienter omnino satisfacere divini officii obligationi.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Benedictus obligationi divini officii non satisfacit. Nam ipse revera neque *cantat* neque *recitat* divinum officium ; sed pulsat organum, quod neque cantare neque recitare est divinum officium. S. Alph. n. 143. refert Sotum, Nav., Arag. et Rodr. docere divini officii obligationi satisfacere eum, « qui choro alternatim respondet, organum pulsando, quin versiculum suae partis proferat ». Verum S. D. mox subdit: » « Sed huic non acquiesco, cum recte doceat Bonac.... officium tunc integre non recitari, quia organum verba non profert ». Unde eruitur, quod in proposito casu Benedictus officium nullo pacto recitat. Chorus vero illud non integre recitat.

Confirmatur ex Caerem. Episcop. l. 1. C. 28. n. 7. ubi dicitur: « Si in aliquibus locis consuetum esset organa pulsari etiam inter horas canonicas, aut aliquas earum ut est hora tertia... poterit talis consuetudo servari: sed advertendum erit, ut quandocumque per organum figuratur aliquid cantari, seu responderi alternatim versiculis hymnorum aut canticorum, *ab aliquo de choro intelligibili voce pronuntietur id, quod ab organo respondendum est.* Et laudabile esset, ut *aliquis cantor coniunctim cum organo voce clara idem cantaret* ». I. M. 222.

2°. Salvianus, presbyter et valde doctus, ex involuntaria distractione loco horae nonae, bis horam sextam recitavit. Postquam errorem animadvertit, et multum rem considerasset horam nonam recitare omisit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Salvianus vir doctus est, et antequam se determinaverit ad horam nonam omittendam, rem multum consideravit. Videamus igitur quaenam potuerit esse ratio, qua motus est ad iudicium sibi efformandum de absentia obligationis horam nonam in casu recitandi.

Porro ut praefata ratio explicetur praemittendum est in officio divino duo esse, *quantitatem* et *qualitatem,* et sic « omittere, inquit La-Croix l. 4. n. 1203., totas vesperas sabbato sancto communiter censetur mortale, non ob *quantitatem,* sed *qualitatem,* quia nempe sunt integra hora, et continent magnum mysterium; tamen in hoc esse tantum veniale, probabiliter putant Bonaesp., Marchant., Pellizarius, Tambur. et alii apud Gob., quia sunt *parva oratio* ». Et S. Alph. l. 4. n. 147. inquit: « Elbel et Croix, cum March., Pell., Tamb. et aliis ratione *parvitatis materiae* probabiliter dicunt, non peccare graviter, qui omitteret totam vesperam sabbati sancti ». Eandem sententiarum discrepantiam quoad vesperas sabbati sancti notat P. Gury Comp. n. 52., prout in illis *quantitas* vel *qualitas* attendatur. — Insuper quoad quaestionem, an sit peccatum mortale officium diei in aliud brevius permutare quatuor affert S. Ligorius l. c. n. 162. q. 3. sententias. Prima absolute negat esse peccatum mortale, et hanc affert rationem, « quia ad implendum praeceptum officii sufficit, ut *in substantia* impleatur, idque fit cum septem horae dicuntur ». Huic sententiae fatetur, se olim adhaesisse S. Alphonsus; « sed nunc, ait, verius censeo eam sustineri non posse, quia cum recitatur officium *notabiliter brevius,* tum illud non impletur neque in eius *forma* neque in *substantia* aequivalenti ». Obligationi tamen satisfacit iuxta eundem S. D., et iuxta id quod docet P. Gury Comp. n. 73., si fiat debita compensatio, v. g., recitando novem psalmos, si officium Sancti loco officii Dominicae dictum fuerit. Cf. La-Croix l. 4. n. 1250. Secunda autem sententia quoad propositam quaestionem tenet, non peccare graviter qui mutat officium *inaequale* vel fere *aequale.* Ratio, « quia Pontifex in assignanda forma specifica pro recitatione breviarii potius respexit ad *quantitatem* tanquam formam substantialem, quam ad *qualitatem* officii, quae est forma accidentalis, sive modus recitandi ».

Iam vero communissime conveniunt theologi omissionem unius integrae parvae horae, vel quantitatis uni parvae horae aequivalentis, esse necessariam et sufficientem materiam peccati gravis. Qui ex errore bis dixit horam sextam, et deinde omittit horam nonam, licet omittat horam quoad *qualitatem,* non eam tamen omittit quoad *quantitatem* saltem *aequivalenter.* Cum autem qualitas unius horae respectu totius officii accidentalis et parva materia sit, ut constat ex dictis, quoad omissionem vesperarum sabbati sancti, peccatum grave esset tantum ratione quantitatis. Atqui haec aequivalenter compensatur, ut compensatur in casu quo quis officium notabiliter brevius dixerit. Ergo.

Ita forte ratiocinatus est Salvianus. Attamen verius dicendum videtur fuisse eum graviter obligatum ad recitationem horae nonae. Etenim divini officii obligationi non satisfecit quoad formam et quoad quantitatem *simul,* in materia gravi. Non enim vere dici potest, quod horam nonam recitaverit: sed quod bis recitaverit horam sextam, quod bene diversum est. Quare, licet *officium pro officio* valet, quia servatur forma

et quantitas divini officii, erratur tantum quoad qualitatem officii unius Sancti e. g. pro alio Sancto: non tamen *hora pro hora valet*. Eo ipso enim desideratur forma et quantitas, siquidem hora omittitur. Neque vero suppleri sufficienter potest alia hora. Nam in eo ipso quod *ipsa hora* desideretur, suppleri non potest *illius horae* quantitas. Aliud sane est quando agatur de vesperis sabbati sancti, nam tunc ob parvitatem orationis omissio totius illius horae parvam omissionem constituit. Quando item officium brevius pro alio longiori recitatum est; iam servata est integra officii forma, et quantitas bene suppleri potest, psalmos recitando alterius officii omissi. Sed, in casu, hoc verificari non potest, nam *una hora* suppleretur *alia hora* eiusdem officii; et cum una hora materia gravis sit, praeter vesperas sabbati sancti, iam gravis haberetur immutatio quoad formam et quantitatem simul divini officii. Secus cur non posset etiam pro primo secundo et tertio nocturno, unum nocturnum bis, ter, recitari: pro laudibus et prima bis prima vel bis laudes recitari et ita porro ?

3°. Fabianus sacerdos, cum satis defatigatus esset ex retardata missae celebratione et ex concione ad populum habita, parvas horas matutinas incepit recitare. Verum incepta hora nona ad prandium fuit advocatus, ne autem alii deberent ipsum expectare, et ipse iam diu expectasset horam nonam statim per breviorem absolvit, recitatis nempe iis quae praecedunt et sequuntur et omissis tribus intermediis partibus psalmi 118.

Quaer. *Quid ad Casum ?*

R. Theologi in hac re alii nimis magnam aliis nimis parvam materiam statuerunt ad gravem transgressionem habendam in recitatione officii divini, ut videre est apud Busembaum et S. Alph. l. 4. n. 146. 147. et La-Croix l. 4. n. 1202. Verum communissima iam evasit, ut affirmat P. Gury Comp. n. 51., sententia requirens omissionem unius parvae horae vel quantitatis ipsi aequivalentis. Iam vero ista sententia stricte omnino accipienda est pro omissione unius *integrae horae*, et sic P. Gury l. c. aperte ait: « si quis non omittat horam aliquam *omnino integre* excusari potest a gravi peccato, quia probabilius leve est omittere minus, quam horam *integram* ». S. Alph. l. c. plures citat theologos pro eadem opinione, et ait: « probabiliter dicunt esse levem materiam omittere minus, quam *integram* horam parvam »; deinde vero ex sua sententia ait: « illam *universe* censeri parvam materiam, quae non pertingit ad quantitatem *unius integrae horae* ». Haec autem ad rem, de qua agimus habet La-Croix l. 4. n. 1202: « si omittas minus quam *totam parvam horam* non peccas mortaliter. Si tamen modicam tantum partem recites unius parvae horae, v. g., haec quinque verba: *Deus in adiutorium meum intende,* censeris totam negligere, ideoque peccas mortaliter quia ita parum pro nihilo reputatur ».

Verum D'Annib. Summ. Edit. 3ª. P. 3. n. 147. inquit: « si quis legerit aliquid modicum horae parvae, puta hymnum, capitulum, responsoria, et orationem, omissis ceteris perinde erit ac si totum omiserit, La-Croix IV. 1202 ». Primo adspectu videtur cl. D'Annibale pro modico

et quasi pro nihilo habere ea omnia simul hymnum, capitulum, responsoria *et* orationem. At cum citet La-Croix, et ut constat ex eius verbis modo relatis pro modico et quasi pro nihilo La-Croix habet tantum *quinque illa verba*, dicendum est D'Annibale intellexisse pro modico tantum hymnum, *vel* capitulum, *vel* responsoria, *vel* orationem; quamvis sensus nonnihil obscurus sit ob particulam *et* in fine positam.

Quare ad propositum quaesitum videtur posse responderi, Fabianum a gravi saltem culpa fuisse immunem. Nam partem non omnino exiguam parvae horae recitavit, ut fere pro nihilo haberi possit. Ea enim fere aequivalet uni parti psalmi 108., quae in ea hora recitatur, sexdecim nempe versiculis, ita ut quasi quartam totius horae partem Fabianus recitavit. I. M. 114.

4°. « Nemesius sacerdos... sabbato quodam, dicto sub noctem primo nocturno matutini dominicalis, vocatus est ad infirmum, et die dominica dixit reliqua nocturna, quin primum iteraret.

Quaer. *An iterari debeat matutinum, si nocturnum unum ab aliis tota nocte separetur.*

R. Negative. Ratio est, quia substantiae praecepti satisfecit, cum officium debito tempore persolverit. Ergo a peccato mortali est excusandus Nemesius, licet noctem totam inter nocturnum unum et sequens interposuerit. Imo veniali etiam culpa vacat, cum id ex iusta causa peregerit, seu ex officio caritatis, scilicet, ut infirmo succurreret ». G. 51., I. M. 143.

5°. Felix beneficiatus, choro assistens, saepissime non intelligit ea quae ab altera chori parte decantantur; sed non nisi confusum cantum audit, verba minime distinguens et intelligens. Hinc valde anxius est, an satisfaciat obligationi divini officii.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Felix satisfacit obligationi divini officii. Nam difficultas, qua agitatur, consequitur ex ipsa ratione divinas horas decantandi. Etenim, nisi quis memoriter teneat totum officium, vel nisi legat dum altera pars chori cantat, saepissime evenit, ut quis licet attendat et velit bene omnia intelligere, verba non distinguat nec intelligat. Porro illi, qui ex obligatione choro assistunt non tenentur certe memoriter officium addiscere, neque dum altera pars chori cantat, tenentur ipsi eam partem legere, sed sufficit ut cantum audiant, et attendant quantum possint. Idem valet de recitatione officii cum socio. « Satisfacit obligationi suae qui socium non intelligit, quia nulla est obligatio intelligendi, sed recitandi suam partem, et audiendi alteram. Secus enim moniales et etiam religiosi multi linguam latinam non capientes, non satisfacerent ». G. 52., S. Alph. 163., I. M. 111.

6°. Sebastianus, parochus hispanus, officium privatim recitans, omnes quidem in suffragiis commemorationes facit, quae habentur in breviario ante completorium; sed omnes alias omittit commemorationes, nempe Titularis Ecclesiae, Patroni Paroeciae, Titularis Ecclesiae cathedralis, Patroni Dioeceseos, Patroni totius Regni. Callixtus eius vicarius contendit, has omnes commemorationes esse faciendas; quia reperiuntur indicatae in Kalendario dioecesano, cui omnino standum est. Verum Sebastianus constanter respondet, eas non reperiri in breviario romano, a S. Pio V. approbato, cui potius standum est.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Sebastianus non recte agit, commemorationem omittens Titularis Ecclesiae. Hoc enim constat ex ipsa rubrica breviarii, in qua dicitur: « adiungitur commemoratio de Patrono *vel* Titulari Ecclesiae ». *De Patrono,* si Ecclesia habeat Patronum, nempe B. Mariam Virginem vel Sanctum aliquem, qui suum exerceat patrocinium. *De Titulari,* si Ecclesia dedicata sit alicui divino Mysterio, quod, proprie loquendo, patrocinium non exercet; et ideo dicitur « de Patrono *vel* Titulari Ecclesiae », et non dicitur « de Patrono *et* de Titulari Ecclesiae » *Ecclesiae,* i. e. propriae Ecclesiae; non, Ecclesiae Cathedralis. S. C. R. 1 Sept. 1607., 18. Sept. 1877. Neque vero requiritur quod Ecclesia sit consecrata, sufficit quod sit benedicta, S. R. C. 11 Iun. 1880. *Ecclesiae,* i. e. propriae Ecclesiae, cui nempe quis adscriptus est. Si quis nulli sit adscriptus Ecclesiae, « facienda est commemoratio Patroni civitatis vel loci », in quo quis moratur; et si duo sint Patroni, « de unico tantum Patrono principaliori facienda est commemoratio ». S. R. C. 12. Sept. 1840. 20. Nov. 1683. *Loci,* i. e. particularis loci; non, dioeceseos seu regni. S. R. C. 18. Sept. 1877., 31. Aug. 1867.

Quare Sebastianus parochus commemorationem facere quidem tenetur de Patrono *vel* de Titulari propriae Ecclesiae. An autem facere debeat etiam commemorationem Patroni Paroeciae, i. e. civitatis vel loci particularis, in quo moratur, et dioeceseos, ad quam pertinet? *Per se* loquendo non tenetur. Etenim ad quaesitum: « Tenenturne ex Rubrica citata (breviarii) ad aliquam Commemorationem alicuius Patroni, sive Patroni principalis loci, sive Titularis Ecclesiae Cathedralis? » S. R. C. 12. Sept. 1840. respondit: « Tenentur ad Commemorationem Patroni vel Titularis Ecclesiae ». Et eadem S. R. C. 23. Sept. 1848., 18 Sept. 1877. declaravit: « Quum in breviarii romani rubricis habeatur, quod facienda sit commemoratio de Titulari vel Patrono Ecclesiae, liquido apparet, nihil faciendum de Patrono loci, nisi in casu quod insimul sit Ecclesiae Titularis ». Et iterum eadem S. R. C. 22. Sept. 1837. respondit: In commemorationibus pro suffragiis facienda non est commemoratio titularis dioecesis vel parochiae. Hinc patet quod, per se loquendo, Sebastianus neque tenetur, neque potest commemorationes facere Patroni parochiae, Patroni Ecclesiae Cathedralis, Patroni dioeceseos, Patroni regni.

Attamen decisiones aliae non desunt, ex quibus contrarium eruitur quoad *Patronum dioeceseos et loci.* Ad Dub. « An de Patrono dioecesis fieri potest commemoratio inter communia SS. suffragia? » S. C. 8. Apr. 1656. respondit: « Posse, sed minime cogendos qui recusave-

rint ». Et 7. Iun. 1721. « Commemorationem fieri debere de utroque, primo scilicet de Patrono dioeceseos, secundo de Patrono loci ». Idem habetur Decr. 27. Febr. 1847., 28. Febr. 1868. Quare, si peculiare habeatur Indultum, vel si specialis adsit consuetudo, cuius indicium esse potest, quod praedictae commemorationes in Kalendario notentur, Sebastianus tunc ad praedictas commemorationes tenetur.

« *De Titulari* autem *Ecclesiae Cathedralis,* in genere, commemoratio inter suffragia solummodo habenda est per illos, qui sunt de gremio Ecclesiae, *secus si esset simul Patronus principalis civitatis* ». S. R. C. 4. Sept. 1745. Quare Sebastianus in tali casu ad praedictam tenetur etiam commemorationem. Si enim in Kalendario assignatur, signum est quod Titularis Ecclesiae Cathedralis sit etiam principalis Patronus civitatis, et tunc, per se loquendo, ad hanc unam commemorationem Patroni principalis tenetur, si plures sint civitatis vel loci Patroni.

Quoad *Patronum* autem *regni* standum item est peculiaribus Indultis et legitimae consuetudini. Et sic ad Dub.: « Utrum in Hispania teneantur Regulares facere commemorationem S. Iacobi ap. Patroni principalioris regni, quando in officio divino dicuntur suffragia SS. et apud Regulares fit commemoratio Patroni principalis Religionis? » S. C. 16. Febr. 1781. respondit: « Affirmative in omnibus ». Cf. etiam S. R. C. 11. Iun. 1880. Quare Sebastianus, hispanus, ad hanc Patroni regni commemorationem faciendam omino tenetur. Unde etiam patet Regulares teneri ad commemorationem proprii Fundatoris; quod confirmatur ex S. R. C. 7. Maii 1853.

7°. Anastasius beneficiatus, mentis evagationi et distractioni valde obnoxius, in recitatione breviarii saepe dum in fine est recitationis laudum, horae nonae vel completorii non recordatur, an dixerit ea quae praecedunt. Hinc valde anxius saepe est, an debeat recitationem reiterare, an fructus beneficii restituere debeat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Duplex hac in re est theologorum sententia. Prima opinio asserit ad obligationem divini officii implendam *requiri* et *sufficere,* praeter intentionem, attentionem *internam, virtualem,* sive ea ad Deum sit, sive sit ad sensum verborum, sive etiam ad verba solum cum aliqua confusa saltem attentione ad Deum. Attentio autem interna *virtualis* ea est, quae manet ex actuali quamdiu non revocatur expresse vel tacite per distractionem *voluntariam,* vel actionem cum debita attentione *incompossibilem.* Unde licet *involuntarie* distraharis, virtualiter tamen attendis, si in genere intenderis officium dicere modo consueto, vel animo laudandi Deum, vel satisfaciendi tuo muneri, et si consequenter cum confusa saltem aliqua apprehensione et proposito opus consuetum faciendi recites. Huius sententiae fautores sedulo animadvertunt, quod ut dicatur aliquis officio non satisfacere non solum requiritur, ut quis *voluntarie* se *distrahat,* sed etiam ut *plene advertat* se *distrahi. Intentio* enim cum plena deliberatione prius concepta non desinit existere, nisi cum alia *plena* advertentia retractatur. Altera opinio asserit ad obligationem divini officii

implendam *requiri* et *sufficere* attentionem *externam*. Attentio autem *externa* habetur cum non ponitur actio incompossibilis cum attentione interiori, ut esset scriptio, lectio etc. Prima opinio communior et probabilior est; secunda vero opinio tum ob plurium et gravissimorum doctorum auctoritatem, tum ob rationes non levibus fundamentis innixas satis probabilis est, et ut talis habetur a Busembao l. 4. n. 7., et a S. Alphonso l. 4. n. 177. « Unde, inquit S. Doctor, non auderem ad restitutionem damnare beneficiarium, qui bona fide officium recitasset cum distractione voluntaria, et bona fide pariter fructus percepisset. Cf. etiam de hac quaestione Sylvium op. t. 5. Oratio 13. de attentione ad horas canonicas, D'Annib. Summ. Ed. 3ª. P. 3. n. 149., I. M. 165. — Ratio autem primae sententiae est; quia oratio ad cultum pertinet, cultus autem exterior sine interiori mendacium est. Praeterea, quia oratio est ascensus mentis in Deum. Ratio secundae sententiae est, quia oratio est petitio, petitioni autem sola intentio et verba sunt necessaria; secus si interna etiam attentio esset necessaria ad substantiam orationis nec esset oratio, si quis invitus distraheretur, quod nemo affirmat; neque conficeretur sacramentum extremae unctionis, cuius forma deprecatoria est. Atque hae rationes gravissimae sunt. Hinc Anastasius, de quo in casu agitur nihil anxius esse debet. Nam primo, cum se reperiat in fine horae alicuius, praesumere potest se dixisse integram illam horam. Insuper, cum anxius ipse sit circa recitationem officii, et saepe anxius sit, non videtur quod recitet sine ulla interna attentione. Ac quamvis hanc non habeat, non videtur quod certe careat externa etiam attentione. Quare nec recitationem reiterare, nec fructus beneficii restituere debet.

Etenim si Anastasius, revera caruerit interna attentione et fructus perceperit *bona fide* eos restituere nullo modo tenetur, quia ex una parte probabiliter saltem, externa tantum attentione, satisfecit divini officii obligationi, ex altera vero cum iam bona fide fructus perceperit melior est conditio possidentis. Lig. l. 3. n. 669. Si vero fructus perceperit *mala fide,* nimirum ratus se eos percipere non posse, S. Alph. l. 3. n. 669., et l. 4. n. 158. in fine, docet ad restitutionem teneri, « quia non potest inchoari possessio cuiuscumque rei, nisi cum certitudine iuris ». Verum assertum hoc constans et universale non est. Etenim qui matrimonium contraxit dubio impedimento, post rem frustra exploratam, licite reddere et petere potest debitum. Lig. l. 6. n. 906., I. M. 1032. Ille, qui moderatum lucrum ex mutuo percepit cum dubia vel mala fide, dummodo paratus sit stare mandatis Ecclesiae, inquietari non debet. S. Poenit. 16. Ian. 1837. Ille, qui mala vel dubia fide putans se irregularem acceptavit beneficium ecclesiasticum, fructus suos facit. Lig. l. 7. n. 347. Ille, qui gemmam in littore maris inventam sumit dubitans utrum sit nullius, an sit derelicta, vel sit amissa, post inutilem investigationem nemine comparente suam facit. Et, si quis compareat, sed non probet a se fuisse deperditam, adhuc ille iuste et legitime eam retinet. Videlicet mala vel dubia fides in hisce casibus nihil admisit iuris. Unde, si bona fide quis *iuste* et *legitime* retinet, in eodem casu etiam mala et dubia fide, ea deinde sublata, *iuste* et *legitime,* retinet. Insuper, quamvis ratio allata universim vera esset; non habet tamen locum in casu proposito: nam beneficiatus percipit fructus beneficii ex *titulo* ipsius beneficii, quod possidet. *Omittens* autem officium fructus non facit suos; sed demonstretur quod beneficiatus recitans officium, attentione solum externa, officium *omittat.*

II. — DE MERCATURA ET NEGOTIATIONE

1°. « Vicarius Apostolicus (Kouytcheou) pecuniam ad se missam deponit apud quendam mercatorem in provincia sua commorantem, et partem illius pecuniae de tempore in tempus sumit et expendit prout necessitates postulant; et sic in fine anni plus minusve pecuniae superest in manibus mercatoris, qui ea utitur pecunia, ut suum exerceat commercium, et lucrum ex ea percipit, miraturque, quod Vic. Ap. nullam lucri advenientis partem recipiat.

Petit Vicarius Apostolicus, ut sibi liceat cum illo mercatore societatem inire, ut lucri vel damni sit particeps, pro rata pecuniae apud praefatum mercatorem a Vic. Ap. depositae.

R. Quoad ineundam societatem, Negative; et Vic. Ap. Kouytcheou consulat Bened. XIV. in sua C. *Apostolicae servitutis,* et de Syn. dioeces. l. 10. c. 3., et detur Decretum d. 13. Aug. 1834., nempe: « Posse missionarios etc. subsidiorum sibi debitorum securitati, et missionis ipsius bono consulere, accipiendo per modum permutationis merces pecuniis sibi debitis emptas, easdemqae ad se delatas vendere, et suum facere pretium ex venditione earundem retrahendum ». Acta S. Sed. V. 24. p. 707.

2°. Caesar sacerdos ingentem pecuniae summam dat Caesarino fratri, ut officinam aperiat ad numismata, imagines sacras, rosaria, et alia devotionis obiecta vendenda. Caesarinus solus nomen dat officinae, et negotii curam gerit. In fine vero anni rationem dat Caesari accepti et expensi, et cum ipso lucrum dividit, proportione servata inter pecuniam fratris, et propriam operam.

Quaer. *An Caesar licite agat?*

R. Negative. Nam negotiationem vere exercet per interpositam personam, prohibitam a Bened. XIV. C. *Apostolicae servitutis,* 25. Febr. 1741., et a Clemente XIII. C. *Cum primum,* 27. Sept. 1759. Cf. Bened. XIV. de Syn. l. 9. C. 9. n. 4. 5.

3°. Bernardus rector Seminarii, frumentum emit duplo maiori quantitate qua per annum indiget. Ait enim pretium nunc frumenti praeter morem minimum est, post sex menses maximum erit, et tunc superfluum cum lucro vendam. Verum, si praevideam futuro anno pretium auctum iri, tunc quod superest in futurum annum servabo.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Si emit directa intentione carius vendendi, illicite agit; est enim verae negotiationis actus. Si vero emit propter periculum, quoad occurrere potest proximo anno, ut rei familiari Seminarii provideat, quo periculo cessante, superfluum deinde revendat, licite agit; non est enim actus negotiationis, sed domesticae oeconomiae. Cf. Lugo de Iust. et Iure D. 26. S. 3. n. 32.

4°. Olivarius, sacerdos, videns valorem schedularum fori argentarii Americae Meridionalis in Europa, in dies semper, valde imminui, scribit amico suo in America Meridionali degenti, qui bis mille libellas ei restituere debet, ut eas impendat in emendis mercibus illius regionis, quas postea ad ipsum mittat. Has enim merces ipse vendens in Europa, poterit sine detrimento et forte etiam cum lucro recuperare totam suam pecuniam.

Quaer. *An Olivarius licite agat?*

R. Affirmative. Nam non intendit lucrum vilius emendo ut carius deinde vendat, sed recuperationem pecuniae suae sine detrimento. Cf. Lugo de Iust. et Iure D. 26. S. 4. n. 33.

5°. Onuphrius, sacerdos, mutuam dat pecuniam Angelo fratri suo. Percipit Onuphrius annuum lucrum iuxta taxam legalem. Angelus vero eam negotiatione impendit.

Quaer. *An Onuphrius licite agat?*

R. Affirmative. Non enim est ipsemet negotiator, sed eius frater. Ipse simplex pecuniae mutuator est, quod ipsi non prohibetur.

12. — DE ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM

Monasterium quoddam constituit vendere domum quandam, quam possidebat, alteri Monasterio, quod pretium offerebat 20,000. libellarum. Contractus iam perfectus erat, sed Beneplacitum Apostolicum nondum petitum erat, et ideo nec tradita erat pecunia, nec tradita possessio domus. Interim Capitulum ecclesiae illius civitatis pretium obtulit Monasterio proprietario 25,000. libellarum, et statim petita et obtenta Apostolica venia pretium tradit, et possessionem sumit domus, altero Monasterio reclamante.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Contractus posterior Monasterii cum Capitulo validus et licitus fuit. *Validus*, quia prior contractus cum alio Monasterio nondum vere fuit contractus *perfectus* et consummatus. Ut enim constat ex Extrav. *Ambitiosae De reb. Eccl. non alienand.*, renovata per C. *Apostolicae Sedis*, nullus privatus contractus partium hac in re valorem habet antequam illi accedat Apostolicum Beneplacitum. *Licitus* vero fuit, quatenus nempe 1°. nullum inde obvenerit damnum alteri Monasterio, de quo nihil in casu; quatenus 2°. noluerit alterum Monasterium, re cognita, aequale offerre pretium, prius augendo. Ex naturali enim aequitate, dum adhuc tractationes de contractu habentur, et nondum est contractus absolutus et perfectus, exigere non potest emptor, ut venditor notabilem sui utilitatem negligat, posthabendo meliorem occasionem rem longe carius vendendi. Cf. S. C. EE. et RR. 30. Aprilis 1869. Acta S. Sedis V. 5. p. 362. seqq.

DE BENEFICIARIIS

13. — DE OBLIGATIONE BENEFICIARII ELEEMOSYNAM DANDI

Iofridus pingue possidet beneficium. Cum probabilem spem habeat, quod ad episcopatum vel cardinalatum promoveatur, in quo statu videt se multam utilitatem Ecclesiae afferre posse, abstinet ab omni fere eleemosyna, sibique reservat ecclesiasticos fructus, ad suam congruam sustentationem non necessarios, tum ad altiorem illum statum acquirendum, tum ad illum acquisitum debito decore deinde conservandum.

Quaer. *An licite?*

R. Illicite. Id constat ex communi auctoritate theologorum, qui quaestionem movent, an obligatio adsit eleemosynam dandi ex illis bonis, quibus ad acquirendum meliorem statum quis indigeat; et distinguunt inter laicum divitem et beneficiarium. Affirmant quidem, « laicum posse de bonis patrimonialibus servare ad statum suum vel aliorum mutandum..... At episcopi et alii ecclesiastici non possunt ex bonis beneficii statum mutare altiorem sibi, vel consanguineis, vel amicis, ut bene docuit Corduba, quia ista bona non sunt data nisi ad congruam sustentationem ». Ita Vasquez Tr. De Eleemosyna cap. 4. dub. ult. n. 14. Ita etiam C. De Lugo Resp. Mor. l. 5. D. 11., qui praeter Vazquesium citat etiam pro hac doctrina Navarrum et Malderum.

Excipe tamen casum, quem excipit ipse Cardinalis De Lugo, quum nempe ecclesiastici illi fructus non reserventur ad acquirendum episcopatum vel aliam ecclesiasticam dignitatem, sed haec *aliunde* et *proxime* sit acceptanda; et *careat* quis pecunia *requisita* ad *necessarios* sumptus faciendos.

14. — DE EPISCOPIS

1°. Episcopus Parmensis, instituto haerede universali, legavit episcopo Parmensi pro tempore, crucem cum gemmis, annulum pretiosum et pastoralem baculum; archipresbytero crucem cum aurea catena; domino rectori seminarii planetam albam; seminario Parmensi dimidium sacrorum paramentorum, et alterum dimidium seminario e Berceto; vicario generali calicem argenteum; secretario stolam pretiosam. Ait insuper episcopus testator: omnia aurea, et argentea utensilia, et sacra paramenta fuisse in sua proprietate; i. e. vel dono accepta, vel acquisita aere proprio, minime ex Ecclesiae reditibus. Asseritur autem defunctum episcopum eleemosynis atque aliis piis operibus per 10. annos expendisse

plusquam ex mensa per totidem non recepit. Ast consilium Fabricae cathedralis Ecclesiae valida haec episcopi legata non censuit, sibi de tota sacra episcopi suppellectili, seu, ut dicitur, de episcopi capella ius esse spolii autumans. Hinc

Quaer. *An et quae sacra supellex valide testamento legata sit in casu?*

R. « Affirmative in omnibus et amplius ». S. C. C. 19. Ian. 1884. Ratio est, quia Cap. 1. *de Testam.* concessum est clericis testari de omnibus, quae ecclesiastici proventus naturam non habent. Id confirmatur Cap. *Quia nos* 9. e. t., Cap. fin. *de Pecul. cler.,* C. S. Pii V. *Romani Pontificis,* ut docent Navar. de spol. cler. § 1. n. 4., Bursat. cons. 377. n. 28. §. *Attamen,* Barbosa lib. 3. cap. 17. n. 62., Azor Inst. moral. T. 2. l. 8. cap. 3., p. 11., Panimol. decis. 20. adnot. 1. n. 11., Ventriglia etc. Et hoc certum hodie est ex C. Pii IX. *Quum illud* 1. Iun. 1847. Nam decernitur in ea non deberi cathedralibus Ecclesiis ea omnia utensilia, quae comparata fuere bonis non pertinentibus ad Ecclesiam, quaeque non constet donata fuisse Ecclesiae. Affirmationi praeterea episcopi fidem negari posse nemo certe dixerit. Agitur enim de episcopo, et ipse S. Pontifex in sua C. *Quum illud* episcoporum depositionem in hac re vult pro veritate admitti. Insuper ea episcopi caritas, quae mensae episcopalis reditus praetergrediebatur, hypothesim excludit, quod sacra illa supellex mensae reditu fuerit coempta, C. *Cum in officiis* 7. *de Testam.,* Cf. Ferraris v. *Spolium;* et ideo *a spolio* favore Fabricae Cathedralis exempta fuit.

Ad spolium autem quod attinet, notandum est, quod clerici Iure Canonico privantur facultate testandi quoad bona superflua suorum beneficiorum; licet testari possint de suis bonis patrimonialibus, industrialibus, parsimonialibus. Illa enim, dum vivunt, expendere tenentur ex praecepto Ecclesia in pia opera. C. 1. 7. 8. 9. 12. *de Testam.* Porro superflua beneficiorum a clerico relicta vocabantur *spolia,* quae olim pertinebant ad Ecclesiam, in qua clericus beneficium obtinuerat ex C. 7. *de Testam.* Disciplina haec per aliquod tempus posthabita, a Trid. S. 25. C. 1. de R. et a pluribus Romanis Pontificibus in vigorem fuit revocata. Constitutum vero fuit, ut beneficiorum superflua, de quibus clerici nequeunt testari, cederent et applicarentur *iure spolii* Camerae Apostolicae. *Spolii* poenae item subiiciuntur illicite per negotiationem a clericis acquisita. Bened. XIV. C. *Apostolicae Servitutis* 25. Febr. 1741., Acta S. Sed. V. 16. p. 460. seq.

2°. Episcopus regularis, graviter aegrotans, ex qua infirmitate deinde mortuus est, pluribus mensibus ante suam mortem nepoti suo, in cuius domo aegrotabat, et qui de ipso episcopo optime meritus erat, iteratis vicibus dixit: *Tu es dominus omnium quae habeo, mihi displicet, quod pauca sint,* subiungens se habere aliquam pecuniae summam. Hinc, biduo vel triduo ante mortem episcopi, dictus nepos ab eius scrinio ex pecuniis, quae ibi reperiebantur accepit scuta circiter mille, nullo facto verbo de hoc cum episcopo, cuius reliquas pecunias et bona mobilia, ipso mortuo acceperunt, *spolii* nomine, Camerae Apostolicae ministri.

Quaer. *An nepos episcopi potuerit tuta conscientia pecunias illas accipere et retinere?*

R. Difficultas in casu est ex praedictis verbis : *Tu es dominus omnium quae habeo, mihi displicet quod pauca sint,* quae non videntur significare praesentem donationem, vel certe non videntur significare donationem *inter vivos,* sed solum donationem *mortis causa.* Haec autem ab episcopo regulari fieri non potest, sicut nec fieri potest testamentum, etiam ad causas pias; cum huiusmodi dispositio regularibus omnibus sit interdicta, etiamsi sint episcopi, sive agatur de bonis acquisitis ex fructibus Ecclesiae, sive de aliis bonis quasi patrimonialibus. I. M. 252. 281.

Attamen probabiliter praedicta verba donationem continent *inter vivos,* quam praedictus episcopus facere poterat, tum ex bonis quasi patrimonialibus, videlicet ex stipendiis quae revera praedictus episcopus accipiebat pro personali labore, sive etiam ex superfluis fructibus Ecclesiae, cum nepos ille pauper esset, plures haberet filios, et filiam nubilem, quam honeste non poterat in matrimonio collocare. I. M. V. 1. n. 870.

Quod verba illa contineant donationem inter vivos factam nepoti, probari potest primo, ex obvio et naturali sensu illorum verborum, quae secus nihil significarent. Proprius autem sensus illorum verborum hic est: *Ego dono tibi, quod domi meum invenitur, et vellem ut plura invenirentur.* Cum autem praedicta donatio pluribus mensibus ante mortem facta fuerit, nullum est indicium, quod mortis causa facta fuerit. Insuper quamvis donatio per se non praesumatur, L. *Cum de indebito* ff. *de Donationibus,* quando tamen merita praecesserunt, ex causa remunerationis, donatio praesumitur, L. *Si vero non remunerandi,* par. *Inde Papinianus* ff. *Mandati.* Eximia autem merita ex parte nepotis, in casu, praecesserunt; dicitur enim optime de episcopo meritus, et episcopus in eius domo habitabat et aegrotabat. Unde non defuerunt certe multa in episcopi favorem facta. Praeterea delicta non sunt praesumenda. Ac cum episcopus regularis donare non possit mortis causa, nec id praesumatur episcopus ignorasse, praesumendus est donasse modo omnino licito, qui solus erat donandi inter vivos. Postremo ad nepotem quod attinet, cum profecto bona fide summam illam 1000. scutorum accepisset, ea spoliari non potest, cum in dubio melior sit conditio possidentis. — Lugo Resp. Mor. l. 5. D. 1.

3°. Episcopus vilnensis episcopo suffraganeo facultatem dedit exercendi in civitate et dioecesi vilnensi quidquid ipsemet posset, qua facultate episcopus suffraganeus usus est, vivente episcopo vilnensi. Hoc autem mortuo, dubitavit praedictus episcopus suffraganeus, utrum vi praedictae facultatis, a Capitulo et deinde ab episcopo successore non revocatae, sine novo consensu Capituli, et deinde episcopi successoris, potuerit adhuc exercere Pontificalia et ordines conferre habentibus legitimas litteras dimissorias suorum Praelatorum, praesertim si Capitulum, et deinde Episcopus successor id videat et non contradicat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Non potuisse. Id constat 1°. ex responsione negativa simili quaesito data a S. C. Cardin. Conc. Trid. interpr. 22. Febr. 1631., cuius meminit C. De Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 32. — 2°. Ex eo quod, licet doctrina communis sit, quod licentiae et facultates a praedecessore sine limitatione concessae durant post mortem concedentis donec a successore revocentur; ista tamen specialis licentia et facultas, in casu, includit rationem quandam dominii in aliena domo. Atqui ob reverentiam, quam omnis hospes debet domino in domo sua aequum est, ut hospes in aliena domo non se gerat tanquam dominus sine consensu novi domini, quamvis illam licentiam a praedecessore obtinuerit: est enim reverentia personalis successori debita, quam praedecessor ei auferre nequit, licet amplissimam concedat facultatem, ut quis se gerat in sua domo tanquam dominus. Ergo. Lugo l. c.

4°. Episcopus certis et iustis de causis prohibuit parochis, ne in suis Ecclesiis permitterent missas celebrari a regularibus; nisi ab episcopo licentiam haberent.

Quaer. *An episcopus iure egerit in Casu?*

R. Affirmative. Ita C. Lugo Resp. Mor. l. 5. dub. 25., qui hanc duplicem affert rationem. Prima ratio est, quia facultas ubique celebrandi, quam regulares habent non dat ius cogendi dominum, ut eo invito possint in eius domo, eiusque oratorio, quod habet, ab episcopo approbato, celebrare. Cum ergo Ecclesiae seculares sint sub dominio vel libera administratione cleri saecularis non videntur habere regulares ius ut, clero saeculari invito, possint adhuc in eiusmodi alicuius Ecclesiis celebrare. Quare episcopus, qui est supremus parochus in tota dioecesi non infert regularibus iniuriam, si nolit suas Ecclesias regularibus ad celebrandum commodare. Altera ratio est, quia ipsi religiosi non tenentur admitttere in suis Ecclesiis ad celebrandum omnes clericos saeculares, qui ibi voluerint celebrare. Esset ergo odiosa inaequalitas, si quod clerici saeculares non possent in Ecclesia regularium facere, sine eorum licentia, id possent regulares in Ecclesia saeculari facere, seculari clero repugnante.

15. — DE CANONICIS

1°. Iacobus canonicus choro quidem interest, sed officium cum aliis non persolvit canendo. Alios enim alterius partis chori audit; versiculos vero suae chori partis submissa voce recitat. De hac sua praxi anxius quaerit, an graviter peccaverit, et perceptos fructus ac distributiones restituere teneatur.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Haec ad rem nostram habet Roncaglia Tr. 5. q. 2. c. 1. q. 6. « Tenetur beneficiarius choro addictus ita canere, si ex aliqua causa non impediatur, ut ab altera parte possit audiri. Multi refragantur huic obligationi, cum satis illi sit, ut illa pars chori, in qua iste reperitur, ita dicat ut ab alia audiatur; nam tunc censentur omnes ita dicere, cum mutua communicatione se iuvent. Verum haec ratio non satis me convincit; nam addictus choro, ut satisfaciat suo muneri, ac proinde distributiones percipiat, debet choro inservire, prout exigit tale servitium; servitium autem chori exposcit, ut ita quis recitet, ut ab altera parte possit audiri. Praeterea quilibet addictus ministerio alicuius communitatis debet ex sua parte tali ministerio conferre, ita autem certe non facit, qui ita dicit horas canonicas, ut non possit audiri a comparte. Ex his rationibus communis opinio est saltem non satisfacere publicae recitationi, qui ita submissa voce recitat, ut perinde se habeat, ac si privatim recitaret; ac proinde privandus esset distributionibus ».

Haec de eadem quaestione tradit Bonacina D. 1. q. 3. p. 2. par. 1. n. 17. « Respondeo secundo eum, qui suos versiculos submissa voce recitat, et alios alterius chori attente audit, non satisfacere debito servitio chori, quamvis obligationi divini officii recitandi satisfaciat, nec officium repetere teneatur. Ratio est, quia reditus ecclesiastici dantur canonicis, ut inserviant et cantent cum aliis, Clem. 1. *de Celebrat. missarum* Cap. ult. dist. 92., ubi dicitur, clericos deputatos ad Ecclesiam debere in Ecclesiam convenire ad quotidianum psallendi officium. Sed clerici non deputantur, nec convenire solent, ut audiant reliquos, sed ut simul psallant; sicut non conducitur operarius ad vineam, ut ibi assistat, sed ut in ea operam suam navet; nec parochus ut simpliciter resideat, sed ut onera parochialia exerceat; ergo debent simul psallere; consequenter qui suos versiculos submisse recitat non satisfacit debito chori, quamvis alios attente audiat... Hinc sequitur recitantem submissa voce, aliis canentibus non posse distributiones percipere. Ratio est, tum quia distributiones conferuntur canentibus et inservientibus in choro, tum quia, qui non facit quod debet, non recipit quod oportet; tum quia hic facit contra iustitiam commutativam; ergo tenetur ad restitutionem... Concedo tamen posse percipere mediam partem distributionum, quia non deest in totum suo muneri, cum assistat choro, et officium submisse recitet, et reliquos audiat.... Et hoc pacto intelligenda sunt verba Const. Pii V., quae incipit. *Ex proximo lateranensi,* in qua decernitur, ut canonicus, qui non psallit in choro, licet praesens adsit, fructus amittat, quos lucrifecisset, si cantasset. Ratio, cur ita sint intelligenda est, tum quia partem sui muneris adimplet, ergo par non videtur ut omnes fructus amittat, tum quia in praefata Const. non dicitur, qui *non psallit,* sed qui choro addictus *non recitans* omnibus horis canonicis cum aliis praesens adsit ».

Summus Pontifex fructus quidem et distributiones absolute denegat ei qui choro interest, sed *non recitanti* officium neque in choro neque extra chorum. Verum, si extra chorum recitat officium, recipit quidem beneficii fructus; beneficiarius enim privatim recitans fructus suos facit.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Si vero neque in choro neque extra chorum officium recitat, fructus et distributiones amittit. Nam ratione omissionis officii amittit fructus, ratione absentiae a choro iacturam distributionum facit. Hinc, si quis in choro suam quidem officii partem recitat sed non psallit, alios autem suam partem psallentes audit non amittit fructus, cum hic non sit deterioris conditionis eo, qui ad chorum non accessit, et privatim recitavit. Distributiones vero dimidia parte lucrari videtur, ut ait Bonacina; nam, quamvis non psallat, choro tamen reapse assistit, officium recitans, et reliquos audiens. Si vero choro adsit, et officium recitet, sed submissa voce totum officium recitet, tunc quamvis fructus beneficii lucretur, omnes tamen distributiones amittit, cum illa praesentia in choro, tunc omnino materialis sit; ac ut simpliciter non recitans, etiamsi choro adsit, amittit tamen distributiones; ita etiam quamvis recitet, sed privatim, totum officium distributiones amittit; si enim in uno casu illa praesentia, non consideratur ut sufficiens ad distributiones lucrandas, neque etiam ut talis consideratur in alio casu.

Ita quidem ex Bonacina loc. cit. et ex Bulla cit. S. Pii V. Verum S. Alphonsus l. 3. n. 675. contendit, canonicos choro non interessentes, sine legitima vel iusta causa, ipso facto et ante omnem sententiam amittere tum omnes distributiones tum etiam fructus beneficii; itemque canonicos choro quidem interessentes, sed non canentes, amittere etiam omnes distributiones et fructus; eosque pariter choro interessentes, et submisse psalmos recitantes, et alteram partem audientes amittere omnes distributiones, et teneri ad fructus praebendae restituendos. Id S. D. confirmat ex C. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas* et ex Litt. *Dilecte fili* ad Em. Card. Delphinum Patriarcham Aquileiensem.

Iam porro canonici a choro absentes, etiam vacationum tempore, *distributiones* non lucrantur; nisi fictione iuris praesentes censeantur. Distributiones etiam non lucrantur, qui choro adsunt, sed non psallunt, etiamsi submissa voce totum officium recitent; immo etiam, si submisse partem tantum recitent et partem aliam in choro audiant; nam etiam in hoc casu non psallunt. Ita quidem ex cit. Const., et ex cit. Litt. Benedicti XIV. Verum ad *fructus* praebendae quod attinet, illi qui a choro absunt, si officium recitent, fructus utique praebendae restituere debent, sed non ante sententiam iudicis, et si absint ultra menses conciliares, ac sine legitima vel iusta causa. Neque contrarium evincitur ex cit. Constit. et cit. Litt. Benedicti XIV. Viget enim adhuc praescriptio hac in re Conc. Trid. S. 24. C. 12. de R. Cf. S. C. C. in Verulana Residentiae 6. Iun. 1863. Quare Const. Benedicti XIV. de illis praebendis intelligenda est, quae constant ex quotidianis distributionibus. Cf. Barbosa de Canon. et Dignit. C. 20. n. 18., Lucidi Ed. 3ª. V. 1. p. 322. n. 106. Hinc etiam canonici, qui choro adsunt, sed submisse officium recitant et non psallunt, vel etiam simpliciter non recitant, tenentur ad fructus praebendae restituendos, sed non ante sententiam, et non nisi ultra menses conciliares. Cf. I. M. 219, 220. 221.

Notandum autem hic est 1°., duplex redituum genus constitutum esse canonicis; unum ex praebendis, quod nomine *fructus* nuncupatur, alterum ex *quotidianis distributionibus*. CC. 19. 27. *de Praeb.*, C. 10. Extr. Comm. e. t. Illi dantur propter ipsum beneficium seu praebendam, adeoque ut recitent horas canonicas, hae propter praesentiam, et conse-

quenter ut choro intersint. Cf. Lucidi Ed. 3ª. V. 1. p. 286. n. 27. seqq., Trid. S. 21. C. 3. de R., S. 22. C. 3. de R., S. 24. C. 12. de R. His accedunt emolumenta ex anniversariis, ex legatis, ex publicis supplicationibus, ex iustis funerum etc. quae *distributiones inter praesentes* dici solent. Cf. Bened. XIV. Not. 107. n. 7.

Notandum 2°. est, quod, seposita quaestione de choro in ordine ad lucrandos *fructus* et *distributiones*, sed loquendo de choro in generali in ordine ad satisfaciendum obligationi divini officii, an ei satisfaciant, qui submisse psalmos recitent, alteram partem audiendo, ex valde probabiliori et communiori sententia affirmandum est. Ratio est, quia ad satisfaciendum officio in choro non est necesse, ut quisque audiat omnes voces alterius partis, unaquaeque enim pars cum alia unum corpus constituit, et mutuo communicant. Lig. l. 3. n. 675., G. 127.

2°. Tres Canonici germani fratres, quorum duo munus etiam parochiale gerebant, e propria sede inique et violenter fuerunt expulsi ab Italiae demagogis, ad quam sine carceris aut vitae discrimine redire non poterant. Toto absentiae tempore a ceteris canonicis privati sunt emolumentis, quae *adventitia* dicuntur, quae scilicet ex mortuorum associationibus, anniversariis, publicis supplicationibus, aliisque sacris functionibus proveniunt; quae quidem emolumenta, ob mortem duorum canonicorum, quatuor tantum qui supererant canonici sibi dividebant.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Praenota: 1°. Omnia choralia emolumenta alia proveniunt a praebenda, alia vero ab adscititiis legatis piis pro missis, aliisque sacris functionibus peragendis. Circa huius secundi generis emolumenta quaestio versatur, quae quidem emolumenta, duplicis pariter speciei sunt: alia enim sunt fixa ex perpetuitate legatorum; alia vero incerta et manualia, quae ex eleemosynis, vel transeuntibus legatis, aliisque modis fidelium pietate obveniunt. 2°. Causae dantur *legitimae* absentiae a choro, quae non solum ius tribuunt percipiendi fructus et distributiones quotidianas; sed etiam ceteras extraordinarias et omnia emolumenta, quae ex fixis obventionibus derivant, si non obstet specialis testatoris vel dantis voluntas. Huiusmodi causis accensetur canonicorum absentia a Demagogis coacta, durante eiusdem absentiae necessitate. Haec enim coacta absentia reducitur ad *corporalem necessitatem,* quae ius tribuit etiam ad emolumenta fixa, ut doctores tradunt secundum C. *Consuetudinem* unic. *De Cler. non resid.* in 6°., et constat ex plurib. responsis S. C. C. — I. M. 220.

Quare respondetur ad propositum quaesitum, absentes illos canonicos lucrari omnes obventiones *fixas* tantum, in quibus non obstet specialis testatoris vel dantis dispositio, durante illius absentiae necessitate; aliosque canonicos praesentes, qui eadem absentium emolumenta indebite perceperunt, ad eorundem restitutionem teneri. S. C. C. 8. Iul. 1865. Acta S. Sed. V. 2. p. 407. seqq., Lucidi Ed. 3ª. V. 1. p. 304.

3°. Ioannes Baptista, canonicus, assidue choro assistit, et canonicas horas decantat. Verum nunquam Capitulo assistit: ait enim, suffragii iuri libenter renuntio. In consilio item episcopi nunquam suam promit sententiam; inquiens, scio eam ab episcopo respuendam.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Ioannes Baptista Capitulo ordinarie non interveniens gravi non caret culpa, Bonac. de Hor. Can. D. 2. q. 1. P. 2. n. 4. Ratio est, quia ius interessendi Capitulo gravem habet annexam obligationem administrandi et gubernandi bona Ecclesiae, aliaque Ecclesiae negotia expediendi. *Ordinarie,* adeoque excusatur 1°. tempore vacationum, nisi urgeat gravissimum negotium pertractandum; 2°. si aliquando absit ex iusta causa, sine graviori Ecclesiae detrimento; 3°. cum negotia pertractanda omnino levia sunt. Bouix de Canonic. P. 3. C. 6.

Culpa item Ioannes Baptista non caret quando ab episcopo requisitus in consilio suam reticet sententiam. Cum enim canonici sint consiliarii nati episcopi, quoties episcopus eos in consilium adhibet, tenentur consequenter suam dicere sententiam, quamvis deinde liberum sit episcopo a canonicorum consilio deviare. Bened. XIV. de Syn. l. 13. C. 1. n. 7.

4°. Ubaldus in concursu ad praebendam theologalem maximum retulit suffragiorum numerum. Itemque Victorinus in concursu ad praebendam poenitentiariam primus inter omnes approbatos est renunciatus. Verum episcopus in utroque concursu tanquam digniores et magis idoneos elegit duos ex approbatis ab examinatoribus, qui ambo infimum approbationis gradum obtinuerant, eisque praebendas contulit. Hinc Ubaldus et Victorinus reclamant; aiunt enim ex Const. Benedicti XIII. illum esse eligendum, eique praebendam theologalem et poenitentiariam conferendam, *qui in concursu probatus magis idoneus renunciatus fuerit ab examinatoribus.*

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Inter canonicos eminent theologalis et poenitentiarius. Canonici theologalis est S. Scripturam interpretari. Trid. S. 5. C. 1. de R., Benedict. XIV. de Syn. l. 13. C. 9. n. 17. Canonici autem poenitentiarii officium est confessiones audire. Trid. S. 24. c. 8. de R., Bened. XIV. de Syn. l. 3. C. 4. n. 3. Bened. XIII. C. *Pastoralis officii* pro Italia et insulis adiacentibus formam praescripsit concursus, qua huiusmodi praebendae sint conferendae. Verum falsum omnino est, quod Ubaldus et Victorinus asserunt, videlicet in praedicta Constit. definiri digniorem et magis idoneum ab examinatoribus esse eligendum. Ante enim illa verba, non omnino exacte ab Ubaldo et a Victorino relata, haec habentur, quibus omne adimitur dubium. Praecipitur enim, ut praedictae praebendae conferantur *magis idoneo in formali concursu renunciato* EO PLANE MODO, QUO PAROCHIALES ECCLESIAE CONFERUNTUR. Atqui electio dignioris inter approbatos ad parochiales ecclesias, cui parochialis ecclesia conferatur, pertinet ad episcopum, et non ad examinatores. Trid. S. 24. C. 18. de R., Bened. XIV. C. *Cum illud* 14. Dec. 1742. Ergo, si huiusmodi praebendae conferendae sunt eo plane modo, quo parochiales ecclesiae conferuntur, electio dignioris inter approbatos, in formali concursu, non ad examinatores sed ad episcopum pertinet, eique consequenter praebenda est conferenda.

Id evincitur manifeste ex pluribus Decisionibus S. C. C. apud Acta S. Sed. V. 2. p. 74. seqq., p. 122. seqq. Confirmatur ex ratione Card. Paulut. apud Riganti in Reg. 1. Cancell. § 10. n. 31., « quia qui non habet facultatem indicendi concursum, non potest eligere magis idoneum, cum haec electio sit pars integralis et veluti clausura totius concursus, quae a Conc. Trid. tribuitur tantummodo illis, qui concursum perficiendi ius habent, ut alias respondit S. C. C. 1. Dec. 1608. ». Ergo, cum examinatores non habent hanc facultatem concursum indicendi, neque poterunt magis idoneum eligere; adeoque haec electio episcopi propria est.

16. — DE PAROCHIS

1°. Romaricus parochus concionem dominicis et festis diebus saepe omittit, vel quia rari intersunt auditores; vel quia in proximis ecclesiis conciones habentur. Hinc etiam fere nunquam concionem ad populum habet tempore Quadragesimae, tempore Adventus, et solemnioribus quibusdam festis; quia alii sunt plures et insignes praedicatores.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Romaricus male agit, et graviter deest suo officio. Neque excusatur ex eo quod exiguus sit populi numerus, Bened. XIV. Notif. 10. n. 3., Lucidi Ed. 3ª. V. 1. p. 429., vel ex eo quod conciones in aliis Ecclesiis habeantur, Bened. XIII. C. *In supremo* 13. Sept. 1724. Hinc graviter etiam peccat concionem omittens tempore Quadragesimae et Adventus, quia non desunt in aliis pluribus Ecclesiis conspicui concionatores. Verum, si in ipsa parochiali Ecclesia tempore Quadragesimae et Adventus alius esset concionator, et consuetudo esset, quod tunc parochus a concione abstineat, tunc, nisi aliud episcopus praecipiat, stare potest praedictae consuetudini. Lucidi l. c. p. 430. 431. Tandem Romaricus suo etiam officio non satisfacit concionem omittens solemnioribus festis diebus, nisi ab episcopo dispensationem obtinuerit, S. C. C. 1. Apr. 1876. — I. M. 240., Enchir. Mor. N. 112.

2°. Romanus parochus concionem quidem habet ad populum, dominicis et festis diebus; sed revera eius concio formalis quaedam concio non est, sed potius brevis et familiaris discursus ad parochianos de rebus ad salutem necessariis. Hinc Romanus in sua concione saepe omittit explicationem Evangelii diei. Item saepe etiam omittit catechismum docere pueros; inquiens, se teneri non ad duas conciones, sed ad unam tantum.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Romanus non peccat ex eo quod non faciat formalem concionem. Ex Trid. S. 5. C. 2. de R. sufficit, quod *plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascat salutaribus verbis.* Quod autem brevi et familiari discursu utatur, bene agit. Ex Trid. enim necesse est, *cum bre-*

vitate et facilitate sermonis, ut intelligatur, *salutis monita explanare, eademque in omnium cordibus inserere, atque eos in lege Domini erudire.* S. 5. C. 2. de R., S. 24. C. 7. de R. Evangelii item explicationem omittens in suis concionibus nihil peccat. Nam ex eodem Conc. Trid. S. 5. C. 2. de R., S. 24. C. 4. de R., S. 24. C. 7. de R. sufficit, populum *docere ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem; et divinam legem annuntiare, et in ea erudire.* Verum quod Romanus catechismum pueros docere omittat, excusari non potest. Quamvis enim non teneatur obligatione duas conciones habendi ad populum; tenetur tamen duplici obligatione, *altera ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeat; altera, ut pueros et rudiores quosque divinae legis fideique rudimentis informet.* Bened. XIV. Enc. *Etsi minime.* I. M. 239. 241., Enchir. Mor. N. 112.

3°. Innocentius parochus eleemosynam recepit, ut missa cum cantu celebraretur, et officium defunctorum decantaretur pro anima Sempronii. Recepta eleemosyna proportionate dividenda est inter ministros et omnes sacerdotes ac clericos assistentes missae et officium decantantes. Parochus missae assistit, itemque assistit officio dum decantatur, sed privatim ipse recitat horas canonicas diei, neque partem ullam habet in cantu missae, neque consequenter officium defunctorum simul cum aliis decantat. Nihilominus partem eleemosynae sibi respondentem retinet et pro assistentia missae et pro assistentia officio.

Quaer. *An recte egerit Innocentius?*

R. Quoad missae assistentiam, breviarium diei simul recitando, inquietandus Innocentius non videtur. Nam, si missa celebratur, si adsunt alii deputati cantores, videtur iam sufficienter satisfactum intentioni oblatoris, neque videtur necessarium, quod alii etiam sacerdotes et clerici assistentes, cantu etiam, omnes missae assistant, nisi id expresse praescribatur. Quoad officium vero non satisfecit Innocentius impositae obligationi officium decantandi; adeoque non videtur posse sibi retinere partem respondentem eleemosynae: siquidem ex hoc capite eleemosyna data non est pro mera assistentia, sed pro cantu officii. Id praeterea constat ex S. R. C. 9. Maii 1857., 11. Mart. 1871. Enchir. Mor. N. 118.

DE PARTICULARIBUS REGULARIUM OBLIGATIONIBUS

17. — DE OBLIGATIONE TENDENDI AD PERFECTIONEM

« Cunegunda sanctimonialis firmo animo statuit vitare peccata omnia mortalia; veniale vero nullum. Nec religio sibi est, quominus sociam aliam ad venialiter mentiendum inducat.

Quaer. *Peccetne mortaliter in utroque casu Cunegunda?*

R. In primo casu affirmant, qui cum Sanchez l. 1. in Decalog. C. 5. et Bonacina de Peccatis q. 3. p. 5. n. 13. contendunt, voluntatem committendi, prout res et occasio tulerit, venialia omnia, non vacare mortali. Negant cum Caietano, Sylvestro, Granados, Palao, Machado plures alii, quibus ipse libens subscribo hac praesertim ductus ratione, quod venialia quaeque occurrentia facto committere peccatum non est mortale, et confirmare lubet auctoritate D. Thomae, 1. 2. q. 88. a. 4. *omnia peccata venialia de mundo non possunt habere tantum de reatu, quantum unum mortale,* quod presse est dicere, venialia etiam omnia non facere unum mortale, neque ei aequivalere: ergo velle omnia committere neque est mortale, nec mortali aequivalet. Consequutio tenet: quia malitia actus desumitur ex obiecto: ergo si facto omnia committere, nullumve vitare, mortalem malitiam non involvit, neque etiam eam involvit voluntas omnia committendi, nullumve vitandi. Magister Petrus de Tapia Archiepiscopus Hispalensis mortalem malitiam, quam eiusmodi voluntatem involvere contendit, trahendam esse dicit, non ex obiecto, quod ipse etiam fatetur secundum se mortali gravitate non infici; sed ex periculo proximo lethaliter peccandi, quod in illa universali voluntate contineri arbitratur. Enimvero, vel venialia omnia reapse committere, secundum se praecise secum adfert huiusmodi proximum lethaliter peccandi periculum, et tunc venialia omnia reapse committere erit mortale, quod falsum est, et negat ipsemet Adversarius; vel secundum se praecise huiusmodi periculum non adfert, et tunc neque etiam illud adferre potest voluntas committendi: cum actus moraliter speciem ab obiecto desumat. Hac ratione convicti alii contendunt, venialia sic proxime ad mortalia disponere, ut qui animum inducit multiplicare venialia, censeri omnino debeat, velle mortaliter peccare. Quam ego responsionem multiplici ex capite breviter refutandam suscipio. Et primo quidem, si D. Thomam consulamus, citata q. 88., in uno solo casu, quod ex genere suo veniale est fieri potest mor-

tale, scilicet *in quantum constituitur in eo finis, vel in quantum refertur ad peccatum mortale sicut ad finem;* atqui voluntas committendi omnia, sed sola venialia cum exclusione omnium mortalium, in venialia fertur in quantum haec intra limites venialium continentur, ut proinde neque in illis rationem finis constituat, neque ad mortalia referat: ergo venialia ex illa sola intentione in mortale non transeunt. Ad haec cedo mihi: ubinam ponis formale illud, proximumque periculum? Nempe in Collectione venialium omnium? At omnia ab uno committi nequeunt. Nempe in aliquibus ex omnium Collectione? At ex aliquibus his nullum est, quod, si veniale sit, secundum se in exitiosum hoc periculum venialiter delinquentem coniiciat. Praeterquamquod, si omnia secundum se periculum hoc important: ergo aliqua vitare tenemur, aliter mortaliter peccaturi: ex quo alterum hoc absurde, necessario tamen consequitur, ad aeternam salutem non satis esse, si quis praecepta observet omnia sub mortali obligantia, sed requiri ulterius, ut etiam illa observet, quae sub veniali obligant: omnes enim tenemur sub gravi ad id, quod secundum se necessarium est ad vitanda mortalia: ergo si vitatio omnium venialium per se necessaria est ad vitandum mortale, omnes tenemur aliquod vitare veniale ad aeternam salutem consequendam. Quod si ratione periculi verum habere dicas, restat, ut definias, quale in specie veniale quis committere possit, quin in hoc periculum incidat, ne si per quodvis in specie veniale in periculum hoc incidi adfirmes, absurdum hoc devorare debeas: venialia omnia, et singula ratione huius periculi totidem esse peccata mortalia.

Ego certe sic existimo: quamdiu malitia coarctatur terminis peccati levis, minus afficit, minusque percellit animum illius, quem vehementer urgere, ac terrere solet malitia obiecti, quando ad gravem transcendit, ut proinde constare possit et voluntas committendi omnia solummodo venialia, et detestatio cuiuscumque mortalis, ut mirum non sit, si plures cognoscamus, qui de venialibus vitandis parum, nihilve solliciti, vel nomen mortalis horreant, nedum conspectum fugiant: unde et possint coniungere in eadem voluntatis sede animum vitandi mortalia omnia cum animo omnia venialia committendi.

Pro obiectionibus occupandis diligenter observa 1. secum haec duo pugnare: peccatum adferre secum periculum formale, sive proximum mortaliter peccandi, et intra venialis cancellos contineri. Quare, si Cunegunda in collectione venialium aliquod apprehenderet secum adferens; vel si *practice* dubitaret, posset, necne periculum hoc adferre, peccaret dubio procul mortaliter, et intentio illa vitandi mortalia omnia, ipsa semet destrueret, sicut semet destrueret, si apprehenderet intentionem hanc ipsam committendi omnia venialia inducere periculum formale, ac proximum peccandi mortaliter. Observa praeterea, ut intentio illa reapse excludat peccatum omne mortale, talem esse debere, ut nolit venialia illa committere, quae, si numero augeantur excrescunt in mortale vel ratione materiae, ut plura furta levia, quae multiplicata materiam tandem gravem furti constituunt, vel ratione effectus, ut modici vini haustus, qui saepius repetiti gravem inferant iacturam valetudini, aut ebrietatem causent. Observa demum principaliter, Sanctimonialem ratione status in perfectionem tendere debere; non ideo tamen teneri *sub mortali* veniales noxas vitare: sufficienter enim in status sui perfectionem tendit, si praeter

praecepta, Christianum quemque graviter obligantia, ea et ipsa observet, quae graviter speciali nomine Religiosum obstringunt: neque enim fieri potest, ut observet praecepta gravia, quae vel in regula continentur, vel ab Superioribus imponuntur, et quibus ipse se votorum vinculo obstrinxit, quin ad perfectionem propriam Religiosi status aspiret, quantum satis est ad mortale cavendum. Idque sicut Fideles caeteri, qui et ipsi ad perfectionem Christiani propriam aspirare debent, contra huiusmodi obligationem *graviter* peccare non dicuntur, quamdiu venialia solum committunt, ita et Religiosi, quamdiu venialia solum committunt, dici nequeunt graviter contra proprii status perfectionem delinquere. Haud negaverim fieri posse, ut quae in Saeculari homine venialia existimantur, in Religioso, imo et in quocumque Ecclesiastico, qui exemplo praeire aliis debent, ratione scandali fiant mortalia: et sic certa quaedam scurrilia verba, et inhonestae nugae, quae in ore Saecularium leviter pias aures offendunt, in ore Religiosi, aut cuiuscumque alius speciali nomine Deo dicati, facile possunt evadere certo quodam modo blapshemiae, quae graviter percellant audientium aures, non sine ingenti et contemptu, et dedecore status Religiosi et Ecclesiastici. Verum si id genus peccata committere Cunegunda statueret, egregie ipsa sese deciperet, si nullum se mortale velle existimaret.

Hoc interea Sacerdos etiam atque etiam Cunegundae inculcet; peccata venialia remote licet, certo tamen ad mortalia disponere, ut verendum omnino sit, ne venialia paullatim sternant viam, qua in baratrum tandem aeternae damnationis praecipitet. *Qui spernit modica, paullatim decidet* (Ecclesiast. 19.). *A minimis incipiunt qui in maxima proruunt* (S. Bernardus). *Caveat febrim venialium, qui vult graviorum peccatorum mortem cavere.* Per venialia minuitur fervor Caritatis, et licet Deus nulli quoad tam physice, quam moraliter vixerit cum urget praeceptum, neget gratias sufficientes, quibus si velit, per praecepti impletionem salvus fiat; potest tamen in punitionem etiam venialium efficaces gratias negare, quo fiat, ut possit licet, nolit salvus fieri, cum ponderi gravis alicuius tentationis succumbens, in mortale tandem peccatum ruat aeternis suppliciis addicendus. Haec si Sacerdos ob oculos Cunegundae ponet, voluntatem illa vitandi mortalia, gratia Dei aspirante extendet ad venialia aeternam suam salutem in tuto magis ac magis positura.

Ad posteriorem casum deveniendo Magister Corradus 1. P. Respons. Respons. 89. § *Sequitur,* duce Magistro Soto docet, *gravius esse inducere ad unum peccatum veniale, quam committere homicidium: quia maius damnum est, et maior iactura unum peccatum veniale committere, quam sit mors corporis: qua de causa dicitur non esse peccandum venialiter etiam pro vita totius mundi.* Itaque iudice Magistro Corrado rea est peccati mortalis Cunegunda, quae Sociam ad leviter mentiendum induxit. Ego vero a mortali eam absolvendam pronuntio duce Angelico Praeceptore, qui 2. 2. q. 43. de scandalo disserens, conceptis verbis sic docet: *Si scandalum vero activum sit per se, puta, cum aliquis intendit ducere alium ad peccandum, si quidem intendat inducere Proximum ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, est peccatum veniale.* Quo quid clarius contra Corradum pro Cunegunda dici possit non video.

Quid autem, si non utcumque ad mendacium illud leve sociam induceret, sed eo directe consilio, ut ruinam illam, quae ex mendacio levi

resultat Socia ipsa pateretur? Ne tum quidem peccaturam mortaliter sententia est D. Thomae in 4. dist. 38. q. 2. a. 2. q. 3. ubi disserens de scandalo formali quod scilicet speciale est peccatum, quo quis intendit alium scandalizare, seu quo intendit Proximi nocumentum; aperte docet, *venialiter solummodo peccare, qui intendat alium inducere ad aliquod veniale*. Durum hoc videtur P. Vasquez existimanti huiusmodi intentionem ruinae spiritualis Proximi, ut ut levis ponatur, peccatum esse mortale caritati contrarium, et in hoc sensu veram putat sententiam Corradi et Soti: quia *damnum spirituale* si ex directo intendatur, tribuit actui specialem malitiam, et non est dubium quin damnum hoc *maius sit, quam quodvis malum temporale*. Sic P. Vasquez, cuius opinandi ratio probari mihi non potest; quia damnum Proximi si grave sit, non solum cum directe, sed tum etiam cum indirecte intenditur mortali actum malitia inficit, ut nemo negat: et ideo mortalis culpae reus fit, qui necessitate nulla compulsus sagittam in feram proiicit, etiamsi ex directo non intendat, modo praevideat proximi inde occisionem, aliudve grave malum sequuturum: quare vel adfirmet cum Corrado Vasquezius peccare mortaliter contra Caritatem qui utcumque inducit Proximum in veniale, ex quo certo ruina spiritualis sequutura est, vel neget cum Angelico peccare mortaliter, qui ex directo spiritualem illam ruinam intendit. Accedit, rationem, cui P. Vasquez innititur, si quid probat, probare peccatum esse mortale contra caritatem (qua debet quisque se magis quam Proximum suum diligere), peccatum inquam esse mortale, si quis venialiter ipse peccet, volens et ipse in se levem ruinam spiritualem, quae veniale consequitur; et quae certe non desinit maior esse, quam damnum quodvis temporale, ex eo quod quisque sibi potius quam alteri eam intendat; at sequela absurda esse videtur; ergo absurdum est et principium, ex quo illa consequitur. At nonne damnum spirituale, si ex directo intendatur, tribuit actui specialem malitiam? Vel gravem, vel levem, concedo; necessario gravem nego cum D. Thoma nobis aperte suffragante. At nonne revera maius est damnum per venialem culpam illatum, quam quaevis alia temporalis iactura?

P. Sanchez (De Matrim. L. 1. Disp. 5. n. 25.) cui consensit Fagundez (in Eccles. Praecept. Praecept. 1. L. 3. cap. 8. n. 12.) respondet, ad iudicandum de gravitate damni, conferendum esse non spirituale cum temporali, aut temporale cum spirituale, sed spirituale cum spirituali, et temporale cum temporali. Verum isthaec responsio, vera licet, difficultatem non evacuat, nisi ratio reddatur efficax, cur damnum spirituale cum temporali invicem comparari non debeat, ut eius inde gravitatem appendere possimus. Ratio igitur haec mihi esse videtur, quod ruina spiritualis per veniale Animae illata et libera est, quippe quae ab ipsomet qui induci libere se sinit in veniale, vitari omnino posset, et potest insuper facile reparari: unde mirum non est, si superioris licet sit ordinis, et in se gravius malum, minus tamen relate ad subiectum aestimetur, quam malum homicidii, quod Proximo non est liberum, et est omnino irreparabile. Et vero, si difficultas ex ratione maioris in se mali petita nos terrere deberet, maius esset peccatum etiam absque expressa et directa intentione iacturae spiritualis inducere ad peccatum veniale, quam occidere: quia illud maius est detrimentum, quam occisio; et maius esset peccatum venialiter mentiri, quam manum sibi, aliudve cor-

poris membrum amputare: quod nemo dixerit. Stet ergo Cunegundam in specie casus, rei natura spectata, peccasse quidem, at venialiter, non mortaliter.

Nisi forte ex accidenti ad mentiendum sociam induceret, per *actum* peccati mortalis, ut si ex odio erga Deum, vel erga sociam ipsam, vel si invidia perfectionis, in quam Socia studiosius incumberet vi, aut dolo ad veniale hoc, vel quodvis aliud committendum induceret: quia sicut in materia pecuniae fieri potest, ut furtum in se levissimum unius Iulii peccatum fiat mortale ratione gravis nocumenti homini pauperrimo illati; et in materia famae, licet falso imponere alicui esse vanum, vel mendacem, sit leve, potest fieri mortale ratione infamiae derivatae in Religiosum hominem bonae famae et notae probitatis, sic Auctore Card. de Lugo (De Iust. et Iur. Disp. 9. Sect. 2. n. 20.) si hominem perfectum, et Sanctum inducas per vim, aut dolum in peccata venialia, ratione nocumenti quod adfers, effici potes Reus culpae mortalis.

Fateor, hunc, quem ad veniale induceres, graviter non peccare; at neque etiam graviter peccat, qui pecunias suas in fluvium proiicit; et vero graviter tu peccares, si vi, aut dolo eum ad pecunias in fluvium proiiciendas induceres: ergo licet Socia Cunegundae graviter in casu non peccaret, male hinc conficis neque etiam Cunegundam graviter peccaturam, quando a statu excellentissimae perfectionis cui Socia studet, Sociam invitam per vim aut dolum deiiceret. Quam doctrinam prae oculis habere curent Sacerdotes, ut severos Iudices sese exhibeant cum his, qui Iuvenes puritate et integritate morum praestantes callide trahere solent ad Colloquia vana et impura, quae si invitus permittam posse mortali culpa vacare, ut sint solum veniale; *hoc tamen ipsum,* inquit citatus Lugo, *est grave nocumentum, quod in eo statu, et vitae puritate Iuvenibus his infertur;* quod potiore iure ac ratione iis extenderim, qui huiusmodi Iuvenes pietate ac doctrina imbuendi provinciam susceperunt ». Ithur. Cas. 35., I. M. 249. 250.

18. — DE NOVITIATU

1°. Caius Novitius, dimissione obtenta, habitum dimisit et animum manendi in Religione. Verum nocte adhuc dormiens in monasterio, poenitentia ductus petiit iterum admitti in Religionem quod statim obtinuit.

Quaer. *An novitiatus, in Casu, interruptus fuerit?*

R. Plures negant propter brevitatem temporis et materiae parvitatem; alii probabilius affirmant, quia non habetur amplius continuitas temporis annui secundum Tridentinum Concilium. La Croix l. 4. n. 18. « Si vero Caius non fuerit dimissus, quamvis dimisso habitu et animo manendi latuerit in monasterio, expectans occasionem egrediendi, Suarez et Castrop. recte dicunt contra Dian. non esse factam interruptionem; uti nec tunc si superior indutum veste saeculari voluisset prius dimittere. In his enim casibus censetur adhuc mansisse in Ordine, cum non fuerit voluntate superiorum dimissus, et saltem per hoc non censetur esse plena interruptio, nisi fuerit completa simul per actualem egressum ». Ita La-Croix l. c. n. 20.

Et Ferraris v. *Annus probationis* n. 10. seqq.: « Annus probationis seu novitiatus debet esse continuus, ita ut novitius annum probationis animo religionem deserendi interrumpens, (et egrediens) licet per duas solas horas, teneatur incipere de novo annum novitiatus ex Decr. S. C. C... si tamen, dicit Fagnanus, novitius non exivisset a monasterio, sed animo fugiendi intra claustra aliquantisper latitasset, non propterea annus probationis censeretur interruptus.... Imo annus novitiatus non interrumpitur, etiamsi novitius, retento habitu.... abdite exeat, causa se celandi, dummodo habeat animum redeundi. Et de uno, qui... per spatium viginti horarum extra monasterium sine habitu permansit, declaravit S. C. EE. et RR. 11. Aug. 1626. posse tolerari de exitu cum habitu, et animo redeundi ». — I. M. 268. 269.

2°. Novitius quidam post novem novitiatus menses ex errore medici, existimantis eum gravi laborare infirmitate, quae eum redderet ineptum ad Religionis ministeria et disciplinam a superioribus dimissus fuit. Adhibito tamen examine magis accurato, apparuit prioris medici error, et iuvenis expers suspicionis talis morbi, et ideo post sex dies iterum fuit ad novitiatum admissus.

Quaer. *An novitiatus, in Casu, fuerit interruptus?*

R. Affirmative. Dubium enim non est, quod interruptio novitiatus per sex dies requisitam novitiatus continuationem interrumpat. Accedit quod in casu, quamvis ex falsa causa i. e. ex errore medici, novitius fuit vere a superioribus dimissus, et dimissio a novitio acceptata, et ideo novitius e Religione egressus est. Quare stante in casu data et acceptata dimissione, et novitii egressu, novitiatus omnino interruptus fuit. Hinc praedictus novitius, iterum Religionem ingressus, admitti ad professionem non poterit post tres menses; sed necesse est ut iterum novitiatum incipiat, et integrum novitiatus annum peragat. — Lugo Resp. Mor. l. 4. D. 3., I. M. 269.

3°. Benedictus post sex novitiatus menses cogitur e Religione egredi ob servitium militare. Triennio in militia valde laudabiliter peracto, magister novitiorum existimat posse Benedictum admitti ad vota post alios sex menses elapsos: siquidem ait ea stante necessitate egressus omnino involuntarii, novitiatus annus non est moraliter interruptus.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Non videtur quod novitiorum magister recte iudicet. Etenim quamvis egressus Benedicti fuerit omnino necessarius et coactus, et Benedictus per integrum triennium militaris servitii bene et laudabiliter se gesserit; nihilominus novitiatus annus est vere interruptus, et novitiatus per integrum annum est in praesenti continuandus. Ratio est primo, quia nova illa conditio Benedicti in militari servitio eum reddit omnino secularem, adeoque novitiatus omnino interrumpitur. Ut enim certe in ea

nova conditione militis novitiatus non durat, neque continuatur, ita neque consequenter, stante nova hac conditione et notabili immutatione status, novitiatus deinde continuari potest, sed de novo est incipiendus. Insuper spatium trium annorum omnino notabile est, et moraliter loquendo dici vere non potest quod priores sex menses novitiatus continuentur cum posterioribus sex mensibus, notabili illo temporis spatio intermedio elapso. Atque utraque ratio valet etiamsi militare servitium uno tantum anno perdurasset. Itemque utraque ratio integra omnino manet licet egressus, in Casu, non fuerit voluntarius, et licet Benedictus valde laudabiliter se gesserit. Quin imo ex communi sententia adhuc longe brevius tempus in re praesenti habetur ut notabile et sufficiens ad novitiatus interruptionem. Et sic Card. Lugo Resp. Mor. l. 3. D. 2. n. 3. ait: « quamvis aliqui indicent interpolationem brevem non nocere, id tamen reprobant Suarez et Sanchez, et in casu nostro res est extra controversiam cum interruptio fuerit per septem dies, quae a nemine parva interruptio aestimatur ». Ac idem Card. Lugo l. c. l. 4. D. 2. n. 1. loquens de interruptione sex dierum, « non videtur dubium, ait, quod in omni sententia interrumpit continuationem requisitam ». Exposita Casus resolutio confirmari potest ex resolutione ad quintum dubium sequentis Casus propositi a laud. Card. Lugo l. c. l. 3. D. 2.

4°. « Quidam novitius post 21. dies a suo ingressu, relicto habito, discessit animo non redeundi; sed elapsis septem diebus rediit, et obtento iterum habitu novitiatum prosequutus est, et elapsis undecim mensibus et decem diebus, qui cum illis 21. diebus annum integrum faciebant, bona fide professionem emisit, ac postea per quindecim alios annos in Ordine permansit... Quaesitum est 1°. An professio valida fuerit? — 2°. An saltem postea professio tacita intervenerit? — 3°. Quia, dubitat, quod Conventus nunc non facile novum consensum praestabit, an non requisito novo consensu, possit nunc primam professionem ratificare saltem coram praelato et testibus? — 4°. Quid tandem faciet, ut valide profiteatur? — 5°. An ad hoc necesse sit annum integrum probationis denuo praemittere, an vero sine novo anno novitiatus possit prior professio statim ratificari?

Ad 1^{um}. Responsum fuit, professionem illam procul dubio fuisse invalidam... cum interruptio fuerit novitiatus per septem dies, quae a nemine parva interruptio aestimatur.

Ad 2^{um}. Videtur etiam certum nondum fuisse professionem illam sanatam et factam validam: quia ad valorem professionis requiritur consensus positivus profitentis, ad quod necesse est, quod vel profitens sciat defectum professionis, et velit denuo se obligare, vel saltem, quod habeat voluntatem conditionatam, qua dicat: si forte ego non sum vere professus ex nunc volo me denuo obligare. Non tamen sufficit mera perseverantia in Religione, et exercitium actuum, quos faciunt professi: nam qui putat, se esse professum, perseverando in Religione, non vult profiteri, sed implere professionem, quam putat se emisisse.

Ad 3^{um}. Quamvis Suarez dicat in hoc casu requiri novum consensum ex parte Religionis, scientis priorem acceptationem fuisse invalidam, quod etiam secutus est et probabilius esse fatetur Sanch... idem tamen

Sanch... dicit esse tutum et probabile, quod non requiratur nova scientia et consensus ex parte praelati vel Conventus, quamdiu prior eius consensus non fuit revocatus... Et videtur colligi ex Conc. Trid. S. 25. C. 19. de Reg., ubi post quinquennium non admittitur reclamatio contra professionem, quia supponitur eo tempore ratificata; atque adeo per solum consensum profitentis, nulla etiam stante nova acceptatione ex parte Religionis. Posset ergo Religiosus in casu nostro hanc sententiam amplecti, quod quidem bene procederet, quatenus solum attenditur ad professionem revalidandam; difficile tamen sustineri potest in ordine ad novitiatum, vel eius partem supplendam, ut constabit ex dicendis.

Ad 4^{um}. Constat ex dictis posse religiosum hunc amplectendo hanc ultimam sententiam ratificare professionem vel solum vel coram praelato, aut aliquo teste, quae ratificatio, ut notat Suarez, debet fieri signo aliquo externo explicite, vel saltem implicite, significante voluntatem se obligandi, quale esset permanere in habitu et obedientia animo se obligandi, quae permanentia duret tempore requisito ad professionem tacitam inducendam.... Vel, si iuxta alteram sententiam, velit novum praelati et conventus consensum habere.... sub secreto praelato rem totam detegat, et praelatus, tacito petentis nomine, id Conventui proponat... vel... dispensationem a Pontifice impetret ad professionem ratificandam... Haec tamen procedunt, quatenus sermo est de revalidatione professionis. Est tamen in casu nostro peculiaris difficultas circa tempus probationis... ut ex responsione ad quintum punctum constare poterit.

Ad 5^{um}. Ergo de novitiatu repetendo, sciendum est, aliquos sentire, quod debeat reiterari annus integer novitiatus, quia prior novitiatus interruptus moraliter fuit per professionem invalidam, qua facta, iam ille religiosus putabat se professum atque adeo non erat in probatione, ad quod requiritur libertas manendi, vel discedendi, quam libertatem non habebat putans se professum, et licet postea cognito defectu professionis, incipiat iam habere libertatem, et constituatur iterum in statu novitii; hoc tamen tempus non continuatur cum novitiatu priori, qui interruptus fuit per professionem putatam validam. Cum ergo annus probationis debeat esse continuus... consequens est, ut debeat denuo fieri annus integer continuus probationis. Ita Suarez; putat tamen probabile posse computari tempus praecedens additis postea diebus, qui ad annum durant, quia non videtur fieri interruptio moralis, cum semper fuerit continuatus status, et habitus religiosus.... Advertit tamen oportere, quod notus sit defectus professionis praeteritae ipsi praelato et aliis, ad quos pertinet admittere ad professionem, et hoc antequam tempus novitiatus incipiat continuari.... Eadem enim scientia requiritur ex parte utriusque, ut et novitius probet Religionem, et ut Religio ipsa probare possit novitium...

Non tamen facile apparet quam consequenter id dictum sit a P. Suarez, qui.... pro ratione dubitandi contra obligationem id manifestandi Religioni obiicit Tridentini Decretum (S. 25. c. 19. de Reg., in quo statuitur non esse audiendos eos, qui post quinquennium allegant nullitatem suae professionis propter vim aut metum, vel ob defectum aetatis, *aut quid simile*), in quo absque eiusmodi manifestatione praecedente supponitur valide ratificata professio quinquennio subsequenti. Ad quam tamen obiectionem.... fatetur in eo (Decreto) sermonem esse de nullitate allegata professionis factae per vim et metum, aut ante debitam aetatem,

aut quid simile, h. e. causas tales, ut postea potuerit ratificari tacite professio per voluntatem ipsius religiosi, sine novo consensu religionis, atque adeo non esse comprehensum nostrum casum, in quo necessaria erat scientia et voluntas ex parte ipsius Religionis, nisi solum cum accommodatione quadam, ut in his etiam casibus non audiatur religiosus post quinquennium, nisi quando cessat praesumptio ratificatae professionis ex parte religiosi, et ex parte etiam Religionis, vel certe non audiatur, nisi velit probare non potuisse tempore illo ratificari professionem, undecumque haec impotentia processerit, atque ita mihi videtur consequenter dicendum ». Lugo l. c.

Notandum autem hic est 1°. quod Suarez Tom. 3. de Relig. l. 7. C. 1. n. 20. exigit ex parte Monasterii novam scientiam et consensum ad acceptandam ratificationem professionis invalidae, praecise, quia loquitur de professione invalida ex defectu se tenente ex parte religiosi profitentis, et ipsius Religionis, quando nempe defuit annus probationis. Quando vero defectus se tenet solum ex parte profitentis, et specialiter quando defectus fuit propter metum, expresse fatetur n. 6. seqq. non requiri novum consensum ex parte Religionis, quia prior consensus semper remanet quamdiu non revocatur. Cf. Lugo Resp. Mor. l. 3. D. 16. n. 21. — 2°. Licet aliquod essentiale desit professionis validati, si tamen toto quinquennio proximo professus sciens volens non reclamavit ex Trid. S. 25. c. 19. de Reg. *praesumitur* ratam professionem habuisse. *Praesumitur,* nempe praesumptione *iuris et de iure,* Bened. XIV. C. *Si datam.* Sed in foro interno veritas inspicienda est, Suarez De Relig. Tom. 3. l. 7. C. 4. n. 6. Ecclesia enim consensum supplere non potest, Fagn. in C. *Si quis* n. 32. *de Regul.* — I. M. 268. 269. 278.

19. — DE PROFESSIONE

1°. Norbertus occultum commisit homicidium. Ad Deum sincere conversus Religionem ingreditur, tacens commissum homicidium. Hinc, peractis votis simplicibus, solemniter deinde profitetur.

Quaer. *An licite et valide Norbertus professionem emiserit?*

R. Illicite quidem et invalide Norbertus vota simplicia et solemnia emisit, si Religionem ingressus sit, in qua homicidium antea commissum impedimentum sit substantiale, secundum Constitutiones ab Apostolica Sede approbatas, uti de facto est in Societate Iesu. Exam. C. 2. § 2. 6. Const. P. 6. C. 3. § 4. et C.

Si vero aliam ingressus sit Religionem, in qua huiusmodi impedimentum non habetur valide professus est. Etenim Sixtus V. per Bullas anni 1587. et sequentis, homicidas aliosque certis quibusdam criminibus obnoxios inhabiles reddidit ad professionem religiosam. Verum Clemens VIII. anno 1602. moderatus est praedictas Sixti Constitutiones, et valorem professionis restituit. Quare non est dubium, quod valida fuerit Norberti professio.

Verum illicitene egit Norbertus, nihil dicens de occulto homicidio? Illicite quidem egit, generatim loquendo; si inde Religioni grave aliquod

detrimentum provenire potuerit. Illicite etiam egit, si interrogatus a praelatis de huiusmodi impedimentis nihil dixit. Intercessit enim tunc fraus et dolus in re gravi. Negari enim non potest homicidium secundum se, etiamsi non fuerit in iudicium adductum, etiamsi omnino occultum sit, rem esse tanti momenti, ut possit prudenter Religio nolle omnino acceptare eum, qui tali defectu laboret. Si tandem Norbertus incaute de hac re interrogatus non fuerit, excusari forte potest; quia praedictum homicidium impedimentum per se non est irritans et impediens ingressum in Religionem, et professionem in ea; ac cum sit omnino occultum, non tenetur Norbertus sese infamare, nec grave inde damnum Religioni imminere videtur. Attamen negandum non est, quod quamvis homicidium sit occultum, semper manet periculum, quod aliquando manifestetur cum gravi nota ipsius Religionis. Quare tunc tantum Norbertus excusari poterit, quando tales essent circumstantiae, ut huiusmodi periculum sit prorsus improbabile. — Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 1.

2°. Euphemia ex gravi patris metu, suis consanguineis bene noto, Religionem ingressa est et solemnem emisit professionem. Verum post aliquot annos pater Euphemiae mortuus est. Tunc eius consanguinei, ut per eam haereditatem obtinerent, reclamarunt contra validitatem professionis. Ordinarius loci, ut motam litem cognosceret, ad Euphemiam misit suum vicarium generalem, cum duobus testibus, ut eam examinarent. Verum Euphemia, ne scandala excitaret, vicario generali edixit, ut a quolibet examine abstineret; quia ipsa sponte sua cedebat cuilibet liti, *ac si antea,* inquit, *monialis non fui, hodie monialis esse volo.*

Quaer. *An valeat praedicta ratificatio professionis Euphemiae?*

R. Ratificatio professionis Euphemiae videri posset invalida; quia professio, ut valide fiat debet fieri in manibus Abbatissae, vel Praelati potentis acceptare professionem. Illa autem ratificatio Euphemiae non fuit facta in manu alicuius potentis eam acceptare, sed coram quodam delegato iudice, ad quem non spectabat concedere vel acceptare professionem. Verum, in Casu, ratificatio professionis non indigebat ad sui valorem nova quadam acceptatione, sed solum consensu eiusdem monialis, volentis valide profiteri. Ratio est, quia ad valorem praecedentis professionis, ob metum invalidae, solum deerat consensus liber ipsius monialis profitentis, quo accedente quolibet tempore, professio fit valida, etiamsi ratificatio non fiat cum nova solemnitate in manibus Abbatissae, vel Praelati. Nec id videtur posse negari, stante doctrina Conc. Trid. S. 25. C. 19. de Reg., ubi post elapsum quinquennium a die professionis factae negatur audientia regulari alleganti professionis suae nullitatem ob metum, quia nimirum praesumitur tacita ratificatio et sufficiens ad valorem professionis, etiam sine nova solemnitate vel acceptatione Praelati aut Capituli, quorum acceptatio iam antea praecesserat, et non fuit revocata. Quanto ergo magis sufficiet, in casu, ratificatio expressa coram iudice delegato et testibus?

Verum invalide iterum videri posset ratificatio, in casu, ex illis monialis verbis: *si antea monialis non fui, hodie monialis esse volo.* Nam

verba ista non videntur significare professionem praesentem, sed voluntatem et animum ratificandi postea professionem. Sed in primis verba illa in iis circumstantiis, in quibus de examinanda professionis nullitate agebatur, et ad hoc examen impediendum prolata fuere, non possunt in alio sensu intelligi, nisi professionis in praesenti revalidandae. Praeterea verba illa *hodie monialis esse volo* animum significant ratificandi in praesenti religiosam professionem. Etenim, verbum *volo* cum alio verbo infinitivi temporis, e. g., *volo vendere, volo emere* potest quidem significare tantum animum dispositum ad faciendum, sed potest etiam significare animum in praesenti faciendi; et sic praedictis verbis, *volo vendere, volo emere,* bene perfici potest in praesenti contractus venditionis et emptionis. Quin imo, si verbo *volo* verbum adiungatur significans ipsum exercitium et executionem rei, tunc animum significat faciendi in praesenti, ut, e. g. *volo te habere ut uxorem,* quia ad habendum ut uxorem necessario coniugium praesupponitur. Illa autem monialis non dixit, *volo professionem facere;* sed *volo* esse *monialis,* ad quod necessaria praesupponitur professio. Neque enim intelligi poterat de moniali novitia, cum dubium examinandum non hoc esset, sed an esset monialis professa. Adeoque illa verba: *si antea non fui monialis, hodie volo esse monialis,* non aliud significabant nisi, *si usque adhuc non fui professa, iam ex nunc volo esse professa.* Ac illud *hodie* etiam perpendendum est, oppositum tempori praeterito, si *antea,* quo aperte manifestatur *praesens ratificatio* professionis, quasi diceret: si usque ad hanc diem monialis non fui, ab hac eadem die, volo deinceps esse monialis, qua locutione praesens profecto significatur voluntas et consensus. — Lugo Resp. Mor. l. 3. D. 16. I. M. 277. 278.

20. — DE RELIGIOSA PAUPERTATE

1°. Theodorus religiosus, ex accepta generali licentia a suis superioribus, pecuniam ab amicis donatione acceptam expendit in res non necessarias, plane superfluas et inutiles, aliquando etiam in res illicitas.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. 1°. Habere usum rerum simpliciter *abundantem,* dummodo ex superiorum venia habeatur, paupertati non repugnat. Ratio est primo, quia pauper non ideo desinit esse pauper quod aliquando nonnihil copiose excipiatur et tractetur aliorum caritate et liberalitate; neque enim ideo iure suo illis utitur in casu abundantioribus rebus; neque desinit habitualiter rerum omnium penuriam pati. Ratio secundo est, quia neque a valde timoratis religiosa paupertas tam stricte intelligitur, ut nonnisi usu rerum stricte necessariarum, ex superiorum etiam venia, contineatur; secus enim innumeris et continuis conscientiae scrupulis et angustiis obnoxia esset. Suarez De Relig. V. 3. l. 8. C. 5. n. 32. 33., C. 15. n. 3. 4. Quare Theodorus quoad res simpliciter *abundantes* ultra stricte necessarias inquietandus non videtur, quoad paupertatis votum. Poterit tamen in tali abundantia aliunde adesse forte culpa, vel ratione scandali, vel ratione periculi relaxandi regularem disciplinam, vel ratione *notabilis et nimiae abundantiae,* ob indecentiam paupertatis status contra ipsum votum. — Lig. l. 4. n. 30.

2°. Sumptus vero facere in rebus omnino inutilibus et illicitis illicitum plane est. Utrum vero licentia a praelato data ad hos usus de se invalida sit non mediocris quaestio est. Prima sententia communior affirmat; quia praelatus non est dominus; sed simplex administrator bonorum monasterii; adeoque valide permittere non potest inutiles et illicitas expensas: cum neque ab ipsa Religione, neque a sacris canonibus hanc habeat potestatem. Secunda sententia negat; quia secus sequerentur huiusmodi emptiones esse invalidas; ac nullo iure habetur esse invalidas. S. Alph. primae adhaeret sententiae, sed secundam reprobare non audet. Neque sane omnino demonstrativa videtur ratio, quando saltem non agatur de bonis ipsius monasterii, sed de rebus ab extraneis acceptis, ut expendantur. — Suarez De Relig. Tom. 3. l. 8. C. 5., C. 7. n. 7. 8., C. 12. n. 10. seqq. C. 15. n. 3. 4., Lugo de Iust. et Iur. D. 3. n. 130. seqq., Lig. l. 4. n. 30.

3°. Verum ad Theodorum quod attinet, facultatem Theodorus non accepit a suo praelato pecuniam expendendi in res inutiles et illicitas, sed generalem tantum habuit licentiam pecuniam expendendi. S. Alph. l. c. n. 31. quaestionem hanc in particulari instituit: « An, cum praelatus dat *licentiam generalem* religioso ad expendendam aliquam summam ad suum libitum, si iste illam eroget in usus turpes aut vanos, peccet contra votum paupertatis, et teneatur ad restitutionem tam ipse, quam accipiens ». Refert item S. D. duas sententias. Prima affirmat, propter rationem modo expositam quia cum superior non sit nisi merus bonorum administrator, neque intendit, neque potest licentiam dare ad illicitos usus. Secunda negat. Ratio, quia non obstat quod superior non sit bonorum dominus. Nam saltem monasterium ita est bonorum dominus, ut possit disponere de bonis suis ad omnes usus; et in casu praesumitur monasterium consentire, ne pereclitetur fama subditi, superioris, ipsius monasterii. « Deinde dicit Lugo, quod licet superior sit simplex administrator, nullo iure tamen scitur suam potestatem esse restrictam ad solos usus licitos concedendos. Et... non est censendum, quod superior dans licentiam, eam limitet tantum ad usus licitos; quia ipse dando licentiam generalem vult et potest tollere impedimentum, quod subditus habet ex licentiae defectu ad expendendum. Pari modo ac si Pontifex dispenset cum consanguineis ad matrimonium, non solum dispensat ad actum coniugii, sed tollit malitiam incestus etiam quoad copulam illicitam.... Item, si Papa dispenset ad carnes... cum aliquo, si iste comedet carnes nocivas, peccabit utique ex intemperantia, sed non contra praeceptum ieiunii, quod per dispensationem sublatum est ». S. D. suum deinde proferens iudicium affirmat iterum, se primam amplecti sententiam, secundam vero non audere reprobare. Quare S. Doctor Theodorum in proposito casu gravis peccati contra paupertatis votum insimulare abstinet. Cf. Lugo de Iust. et Iur. D. 3. n. 130. seqq., La-Croix l. 4. n. 14.

2°. Franciscus religiosus anceps haeret, an possit a suo superiore veniam petere, ut possit expendere in Marianam operariorum Congregationem, cuius Director a suis superioribus est institutus, varias, quas recipit a devotis personis, eleemosynas, nec non proventum variorum piorum librorum, quos ipse edidit. Id enim omnino necessarium est ad

praedictam Congregationem promovendam. Attamen ita agendo Franciscus sibi videtur peculium possidere contra religiosam paupertatem.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Nihil est cur anceps hac in re haerere possit Franciscus. Id enim factum est ab ipsis etiam Sanctis Religiosis, ut videre est, e. g., in vita S. Francisci de Hieronymo. Neque vero timere debet Franciscus, ne ita agendo peculium ipse possideat contra paupertatis votum, si veniam ipse petat et obtineat a suo superiore, et agat semper dependenter a suo superiore, apud quem deponat pecuniam, quam in praedictum pium usum adhibere velit, et a quo pecuniam singulis vicibus sibi necessariam deinde petat.

Peculium religiosorum proprie intelligitur illud, quod singuli religiosi habent, ut sibi quaedam ad vitam necessaria vel utilia valeant comparare; quod contra paupertatis votum non est, si eo utantur secundum necessitatem pro statu paupertatis, et cum venia superioris, adeoque usu precario et non irrevocabili. I. M. 288. Verum, in casu, illa pecunia non destinatur ad proprios Francisci usus, sed ad pium opus, suo Instituto plane conforme, ut apparet ex eo quod a suis superioribus Franciscus renunciatus fuerit director illius Congregationis. Quare illa pecunia, cum adhibeatur in pio opere quod ab ipso Instituto exercetur, secundum Constitutiones ab Apostolica Sede approbatas, a ratione *peculii* omnino abest.

3°. Ferdinandus religiosus petiit a suo superiore veniam disponendi de quadam pecuniae summa. Verum die sequenti superior removetur ab officio, et alius loco ipsius renuntiatur.

Quaer. *An Ferdinandus veniam iterum petere debeat?*

R. Negative. Venia enim data respicit etiam tempus futurum, quo removetur superior ab officio. Est enim potestas et gratia, quae statim ac facta est, completa et perfecta est. « E contra quamvis superior licite acceptet pro se aliquid tempore, quo est superior, ac etiam licite retineat tempore, quo non est superior, uti recte Lugo contra Dicast., attamen non poterit expendere, sine licentia moderni sui superioris, quia tantum aliis non autem sibi ipsi poterat delegare, seu committere potestatem ad expendendum pro tempore sequenti, cum inter delegantem et delegatum debeat esse distinctio ». La-Croix l. 4. n. 115.

4°. Theodosius religiosus, parentibus adhuc viventibus, ante solemnem professionem renuntiavit cuilibet haereditario iuri praesenti et futuro in favorem sui nepotis Antonii. Post peractam solemnem professionem eius parentes ab intestato moriuntur. Hinc Theodosii fratres succedentes propriis genitoribus quaerunt; an in conscientia debeant partem hereditatis dare Theodosio, vel eam sibi possint retinere. Theodosius vero eam sibi vindicat, invocans recentiores leges sibi faventes; et de ea nunc disponere cogitat in favorem sui nepotis Augustini. Verum praedictam haereditatis partem reclamat etiam Antonius vi renuntiationis iam antea factae ab ipso Theodosio. Oeconomus etiam Conventus contendit eam eidem Conventui deberi, qui succedit loco religiosorum vi principii: *Quidquid monachus acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit.*

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. 1°. Theodosius frustra omnino invocat favorem recentiorum legum. Nam per professionem solemnem religiosorum votorum iure canonico factus est omnino inhabilis ad quidpiam possidendum. Neque vero habilitatem in casu particulari recuperare valet, praelato regulari, aut etiam episcopo, dispensante. Quare Theodosius nullo modo disponere potest de paterna haereditate in favorem Augustini, neque etiam cum venia superioris aut Ordinarii loci. Itemque de eadem haereditate neque ullo alio modo, etiam ad pias causas, disponere potest.

2°. Antonius haereditatem Theodosii reclamare sibi non potest vi renuntiationis ab ipso Theodosio factae. Illa enim renuntiatio nullius roboris est. Ratio videtur clara, quia nemo dare vel donare potest id quod suum non est, nec erit. Ad Theodosium autem, qui donavit omnia sua praesentia et futura, non pertinebat tunc hereditas parentum adhuc viventium. Sed nec pertinebat postea, quando mortui sunt parentes, propter incapacitatem, quam habet religiosus solemniter professus, ut sit alicuius haeres. Non ergo comprehensa fuit haec hereditas in renuntiatione illa generali, in qua solum translata fuerant bona et iura omnia praesentia et futura. Ius autem ad illam hereditatem non erat praesens tempore renuntiationis, cum viverent adhuc parentes illorum bonorum domini; sed nec erat futurum, cum postea, morientibus parentibus, non posset ad professum pertinere ius ad illam hereditatem ob incapacitatem professi. Insuper, lege sive civili, sive canonica prohibetur quaelibet dispositio haereditatis non apertae in favorem tertiae determinatae personae. Huiusmodi dispositio omnino invalida est.

3°. Oeconomus Conventus nullo iure Theodosii haereditatem reclamat, si ex Ordinis Constitutionibus Conventus non est capax successionis hereditariae loco professi, ut est Societas Iesu, quae non succedit professo, nec professus in ea est capax successionis haereditariae. In tali casu Theodosii fratres eius haereditatem iure sibi vindicant. Si vero Conventus capax sit hereditariae successionis loco professi, eo ipso Theodosii hereditas ad Conventum pertinet, et Theodosii fratres nullum ius in eam habent.

4°. Card. Lugo Resp. Mor. D. 5. n. 9. aliter opinatur. Concedit enim, non posse renuntiari ius quod nondum habetur, nec unquam habebitur transferendo illud in alium in praeiudicium alterius, nempe Conventus, ad quem postea ius illud spectabit; quia tunc renuntians positive daret alteri id quod ipse nec habet nec unquam habebit, si agatur de haereditate, quae renuntianti non debetur, e. g., alicuius collateralis consanguinei. Verum deinde ait, secus esse dicendum de renuntiatione legitimae, quam quidem licet filius actu non possideat, vivente patre, habet tamen ius ad illam, et haec est filio debita: quare de hac non nego, ait, posse ante professionem renuntiari a filio in favorem alterius cui, ex nunc eam donet. Verum, strictum ius filius ad legitimam non habet, nisi mortuo patre, ex bonis ab eodem relictis. Unde est, quod si pater bona omnia, durante sua vita, dissipet; quamvis peccet, non peccat tamen contra iustitiam commutativam, neque ad restitutionem teneatur. Insuper talis dispositio haereditatis nondum apertae iure positivo, etiam in hoc casu legitimae, prohibita et invalida est. I. M. 1034. Ac ipse

Lugo in praecedenti Dub. 4. n. 7. haec habet: « Si novitius, vel scholaris Societatis post vota biennii *renuntiat haereditatem patris viventis* in favorem alicuius consanguinei, tunc si parens moritur... et ipse factus sit iam *professus*... non pertinebit haereditas *ad illum, in cuius favorem renuntiata fuit*, nisi aliunde ad ipsum ab intestato, vel ex testamento defuncti spectaret, sed deferretur ad illos, qui vel ex testamento defuncti, vel ab intestato succedere debent; quia ex renuntiatione nullum ius ad haereditatem eo tempore delatam acquirere potuerunt ».

5°. Ioannes religiosus professus Societatis, antequam professionem faceret, renuntiavit in favorem cuiusdam collegii societatis omnia sua bona et iura praesentia et futura. Postea vero, cum iam esset professus, quidam eius frater reliquit ei legatum, qua occasione dubitatum fuit; an, non obstante professione, validum esset legatum; atque adeo acquirendum esset collegio, in cuius favorem ante professionem renuntiaverat, vel alteri collegio, in quo tempore mortis illius fratris permanenter Ioannes habitabat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Notandum in primis est, illam renuntiationis universalem clausulam *de omnibus bonis et iuribus praesentibus et futuris* in huiusmodi renuntiationibus solere apponi ex notariorum stylo ad universalitatem renuntiationis significandam. Insuper omni effectu etiam ipsa non caret. Nam si interim, medio illo tempore inter renuntiationem et solemnem professionem aliqua bona vel iura religioso advenirent, in ea clausula intelligerentur esse comprehensa. Nihil autem nocere potest; sensus enim illius clausulae conditionalis est, i. e., *si aliqua bona, vel iura in futurum habebo;* quae tamen conditio post professionem non potest verificari, cum professus nullius boni vel iuris habendi sit capax.

De validitate autem legati, in casu, nullum esse potest dubium. Etenim professi societatis, quamvis non possint esse haeredes ex testamento, nec ab intestato; possunt tamen esse legatarii. Sanch. l. 7. in Decal. C. 27. n. 25., Lugo de Iust. et Iur. D. 3. n. 98.-100. Quare sive professus ille ante professionem renuntiationem fecerit, sive non fecerit, manet capax legati, licet non potuisset haeres institui.

Praedictum legatum tamen non pertinet ad Collegium illud, in cuius favorem ante professionem Ioannes renuntiaverat; sed ad illud in quo tempore legati sibi delati tunc habitabat. Etenim primo, si Ioannes nullam fecisset renuntiationem certum est, quod praedictum legatum pertinebat ad domum seu collegium, in quo eo tempore habitabat, iuxta principium: *quidquid acquirit monachus, monasterio acquirit.* Ac quamvis Societas non sit capax succedendi suis professis; hoc tamen non debet intelligi, ut post professionem non possit aliquid acquirere Societas per suos professos, sed solum quod per professionem non transeant bona professi ipso iure in Societatem, quae consequenter debent spectare ad haeredes testamentarios, vel ad haeredes ab intestato. Si enim devota persona eleemosynam det professo, non est dubium, quod quidquid professo detur id totum acquiratur Societati seu domui, aut collegio, in quo ille habitat. Ac quamvis professus Societatis non possit esse haeres ab intestato neque ex testamento, adeoque, si ei haereditas aliqua deferretur

non posset Societas illam acquirere; est tamen capax idem professus legati, qui consequenter illud acquireret non sibi, sed Societati seu domui vel collegio, in quo est. Ac ut eleemosyna professo data, non acquiritur certe illi collegio, in cuius favorem renuntiavit omnia iura sua praesentia et futura, ita etiam legatum eidem collegio non acquiritur. Etenim non potest quis in alium transferre illud quod non habet, et ad quod nullum ius habet. Ea autem, quae professo post professionem dabuntur sive donatione sive legato, non habet quando renuntiat, nec ius quidem ad rem tunc habet. Neque vero post professionem ea habet, nec ullum ius ad ea habet, cum sit dominii et iuris habendi incapax; sed tunc totum ius ipsius domus vel collegii est, in quo est; adeoque non nisi huic domui vel collegio res data vel legata acquiritur. — Lugo Resp. Mor. l. 4. D. 5.

6°. Pius testator mandavit, ut ex suis bonis constitueretur Capellania perpetua in templo paroeciali et in determinato altari cum onere celebrandi quotidie missam, fructu assignato 6,000. libellarum. Sempronius regularis dispersus post violentam ordinum religiosorum suppressionem, ut suae provideat sustentationi alteriusque religiosi, qui cum ipso vivit in eadem privata domo, Capellaniam ab episcopo petit et obtinet, aegre id parocho ferente.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Sempronius regularis iure egit. Etenim primo Capellania cum simplici missarum onere naturam simplicis pii legati habet; et iuxta dd. religiosi non sunt incapaces ad has Capellanias habendas; quin immo, ex superiorum auctoritate religiosos eas consequi posse non solum in propriis ecclesiis, sed etiam in ecclesiis saecularibus decrevit S. C. C. in Meliten. 23. Nov. 1694., et 11. Iun. 1695., et 1. Dec. 1696. Insuper in Litteris S. Poenit., quibus ampliatae sunt facultates iam concessae regularibus dispersis, par. 16. haec habebantur: « Concedit pariter regularibus solemniter professis, ut Capellanias, aut unum dumtaxat beneficium ecclesiasticum etiam residentiale, vel cum cura animarum de consensu et ad nutum Ordinarii loci, ac annuentibus superioribus suis, in administratione assequi et retinere legitime possint; quod tamen dimittere teneantur, statim ac ab iisdem superioribus ad claustra revocati fuerint ». Tandem resolutio data constat aperte ex affirmativo responso dato a S. C. C. 21. Aug. 1869. Acta S. Sed. V. 5. p. 82. seqq.

7°. Frater Franciscus a Passione, laicus Congr. Cleric. Excalc. SS. Crucis et Passionis D. N. I. C., anteqam professionem emitteret, bonorum suorum usumfructum suis parentibus coniunctim renunciavit, retento sibi iure proprietatis, prout permittunt Societatis Constitutiones, Cap. 13. Defuncto patre, superstes erat mater cum geminis filiabus innuptis, et rerum omnium egentibus. Aderant etiam duo fratres, qui a materna domo recesserant, et in ea conditione positi, ut se suamque familiam sustentare et alere possent. Porro hi fratres petebant, ut pars usufructus, qua antea pater fruebatur sibi concederetur, mater e contra illum sibi vindicabat.

Quaer. 1°. *Ad quem devolvatur praedictus usufructus, ad matrem, ad filios, ad filias, ad omnes, ad ipsum demum Franciscum?* — 2°. *Ad quem devolvatur totus usufructus, defuncta etiam matre?*

R. Ad 1^um^. quaesitum, usumfructum devolvi ad matrem iure accrescendi. — Ad 2^um^. vero quaesitum, usumfructum devolvi ad ipsum proprietarium, ad effectum disponendi iuxta Constitutiones. Ita S. C. EE. et RR. 15. Sept. 1837. apud Bizzarri Collect. pag. 75. Ed. 1885.

8°. « Titius testamento instituit certum perpetuumque redditum pro capellania in Templo domus professae Soc. Iesu; et capellano pro tempore nominando per superiores Societatis iniungit, ut retenta sibi determinata summa, congrua scilicet in eleemosynam pro missa quotidie celebranda; quod reliquum est in eleemosynam singulis annis tribuat Templo eiusdem domus professae.

Quaer. *Utrum id obstet paupertati domus professae, vel eius Ecclesiae?*

R. Non obstare, dummodo penes Societatem non sit ulla eorum reddituum dispensatio, neque ab eadem acquiratur ius ullum civile ad petendas in iudicio annuas eiusmodi eleemosynas.

Haec omnia habentur expresse in Constitutionibus Societatis part. 6^a^. cap. 2°. et 1°. § 6., ibi sic dicitur: « Nullus de Societate debet, nec potest quemquam ad eleemosynas perpetuas domibus vel Ecclesiis eiusdem Societatis relinquendas incitare: et si aliqui sponte sua eas relinquerent, nullum ius civile ad eas petendas in iudicio adquiratur. Sed cum ad id caritas propter Deum eos moverit, tunc eas elargiantur ». Rursus quod nulla esse possit eorum reddituum penes Societatem dispensatio habetur eodem Cap. § 2.: « Redditus nulli, ne sacristiae quidem, aut fabricae applicati haberi possunt: sed neque ulla alia ratione, ita ut penes Societatem eorum sit ulla dispensatio ». Et in Declarationibus eiusdem Cap. Lit. B. haec habentur: « Si aliquis ex fundatoribus domorum vel Ecclesiarum vellet redditus aliquos ad fabricae usum relinquere; dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit unde ei competat actio in illos (quamvis id illi curae esset, ut is, cui tale munus commissum est, suum officium faceret), et sic in rebus similibus, non esset id a paupertate Societatis alienum ». Ex quibus manifeste colligitur veritas huius propositionis: non est contra paupertatem, quam Constitutiones Societatis requirunt in domibus professis et Ecclesiis, si hae utantur redditibus sponte constitutis a benefactoribus, dummodo penes Societatem non sit eorum dispositio, nec ius ad eos in iudicio petendos.

Dicitur, *quod non debeat esse penes Societatem dispositio,* ut caveatur, ne collegia etiam habeant redditus, quos perpetuo erogent, sive ex obligatione a benefactoribus imposita, sive ex dispositione sibi libera in subsidium domorum professarum, Ecclesiarumque earum: id enim esse contra paupertatem Societatis habetur Can. 12. ex Decr. 61. Congr. 7^ae^. Generalis. Hac adhibita cautela, iam Societas intelligitur fecisse quidquid potest ex parte sua ad tuendam puritatem suae paupertatis adversus redditus, sponte in sui utilitatem relictos; se incapacem reddidit iuris

cuiuscumque in redditus ipsos; noluit praeterea ius ullum ad illos petendos, et exigendos. Quid illi supererat praestandum? Num, ne peteret quomodocumque? vel non acceptaret cum singulis annis daretur? Sed haec duo paupertati non obstant. At inquies. Deberentur singulis annis; ergo essent instar veri redditus. Sed responsio est manifesta: non enim deberentur ex iure ullo residente in Societate, sed ex iure illius, qui de bonis suis disposuit. Sic, qui pecuniam accipit ab alio, ut eam in pauperes distribuat, eam debet pauperibus, non ex iure existente in pauperibus, sed in domino; cum praecipue pauperes, aut sint incapaces iuris, aut istud nolint habere. Romae 26. Iun. 1723. Christophorus Rassler, Eduardus De Vitry, Antonius De Guizenrode, Ioannes De Ulloa, Io. Iacobus Ghezrius ». Exemplar huius Resolutionis asservatur in Archivio P. Procuratoris Generalis Societatis Iesu.

9°. Bonifacius, superior regularis, semper ac ab ipso veniam petunt sui subditi dandi aliquam eleemosynam pauperibus, vel aliquid expendendi in pias causas, et in pia opera Ordinis propria nunquam excedit quantitatem paucorum solidorum. Ait enim, cum religiosi pauperes sint, non possunt, sive in eleemosynis sive in piis operibus faciendis, excedere quantitatem propriam pauperum.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Bonifacii *ratio*, in se inspecta, vera est, si agatur de pecunia aliisque rebus, *magna quantitate*, impendendis in usus omnino *superfluos, vanos, illicitos*. Huiusmodi expensae *in rebus superfluis, notabili in quantitate*, religiosae paupertatis statui repugnant. Unde est, quod, quamvis cum superioris venia fiant, hoc non improbabiliter impedit quidem, quominus, religiosus sit proprietarius, cum nihil usurpet absque superioris consensu; sed non impedit quominus sit usus illicitus paupertatis voto repugnans. *In notabili quantitate*, secus enim praedicti sumptus, quamvis aliunde illiciti, specialiter paupertati non opponuntur. Cf. Lugo De Iustit. et Iure D. 3. 127. seqq., n. 134. seqq.

Quae autem dicantur *notabiliter superflua* in hac materia non potest una regula generali tradi. Pendet enim ex iudicio prudenti, attentis circumstantiis personarum, loci, consuetudinis et similium. Hinc in Religione observanti grave peccatum esset contra paupertatem habere, e. g., supellectilem auream vel argenteam, sericas vestes, serica stragula vel ornamenta lecti, quadraginta, triginta indusia linea ad suum privatum usum, etc. Haec enim et similia non decent, sed graviter dedecent paupertatis statum, quem observans Religio profitetur. Quare subditus haec habens etiam ex superioris licentia peccat contra votum paupertatis non quidem ob defectum licentiae, sed quia votum illud non solum est de non utendo re aliqua absque praelati licentia, sed etiam de conservando statu pauperis, nec faciendis sumptibus, qui pauperes non deceant. Lugo l. c. n. 131. 183.

Hisce praemissis, patet primo quod quamvis Bonifacii ratio vera sit generatim considerata, erronee tamen applicatur, restringendo legitimam superioris facultatem, et legitimum subditi usum ad paucos solidos. Insuper erronee etiam applicatur eleemosynis faciendis aliisque piis operibus

peragendis. Haec enim non sunt expensae et sumptus, qui dedecent religiosam paupertatem. Ac ad pauperum et indigentium eleemosynas quod attinet, praeceptum quidem pro religiosis non habetur, ut pro beneficiariis, superfluum in pauperes et pias causas erogatur; sed hoc ideo est, quia nimis clarum est, quod religiosi, qui paupertatem profitentur, superfluum in eleemosynis aliisque piis causas impendant, quod de facto fit a religiosis etiam valde pauperibus et paupertatis observantissimis. Unde est quod et plures pauperes quotidie saepe alant, et Ecclesias ac Altaria aedificent magni pretii, et publica pietatis ac misericordiae opera instituant.

Regulam hac in re Bonifacius tum pro se, tum pro aliis desumere potest ex doctrina Card. De Lugo l. c. n. 129. 184. 185. 186. 188. 1°. « Potest praelatus localis concedere licentiam subdito ad totam illam summam, quam ipsemet praelatus expendere potest; quod intelligitur de iure communi ». — 2°. Quod res non censeatur superflua et dedecens paupertatis statum, regula « non debet esse, quod sumptus fiant, circa res necessarias aut pias. Potest enim esse res pia, in qua expenditur, et tamen non esse iuxta paupertatem religiosam... Neque etiam e contra requiritur, quod res sit necessaria, ut possit licite in ea expendi, satis enim est, si sit utilis ». — 3°. « Praelatum non esse dominum bonorum communium, nec posse ut dominum de illis disponere; sed esse quasi curatorem et oeconomum, licet plus aliquid possit quam merus curator vel oeconomus... circa bona communia Conventus, h. e. circa reditus et fructus », secundum tamen debitam prudentiam et convenientiam religiosi status. « Qui autem sumptus censeantur fieri prudenter aestimandum est ex circumstantiis, et mensura reddituum, necessitatis, onerum, utilitatis etc.... Debet etiam considerari quid sit iuxta voluntatem formalem vel interpretativam fundatorum, qui bona illa dederunt Conventui ad Religionem conservandam, alendam, et fovendam: quare ad eos fines poterunt prudenter expendi. Ex hoc autem non fit quod non possint expendi nisi ad alimenta religiosorum; pertinet enim etiam ad conservandam et fovendam communitatem, quod conservetur cum debito decore honore ac aestimatione, ad quod oportet aliquando expendere in rebus spectantibus ad ornatum et splendorem, dummodo haec omnia non excedant terminos status religiosi ». — 4°. « Posse imo debere praelatum regularem facere eleemosynas de bonis communibus, plures vel pauciores pro maiori vel minori necessaria occurrentia; et hoc non solum ex superfluis sed etiam ex necessariis.... Potest etiam ex aliis honestis titulis et causis praelatus regularis donationes aliquas moderatas facere ex bonis communibus, sive ex gratitudine, sive ad conciliandos saeculares vel externos; non tamen ad liberalitatis ostentationem, et multo minus ad suos consanguineos locupletandos, vel ob suum privatum respectum, nisi forte ex bonis privatis et moderate, sicut alii subditi cum eius licentia possent. Loquor autem semper de iure communi, et praescindendo a Bulla Clementis VIII. de largitione munerum (ab Urbano VIII. deinde declarata), et a singularum Religionum Statutis, quibus Praelatorum facultas limitari solet etiam in licentiis concedendis... » — 5°. « In iis quae spectant ad victum et vestitum subditorum, retenta semper decentia et obligatione paupertatis religiosae, magis etiam debere inclinare praelatum ad liberalitatem quam ad parsimoniam, cum verissimum sit illud Bernardi pronuntiatum: *Ubi non est abundantia, non est observantia* ».

21. — DE CASTITATE

Pacomius, praelatus regularis, occasione solemnis processionis in festo SSmi Corporis Christi, mulieribus permittit claustra monasterii ingredi, et processionem comitari. Id ait fieri posse, tum ratione consuetudinis, tum quia id expresse conceditur in Const. S. Pii V.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Pacomius recte non agit. Hic casus saepe propositus est S. R. C., et negativum semper retulit responsum. Et sic, exposito *usu comitandi mulieres in processiones regularium per claustra monasteriorum,* die 30. Sept. 1628., Gardell. n. 816., S. C. respondit: « Non licere, nec esse permittendum, nisi de expressa licentia Sedis Apostolicae ». Et die 11. Iunii 1629., Gardell. n. 816., respondit: « Servandum esse Decretum factum 30. Sept. 1628. *ex quo adest Bulla Gregorii XIII. revocatoria, et est posterior* ». Idem eadem S. C. respondit d. 8. Mart. 1631., Gardell. n. 904. Et Decreto Urbis et Orbis 6. Iul. 1631., Gardell. n. 912., « Emi DD. Patres mandarunt: Extrahi Decretum prohibitivum, consulto SSmo, quod mulieres de caetero non possint occasione quarumvis processionum ingredi septa monasteriorum regularium, et quod sub eadem poena comprehendantur ipsi regulares permittentes feminas ingredi septa eorum monasteriorum ». Ac d. 24. Nov. 1635., Gardell. n. 1033. S. C. respondit: « *Nullo modo licere* mulieribus ingredi septa monasteriorum regularium, occasione quarumcumque processionum, *non obstante quacumque contraria consuetudine.* Idem constat pluribus aliis Resolutionibus S. R. C. Cf. Gardell. n. 920. 1215. 2430. 2784. 2836. Quare Pacomius neque consuetudinem, neque Bullam S. Pii V. legitime invocat.

22. — DE RELIGIOSA OBEDIENTIA

1°. Bernardus religiosus Regulas et Constitutiones sui Ordinis facile transgreditur, et nullum habet scrupulum. Ait enim, eas non contineri sub religiosa obedientia. Insuper addit, eas per se non obligare neque sub gravi neque sub levi, ut in ipsis Regulis et Constitutionibus declaratur. Sunt autem praedictae Regulae et Constitutiones merum consilium, et ad consilium nemo obligari potest.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Bernardus in errore versatur, et male omnino agit Regulas et Constitutiones sui Ordinis tam facile transgrediendo. Religiosus ad obedientiam tenetur tum *ex voto,* tum etiam *ex pacto* implicite cum Religione inito. Vi huius pacti servare tenetur omnia, quae Regulis et Constitutionibus continentur, et quae obligant sub peccato. In tali casu Regulae et Constitutiones sub religiosa obedientia continentur. Si vero Regulae et Constitutiones *per se* non obligant sub peccato; non ideo tamen sequitur, quod quis eas libere transgredi possit citra peccatum. Nam,

practice loquendo, *per accidens* et *aliunde* culpa ordinarie non deest in praefata transgressione. Neque vero sequitur, quod Regulae et Constitutiones sint merum consilium. Nam quamvis Regulae et Constitutiones non obligent in conscientia immediate ad illud faciendum vel omittendum, quod in ipsis statuitur, mediate tamen obligant in conscientia quatenus transgressorem subiiciunt alicui poenae, et quatenus religiosum subiiciunt regulari disciplinae, ad quam servandam et sustinendam in conscientia quis obligatur ipso naturali iure, eo ipso quod Religionem ingressus sit, ut in ea ad perfectionem tendat per regularem disciplinam. — Suarez de Relig. Tom. 3. l. 10. C. 7. n. 16., I. M. 249. 250. 302.

2°. S. Ignatius 6ª. p. Const. C. 1. Decl. 6. de obedientia intellectus loquens ait, eam tunc praestari, cum qui obedit « 1°. *id ipsum sentit* quod ille qui iubet; 2°. et quod iubetur *bene iuberi* existimat ». Iamvero Theotimus religiosus valde timet, ne aliquando hac ipse careat perfectione obedientiae, quia cum evidens sit, in aliquo peculiari casu, Superiorem male iubere, licet iudicio saltem reflexo ipse sentiat id quod superior iubet, quatenus iudicet *sibi nihil in praesenti melius esse, quam obedire;* attamen non potest certe existimare illud *bene iuberi.*

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Non est cur Theotimus inquietetur. Etenim eius obedientia in casu perfecta est. Ac S. Ignatius hunc casum omnino excipit, et comprehendit in illa *expressa exceptione,* posita in ipso textu, paragr. 1.: « Omnem sententiam ac iudicium nostrum contrarium caeca quadam obedientia abnegando; et id quidem in omnibus, quae a Superiore disponuntur, *ubi definiri non possit* ALIQUOD PECCATI GENUS *intercedere* ».

23. — DE DISPENSATIONE VOTORUM SIMPLICIUM

Religiosus Provincialis dispensationem concessit super Votis simplicibus emissis a quadam moniali in communitate sub regula, quam ipse religiosus profitebatur. Hinc Episcopus expostulavit, an dictus Provincialis super Votis simplicibus Monialium de quibus agitur, valide dispensare potuerit?

R. Praecedens casus propositus est S. C. et facta de eo relatione Summo Pontifici « SSmus mandavit rescribi non potuisse P. Provincialem dispensare a praefatis votis, licet simplicibus, in dicto Monasterio emissis, iuxta tradita a Bened. XIV. in B. *Convocatis* d. 27. Nov. 1749. § 32... » Bizzarri Collectan. Ed. 1885. pag. 133.

Porro Bened. XIV. l. c. haec habet: « Quoad vota noverint (Poenitentiarii) sibi abstinendum ab eorum commutatione, *in quibus agitur de praeiudicio tertii.* Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate et in vota obligatoria a tertio acceptata non se ingerant ».

Hinc apparet vota simplicia, quae in aliquo Instituto vel Congregatione vel Domo, a S. Sede approbatis, emittuntur, esse eidem S. Sedi reservata; quia ea vota ab Instituto, seu a Congregatione, vel a Domo recipiuntur; et naturam assumunt contractus ac reciprocae obligationis.

Unde eorum votorum dispensatio tertii praeiudicium inducit, ideoque nonnisi a Summo Pontifice est concedenda.

Ex hisce elucet discrimen inter vota simplicia *privata,* quae private emittuntur, et quibus quis soli Deo obligatur, et vota *publica,* quae ab Instituto vel Congregatione vel Domo acceptantur ex Ecclesiae approbatione, quibus votis quis Deo obligatur, iisdemque factis in manibus praelati, obligatur simul Congregationi vel Instituto, vel Domui, quae vota proprie constituunt in facie Ecclesiae statum religiosum. Hinc Suarez De Relig. Tr. 7. l. 2. C. 9. seqq. ait: « Ad proprium vinculum status religiosi, quando in communitate religiosa assumitur, praeter tria vota substantialia, *immediate Deo facta,* necessaria est peculiaris obligatio humana per modum *pacti reciproci,* quo et ipse homo religioni se donat et *obligatur,* et vicissim religio *acceptat* eique *obligatur*.... ad gubernandum ».

Summi Pontifices autem quibusdam Superioribus Generalibus facultatem concesserunt dispensandi super iisdem votis *in actu dimissionis tantum,* uti Superiori Generali Congregationis Passionis, et Praeposito Generali Societatis Iesu, in qua vero eo ipso, quod quis dimittitur emissa vota simplicia prorsus cessant. Facultas dispensandi, *in actu dimissionis,* super huiusmodi votis simplicibus generatim data est etiam Superioribus Generalibus illorum Ordinum, in quibus deinde solemnia vota emittuntur; quamvis eadem simplicia vota ex parte voventium, si ipsi nempe abire velint, Summo Pontifici sint reservata. Cf. D'Annib. Summ. Ed 3ª. P. 1. n. 103. nota 7. Bizzarri Collect. Ed. 1885. p. 153. 154. Attamen praedicta simplicium votorum acceptatio, et eorum publica promissio coram praelato, sola ratio non est reservationis eorundem votorum; sed est etiam speciale privilegium, quo ad praecavenda damna, quae contingere possent in aliqua Congregatione, ex nimia facilitate dispensandi, S. Sedes sibi praedicta vota reservat. Et sic in Congregatione Missionis vota simplicia, quae in illa emittuntur, nonnisi a Summo Pontifice et a Superiore Generali, ex speciali facultate, possunt dispensari, licet « in eorum votorum emissione nemo intersit, qui ea acceptet, sive nomine Congregationis, sive Sanctae Sedis, et pro tempore existentis Romani Pontificis nomine ». Bened. XIV. Br. *Quo magis* 18. Dec. 1742.

Atque hic iuverit illud notare, quod ad habendam *Religionem formalem votorum solemnium,* vel ad habendam *veram Religiosam Congregationem votorum simplicium* requiritur omnino ut vota in ea emissa non sint *privata,* sed *publica, nomine Ecclesiae a legitimo Superiore accepta.* S. C. EE. et RR. 11. Aug. 1889. Si vota sint tantum *privata* ac a nemine acceptata non habetur nisi *pia Sodalitas,* S. C. EE. et RR. 11. Aug. 1889., vel *Congregatio saecularis,* qualis ideo est Congregatio Missionis, Alexand. VII. Br. *Ex Commissa* 22. Sept. 1655. I. M. 248.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

24. — DE MUTATIONE MATERIAE

Sidonius, missionarius, baptismum semel contulit aqua caenosa, semel aqua simpliciter benedicta. Eucharistiam item consecravit semel in farina subacta, semel in pane confecto ex solano tuberoso; semel in vino acescente, semel in vino cui carbonatum calcis fuerat immixtum. Extremam Unctionem semel ministravit chrismate, semel oleo catechumenorum.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Baptismus *aqua coenosa* collatus validus est, quia aqua coenosa vera aqua est, et adhuc suo usui lavandi inservire potest. Illicitum tamen est extra casum necessitatis. Ad baptismum enim aqua adhibenda est pura et consecrata. — I. M. 396.-398., Enchir. Moral. N. 237.

Baptismus collatus *aqua simpliciter benedicta,* et non consecrata validus etiam est, quia non desideratur vera aqua; sed graviter illicitus extra casum necessitatis, quia caeremonia valde gravis praescripta omittitur. I. M. 432. Quoad liceitatem vero aquae *benedictae* loco aquae *consecratae,* in casu necessitatis, haec habentur Decreta: « Intorno al dubbio esposto dal missionario cappuccino, nella diocesi di Trebigne... se sia conferito lecitamente il battesimo coll'uso dell'acqua *benedetta,* questa suprema Inquisizione è stata di sentimento, che sia conferito *validamente,* ma che in deficienza del Fonte *dell'acqua preparata al battesimo* debba far uso dell'acqua *naturale* ». S. O. 6. Apr. 1741., S. C. de P. F. 17. Apr. 1758. « Si adsit gravis necessitas, et si nequeat consecrari aqua baptismalis, et si olei sancti defectus habeatur, posse conferri baptisma licite etiam cum sola aqua *benedicta*. Caveant tamen missionarii, ne id peragant, nisi existente vera et gravi causa dignoscenda, ut par omnino est ab Ordinario loci ». S. O. 11. Dec. 1850. « Quando non habetur aqua baptismalis, adhibenda est, quando fieri potest, *aqua benedicta* iuxta formulam in novis editionibus, et in appendice Ritualis Romani; secus adhibenda est aqua naturalis ». S. O. 22. Iun. 1883. I. M. 432., Enchir. Moral. 254.

Eucharistia in farina subacta consecrata, invalida est. Farina subacta, seu panis crudus, neque communi acceptione panis est, panis nempe *perfectus,* uti communiter panis intelligitur, neque naturali panis usui deservire potest. Quare, licet panis crudi et cocti eadem sit physice natura, non est tamen eadem communiter acceptio, neque idem usus.

Eucharistia item consecrata in pane ex solano tuberoso (vulgo *patate*) confecto invalida est. Panis enim, qui Eucharistiae materia est,

panis ex tritico est, scilicet panis vulgaris, prout communiter accipitur pro communi usu.

Eucharistia autem valide consecratur in vino acescente, si vinum aliquod tantum habeat initium acrimoniae; sed leviter illicita est. Valide item consecratur, sed graviter illicita est consecratio, si vinum iam censeatur ingressum in limites corruptionis, cum nondum sit substantialiter immutatum. Invalida vero erit consecratio, si aeris contactu, e. g., iam sit acetum factum, siquidem tunc iam vinum est substantialiter corruptum. I. M. 507.

Eucharistia tandem consecrata ex vino, cui immixtum est bicarbonatum calcis invalide est consecrata, si ea quantitate huiusmodi carbonatum vino immixtum fuerit, ut acida vini propria, chimica compositione, penitus fuerint destructa. Substantialis enim tunc habetur vini alteratio. Secus vero dicendum esset, si exigua quantitate fuerit immixtum, ita ut adhuc in vino acida remaneant, praecipue tartaricum, citricum, aceticum, tannicum.

Extrema Unctio collata chrismate et oleo catechumenorum illicita quidem est extra casum necessitatis; sed probabiliter tantum valida, adeoque in necessitatis casu collata sub conditione est iteranda, si fieri possit. Etenim in confirmatione et extrema-unctione materia prius benedicenda est, ut sacramentum valere possit, a proprio autem ministro est benedicenda, et unaquaeque suo ritu. Attamen, si materia a proprio ministro benedicta sit, sed alio ritu, multis probabile est sacramentum valere. Lig. l. 6. n. 163. d. 2., n. 709, d. 2., G. 146. I. M. 864., Enchir. Moral. N. 677.

Operae pretium est heic subiicere, quae habet Benedict. XIV. Notific. LXXVII. de vino missarum. « 1. Una volta il vino migliore serbavasi per le messe: *Diligenti studio vinum optimum quaerendum est;* disse il gran Pontefice Innocenzo III. al lib. 4. cap. 30. *Mysteriorum Missae*... Ed oggidì si adoprano vini prelibati nelle mense e nei conviti, ed i vini più vili si serbano per l'altare...

2... *Il vino colla punta,* che vuol dire il vino, che incomincia ad inacetirsi, e non è fatto aceto, non è materia inetta ed insufficiente.... ma indecente, che non si adopera senza peccato... Resta solo esente dal peccato quel sacerdote, che è obbligato a celebrare, e che non ha autorità di far mutare il vino, come succede nei Regolari: nelle quali circostanze, purchè il vino non sia divenuto aceto, ma sia semplicemente colla punta, il peccato si addossa al Superiore o al Ministro, che ha incombenza di provvedere il vino per la Messa...

3. Passando al *mezzo-vino,* è noto a ciascheduno, che si fa una specie di mezzo-vino, levando dal tinaccio il vino puro lasciando in esso i graspi con qualche poco di mosto, per es. una mezza corba in circa, con aggiungervi l'acqua in maggior quantità, come sarebbe una corba e mezza, e lasciandolo bollire per ventiquattr'ore in circa. Questo liquore, che da noi si chiama *mezzo-vino,* ed in altri luoghi *acquerello,* e nell'idioma latino *lora* o *lorea* è materia insufficiente ed inetta...

5. Si fa poi un'altra specie di mezzo-vino, che anche chiamasi *vino lungo,* quando cavato il vino puro, e lasciando nel tinaccio maggior quantità di mosto, come sarebbono tre o quattro corbe, vi si aggiunge l'acqua o in uguale, o in qualche maggior quantità, ed alle volte col

porvi un poco di vino vecchio... e questa specie di *mezzo-vino*, ossia *vino lungo*... concludono comunemente gli autori in termini più forti, non essere materia decente, e non esservi luogo a servirsene nella Messa, se non in caso di dura necessità....

Ut autem eruitur ex pluribus auctoribus cit. a Bened. XIV. n. seqq. 6. 8. de sufficientia huius vini quoad validitatem sacrificii iudicandum erit ex quantitate aquae immixtae, ex maiori vel minore uvarum facta expressione, et ex maiori vel minori vini substantia. Quare cum res dubia sit, illicitum omnino erit tali vino uti in sacrificio Missae. Hinc num. 7. ita Bened. XIV. prosequitur:

7. E però coerentemente al sentimento di tutti gli accennati teologi ordiniamo e vogliamo, che nelle sagrestie per le Messe si dia il *primo vino*, escluso qualunque secondo o mezzo-vino, ancorchè secondo lo stile di questa nostra città e diocesi, e di molte altre, nel fare il primo vino vi s'infonda quantità d'acqua; non lasciando il primo vino per questa infusione d'esser vero vino e d'esser vino usuale, come ben avverte il Passerini nei suoi Comenti in 3. part. D. Th. q. 74. a. 5. Comm. 7. n. 10.: *Si tantum aquae adhibeatur, quantum communiter iuxta morem patriae adhiberi solet ad hoc, ut melius decoquatur vel conservetur, nullum peccatum incurritur ex usu talis vini in consecratione;* e ciò che siasi della ragione da esso allegata: *talis enim quantitas parva est, et in vinum convertitur;* buona certamente e l'altra: *et praeterea tale vinum est vinum commune et usuale patriae.* Il Quarti ad Rubr. Miss. part. 3. tit. 4. al dub. 3.: *Solet in aliquibus locis fieri vinum cum infusione aquae in musto, vel in racemis, antequam exprimantur. Quaeritur, an valide et licite consecrari potest? Respondeo distinguendo: si parum aquae musto infundatur, certum est fieri verum vinum; consequenter valide et licite consecrari potest. Probatur, quia est vinum usuale, et in multis locis, ubi dicto modo solet confici vinum, vix aliud reperitur.* E parlando di questi nostri vini di Bologna avverte il Rosignoli al tom. 15. de Euchar. quaest. 4. art. 2. n. 6., ove dopo aver detto, essere la vera materia il vino *ex vite* sostanzialmente non corrotto, o notabilmente mutato, soggiugne: *Nam, si praecise aliquo modo alterarentur, puta si calefierent, et etiamsi modice coquerentur, ut fieri consuevit in Piceno et Umbria, si modico aquae immiscerentur, ut fieri solet Bononiae etc., certe non desinerent esse materia apta consecrationis* ».

25. — DE MUTATIONE FORMAE

1°. Sabbas sacerdos, in Hispania, baptismum conferens hanc adhibuit aliquando formam: *ego te baptizavi in nomine* etc.; existimans eam esse optimam omnino, in casu, siquidem, prolatis verbis *ego te*, iam aquam totam ex distractione effuderat in caput infantis.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. « Baptismus collatus per verbum *praeteriti temporis* ad significandam *actionem praeteritam*, et non etiam, quae per ministrum *exercetur tunc quando baptizat* cum invocatione SSmae Trinitatis et aquae

naturalis ablutione, immersione vel aspersione, non est verus baptismus. — Si baptizans uteretur verbo *praeteriti temporis* ad significandum actum, qui per ipsum ministrum *exercetur quando baptizat,* ceteraque requisita adessent, esset baptismus, si apud nationem illam vel clerum esset usus accipiendi vocem illam praeteriti ad significandam actionem praesentem. — Est etiam baptismus, si quis ex ignorantia linguae infringendo verba absque animo introducendi errorem aut haeresim, proferat vocem praeteriti pro praesenti, si tanta sit inter vocem praeteriti et praesentis similitudo, ut facilis sit lapsus ex una voce in aliam, prudentesque viri iudicent communiter baptizantem vocem praeteriti pro praesenti corrupte prolatam supposuisse, et prolata voce concipiant, actionem praesentem sufficienter significari ». S. C. de P. F. 27. Mart. 1631. Collect. eiusd. S. C. n. 519. Hinc patet, baptismum a Sabba collatum invalidum fuisse ob substantialem formae corruptionem. Actio effusionis aquae iam peractae, quando ipse proferebat verbum *baptizo* adhuc moraliter loquendo praesens erat, et per verbum praesens *baptizo* significanda erat; secus, cum aqua ex Rituali Romano effundenda sit, cum invocatio fit trium Personarum, minister non deberet dicere: *ego te baptizo,* sed *ego te baptizabo.* Scilicet forma significare essentialiter debet actionem praesentem baptizandi, quae hic et nunc per ministrum exercetur. — I. M. 320. 413.

2°. « Relata forma baptismi armenorum schismaticorum, quae in eorum Ritualibus habetur ut infra, videlicet: *Baptizat nunc manus mea in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* vel: *Baptizet nunc manus mea in nomine Patris, baptizet nunc manus mea in nomine Filii, baptizet nunc manus mea in nomine Spiritus Sancti;* S. C. declaravit dictam formam baptismi esse veram ac legitimam ». S. O. 8. Sept. 1633. Collect. S. C. de P. F. n. 520. Sane forma baptismi valet praesentis temporis consecratorio modo prolata, sive indicativo, sive imperativo. — I. M. 326.

3°. « Cornelius, sacerdos, poenitentem, peracta confessione absolvebat. Verum postquam protulisset priora verba: *ego te absolvo,* respiciens animadvertit, eum iam e sacro tribunali discessisse; quapropter eum revocavit dicendo: *Quid est hoc? quare non expectasti? revertere et genuflecte usquedum te absolverim.* Illo autem reverso, confessarius addidit verba reliqua, scilicet *a peccatis tuis.*

Alias quum infantem baptizaret, et iam dixisset: *ego te baptizo,* mox ad pueros confabulantes conversus, formam interrupit clamans: *Silete garruli; silete pueri pessimi, absurdi pueri!* Et postea perrexit: *in nomine Patris et Filii, et Spi* (hic subito sternutat et tussit) *ritus Sancti.*

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. 1°. Cornelius *valide* absolvit; quia interruptio verborum et interpositio non fuit tanta, ut verba sequentia *a peccatis tuis* in morali hominum aestimatione non censerentur coniungi cum praecedentibus,

ego te absolvo. Attamen, si verba absolutionis repetiisset ad cautelam sub conditione, non fuisset damnandus. Sed quare sub conditione? Quia iuxta multos doctores sufficiunt probabiliter ad formam absolutionis verba *absolvo te.* Ergo probabiliter poenitens fuit absolutus ante interruptionem; ergo, si verba repetita fuissent, sub conditione id fieri debuisset. Elbel n. 13.

2°. Cornelius *valide* quoque baptizavit; interruptio enim non vitiavit formam nisi accidentaliter, quia non tollitur sensus, ubi parva tantum verborum interruptio interponitur, siquidem neque intentionem loquentis, neque intellectum verborum aufert, ut ait S. Th. p. 3. q. 60. a. 8. ad 3. Atqui brevis quidem fuit interruptio, sive pueros corrigendo et increpando, sive etiam tussiendo et sternutando. Ergo validitati baptismi nihil prorsus obesse potest. Voit n. 23.

3°. Cornelius *illicite* egit tali modo poenitentem revocando, cum ipsius gravamine, et aliorum scandalo. Minime necessarium erat illum revocare, siquidem certo moraliter praesens erat. Satis fuisset igitur formam absolutionis incoeptam perficere, et non amplius de poenitente cogitare.

4°. Etiam illicite in baptismo egit, et quidem *per se* graviter, ratione scandali aut iniuriae gravis sacramento irrogatae. Non enim adeo urgebat, ut pueros isto modo increparet. Numquid erat periculum in mora, ut formam sacramentalem prius absolvere non potuerit. Voit ib. ». Ita G. 154. 155.

« Interruptionem *magnam* verborum, ait Lugo D. 2. n. 111., impedire valorem sacramenti, quia *aufertur sensus orationis,* modicam tamen interruptionem non impedire, quia moraliter est eadem oratio et hoc, etiamsi alia verba interponantur, ut si quis dicat, *ego te baptizo,* et petens aquam dicat, *date aquam,* et statim prosequatur, *in nomine Patris,* etc. Quanta autem et qualis debeat esse interruptio, aut verborum interpositio, ut tollat sensum, est res moralis, et pendet ex arbitrio ac iudicio prudentum ». Scilicet ea magna interruptio prudenter iudicatur, quae prudenter iudicatur *auferre sensum orationis.* Et S. Th. l. c.: « Si tanta sit interruptio verborum, quod *intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus sacramenti,* et per consequens veritas eius; non autem tollitur, quando est parva interruptio, *quae intentionem proferentis et intellectum verborum non aufert* ».

Porro resolutio P. Gury quoad absolutionem difficultate non caret. Etenim primo, si Cornelius valide absolvit, ut ipse simpliciter affirmat, quia parva adfuit interruptio, et integer mansit *cum intentione proferentis intellectus verborum;* quomodo deinde poterit ad cautelam Cornelius absolutionem iterare. Ut dicatur id Cornelium efficere potuisse ad cautelam, necesse est dicatur Cornelium probabiliter non absolvisse, probabiliter formam fuisse interruptam. Insuper, si Cornelius ad cautelam debuisset absolutionem repetere, cur hoc idem urgentiori ratione non asseritur de baptismo? Mora enim interiecta inter verba formae baptismi et verba absolutionis fere eadem fuit. Vel igitur in utroque casu debuit forma iterari vel in neutro. Tandem, stante iteratione formae absolutionis, haec tunc debuisset sub conditione iterari non tantum, quia probabiliter verba *absolvo te* sola sufficiunt, sed etiam quia cum probabiliter non sufficiant; forma in tali sententia fuisset in casu probabiliter interrupta.

Ita quidem esset consequenter dicendum. Sed revera, in utroque casu, evidenter apparet, quod *intentio pronuntiantis non fuerit intercepta,* sed e contra continuata est prosecutione formae, neque *verborum intellectus* ablatus est in casu; quilibet enim prudens vir tali assistens ministrationi sacramenti bene veritatem formae intellexisset. — I. M. 320. 748.

4°. « Sidonius, sacerdos, sacrum faciendo, cum ad verba consecrationis panis devenisset, lapsu linguae, aut distractione dixit: *Hoc est Calix,* et statim ad errorem advertens retractavit mentaliter verbum *Calix,* et reliquam formae partem protulit, seu *Corpus meum.* Postea dubitavit, num debuisset formam iterare, et etiam nunc, an aliam missam pro stipendio accepto celebrare teneatur.

Quaer. *An valida fuerit consecratio?*

R. Res controversiae subiici potest. Primo intuitu ista forma invalida videtur, quia haec verba nullum sensum referunt. Non satis erat, ut sacerdos mentaliter errorem corrigeret, seu per intentionem demeret verbum *Calix,* quod lapsu linguae irrepserat. Verba enim formae materialiter accipienda sunt, et tantum valent quantum sonant. Atqui in casu nihil sonant. Ergo nihil valent, i. e. nihil significant. Ergo forma erat repetenda.

Attamen rationes, quae in oppositam sententiam afferri possunt, minime contemnendae sunt. Etenim verba tantum valent quantum fert usus humanus. Porro in usu humano, si lapsu linguae effluat ex ore verbum indebitum, statim sola vocis mutatione corrigitur, neque orationis initium repetitur. Igitur forma, ubi prolata est vox indebita *Calix,* potuit sufficienter a celebrante, mutato solum verbo indebito, corrigi. Ergo consecratio fuit valida saltem probabiliter, sicut valet baptismus sic collatus: *Ego te baptizo* in honore... *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Propter dubium vero sacerdos debuisset formam repetere sub conditione. Sed, peracto sacro, non debuit aliud pro stipendio accepto celebrare. Imo nec deberet aliam missam celebrare, etiamsi illa prior consecratio esset certo invalida, quia probabiliter consecratio unius speciei sufficit ad essentiam sacrificii. Sic La-Croix l. 6. P. 2. n. 15. Attamen sententia communior et probabilior tenet utramque consecrationem requiri ad essentiam sacrificii. S. Lig. 306. ». Ita P. Gury 148. 149.

Verum notandum primo est, quod si Sidonius mentaliter *tantum* verbum *Calix* retractavit, ita ut externe etiam non potuerit notari lapsus linguae et error, absolute probabilius tunc videtur non valuisse consecrationem. Quando enim quis errat in aliqua voce et deinde corrigit verbum erronee prolatum, hoc externe apparet, et intelligitur ab audientibus rectus propositionis sensus. Si enim quis errorem commissum dissimulans orationem serio prosequitur vocem erratam corrigens, correctio tunc non intelligitur, et oratio errata vel aequivoca manet apud audientes. Insuper verendum quidem est, ne in casu valeat dicere, quod probabiliter valuit sacrificium ad excusandum Sidonium ab alia missa celebranda. Non enim satis clare apparet hic agi de recto usu probabilismi; siquidem non agitur mere de subiectiva liceitate actionis, sed etiam de obiectiva veritate rei, nempe de certo sacrificii fructu. Cf. I. M. V. 1. n. 116.

5°. « Henricus, sacerdos, scrupulis usque ad dementiam agitatus, videtur sibi nunquam satis exprimere verba consecrationis. Quare solet ea elate dicere, mirantibus sacro assistentibus, et obstupentibus, ac ter vel quater singula repetit sequenti modo: *Hoc, hoc, hoc est, est, est Corpus, Corpus, Corpus meum, meum, meum.*

Quaer. *Quid de Henrico iudicandum?*

R. Peccavit *per se* graviter Henricus, formam Eucharistiae adeo iniuriose tractando; *per accidens* tamen, ratione dementiae, a peccato gravi facile excusabitur ». Ita P. Gury 158., nihil dicens de validitate talis formae. Ea vero valida est. « Ita Clericat. de Sacram. in gen. Decis. 8. n. 8. Ratio est, quia illa ripetitio singularum vocum non auferebat sensum substantialem formae, prout bene ponderanti facile apparebit ». Elbel 14.

26. — DE UNIONE INTER MATERIAM ET FORMAM

1°. Titio episcopo, post absolutam die sabbati maioris hebdomadae solemnem fontis baptismalis benedictionem, oblatus est infantulus baptizandus. In baptismo autem conferendo casu accidit, ut episcopus verba quidem proferret *Ego te baptizo,* etc., quin tamen simul aquam funderet, quia ex sacristae oblivione in vas adhuc immissa non fuerat. Vix id animadvertit caeremoniarum magister, statim vas implevit aquâ ex sacro fonte susceptâ, quam episcopus in infantuli caput infudit, formae verbis non iteratis.

Alia vice idem Titius, cum per ferias Pentecostes in eodem cathedrali templo confirmationis sacramentum puerorum multitudini administraret, ex strepitu, quem lapsus cuiusdam pueruli excitavit dum in eo erat ut illorum unum chrismate liniret, ita commotus fuit, ut in eiusdem fronte unctionem perfecerit, quin tamen verba formae proferret. Eodem tempore, converso vultu, sciscitatus est quid evenisset; et postquam rei notitiam habuit ac turbam acquievisse cognovit, protulit verba sacramentalia, unctione non iterata, pergens deinde ceteros confirmare.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. De valore baptismi non videtur dubitandum. Nam ex communi sententia et moraliter certa, inter materiam et formam baptismi sufficit unio moralis, illa nempe unio vi cuius forma vere significat *praesentem baptismum* seu *ablutionem.* Porro moralis haec unio certissime habetur, quando minister pronuntiat verba formae *ego te baptizo,* et tamen nondum effudit aquam, sed eam mox effundet in invocatione trium Personarum. Ergo a pari moralis unio etiam habetur quando illa effusio immediate sequitur ipsam prolationem formae, vel mox eam sequitur: siquidem quilibet prudens vir praesens bene intelligit eam *ablutionem* respondere tunc formae iam prolatae, *ego te baptizo,* eam fieri vi huius prolatae formae, eamque, veram obiective reddere eandem formam. Iam vero cum vix magister caeremoniarum, in casu, defectum effusionis aquae animad-

vertit, statim vas impleverit aqua ex sacro fonte, quam consequenter episcopus in infantuli caput infundit post formam iam prolatam, bene ex hac factorum serie colligitur, quod inter dictam prolationem formae et effusionem aquae vel nulla adfuit interiecta mora, vel non nisi mora brevissima, eâque mora, si adfuit, non alia certe fuit actio, intermedia, quae materiam a forma separabat, sed haec tantum fuit actio, quae potius continuatio quaedam erat inter formam et materiam, aquam nempe a sacro fonte accipere, quam deinde statim episcopus in caput infantis effudit.

Confirmationis vero valor dubius videtur. Nam non videtur tam brevem moram fuisse interiectam inter materiam et formam, ut in praecedenti casu baptismi. Etenim, cum episcopus in pueri chrismatione ex repentino strepitu facto commotus fuerit, unde formam in ea non pronunciaverat, et deinde conversus ad populum interrogaverit quid acciderit, et factum ipsi fuerit explicatum, et tandem cognoverit turbam etiam ex illo strepitu excitatam acquievisse, ac non nisi post haec omnia verba formae protulerit, satis superque apparet inter materiam et formam non interfuisse omnino brevem moram, sed e contra sat notabilem. Quare sacramentum in casu dubium videtur fuisse, adeoque sub conditione fuisse iterandum. — I. M. 322. 327.

2°. « Parmenio parochus, infantem baptizans, strepitu et tumultu nonnullorum puerorum, et baptizandi vagitibus distractus, aquam primum fundit tacens, et postea verba formae proferre festinat. Subinde anxius nescit, an possit vel debeat baptismum iterare. Tandem se resolvit ad iterationem omittendam; sed non ideo omni anxietate caret.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Parmenio valide baptizavit iuxta communem sententiam apud S. Lig. n. 9. Ratio est, quia videtur sufficere in baptismo unio moralis consistens in hoc quod forma statim subsequatur materiae applicationem, vel eam immediate praecedat. Attamen in praxi, cum plures theologi graves contendant requiri aliquam simultaneitatem inter materiam et formam, seu, ut non perficiatur effusio aquae quin forma incoepta fuerit, aut non compleatur forma, quin effusio incoeperit, baptismus iterandus est, si res non ita peracta fuerit. Hinc Parmenio baptismum iterare debuisset, et adhuc iterare debet, sub conditione ». Ita P. Gury 142.

Verum resolutio haec non videtur carere aliqua difficultate circa necessitatem et obligationem, quam P. Gury asserit, in casu, iterandi sub conditione baptismum. Etenim, ex Rit. Rom. *de Baptismo adultorum,* omnes quidem sunt baptizandi, « de quibus *probabilis dubitatio* est, an baptizati sunt ». Item ex S. O. 6. Apr. 1859. nullus est rebaptizandus, « nisi adsit *dubium probabile* de invaliditate baptismi ». Porro probabile dubium non videtur haberi in casu. Nam agitur de doctrina communiter admissa uti moraliter certa, et ut tali admissa ab ipso P. Gury absque ullo dubio, num. praec. 141. de morali nempe unione inter materiam et formam. Illa enim unio est requisita ad hoc, ut significatio materiae compleatur per formam, et forma omnino vera sit quando

profertur. Atqui hoc habetur sine unione physica, unione tantum morali quando nempe immediate post adhibitam materiam forma profertur; siquidem tunc, cum post usum materiae continuetur adhuc actio ministri prolatione formae, apparet omnino unitas actionis sacramentalis, et quod immediate consequens prolatio formae ad usum praecedentem materiae referatur. Secus omnino necessarium esset non tantum aquam effundere dum pronuntiatur forma sed aquam effundere cum pronuntiatur verbum illud formae *baptizo,* quod illam effusionem significat. Quare quemadmodum illa effusio unitur moraliter cum tota forma in qualibet formae parte fiat, ita etiam adhuc moraliter unitur cum tota forma, si fiat immediate ante vel immediate post ratione continuationis unius eiusdemque actionis secundum suum esse morale consideratae, siquidem tota illa actio non nisi moraliter una est; physice enim multiplex est. Neque vero S. Alph. n. 9. cit. a P. Gury, ullum de hac re ingerit dubium. Quamvis explicite commemoret aliquorum sententiam, qui physicam simultatem requirunt inter materiam et formam, ipse tamen S. D. simpliciter affirmat sufficere ex communi sententia simultatem moralem, cuius affert non probabilem, sed certam rationem, *quia in composito morali, quale est sacramentum sufficit moralis unitas.* Cuius rationis vim sentit et fatetur S. D. mox inquiens, « et de hoc videtur non posse dubitari; nam, ut mox diximus de baptismo, semper ac ablutio non fit dum actu profertur verbum *baptizo,* ablutio non verificatur nisi per unionem moralem: haec autem unio tam erit moralis, si fiat ablutio immediate antequam forma absolvatur, quam si fiat immediate post ». Idem indubitanter asserit Suarez D. 2. S. 2. par. *Hinc,* qui oppositam opinionem habet ut falsam et improbabilem. Neque sane probabilis evadit opinio ex eo quod aliquis etiam gravis theologus eam defendat, si gravi non defendat ratione. Porro fundamentum oppositae sententiae, quod ad veritatem formae maior requiratur simultaneitas quam mere moralis, ut ex dictis abunde constat nullam habet seriam probabilitatem. Accedit etiam, quod opposita sententia « sine causa iniicit magnum scrupulum circa veritatem et certitudinem sacramentorum... Unde recte obiicit Soto, quia cum baptizanda est magna multitudo, ut v. g. cum Apostoli uno die tria millia hominum baptizabant, non tam metaphysice attendebant, ut pars materiae coexisteret parti formae, sed moraliter utrumque faciebant ». Suarez ib. Quare nullo pacto videtur Parmenio teneri ad reiterationem baptismi, si revera ipsi constet verba formae protulisse immediate post aquae effusionem.

3°. « Callixtus, parochi adiutor, confessionem Titii graviter decumbentis excipiens, intelligit illum habere prolem ex matrimonio putatitio cum Bertha. Ut tanto malo remedium efficax afferat, iudicat instaurandum esse matrimonium istud. Quare Titium interrogat, utrum Bertham in veram uxorem accipiat. Annuit Titius, et consensum coram duobus testibus advocatis ratum habet. Vocatur Bertha; ei venienti obvius exit Callixtus cum testibus, et ait: *te Titius in veram uxorem accipit;* nonne *tu quoque eum in virum accipis?* Respondet Bertha: *Accipio.* His peractis, ad Titium adeundum properant, sed heu! illum iam sensibus destitutum inveniunt ».

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. 1°. *Ad liceitatem* quod attinet, « sponsi ambo et testes coram sacerdote praesentes esse debent... Non videtur tamen damnandus sacerdos, si reapse timuit, ne tempus expectandi adventum Berthae deficeret, ut reapse defecit ».

2°. *Ad validitatem* vero quod spectat « validum est matrimonium Titii et Berthae, quia adfuit unio moralis sufficiens inter utriusque consensum. Etenim consensus Titii fuit legitime praestitus coram vicario parochi et testibus idoneis; et paulo post accessit etiam consensus Berthae coram eodem sacerdote et iisdem testibus. Ergo nihil deest ad matrimonii valorem. Sufficit enim in matrimonio unio moralis etiam lata inter consensum sponsorum, quia matrimonium per modum contractus initur. In contractu autem minime requiritur, ut consensus utriusque contrahentis simul ponatur. Attamen ad validitatem huius matrimonii, supponi debet Titium rationis usum servasse usque ad tempus quo Bertha et ipsa consensum praestitit; secus enim unio requisita deesset, siquidem consensus viri moraliter non perseveraret ». Ita P. Gury 143. 144.

Verum difficultas adest in hac resolutione. Etenim in contractibus bilateralibus ex ipsa natura rei requiritur, ut datus consensus sit mutuo cognitus et acceptatus. Lugo de Iust. et Iur. D. 22. n. 27., I. M. V. 1. n. 940. Attamen non desunt theologi, qui aliud opinantur, et probabiliter sustineri potest, absolute non requiri in contractibus bilateralibus reciprocam acceptationem. Nam eo ipso, quod quis consensum suum praestat in contractum, acceptat etiam alterius consensum, si ille revera consentiat. Hinc, cum alius revera consentit, iam utriusque habetur consensus et acceptatio. Matrimonium ergo Titii cum Bertha probabiliter validum est; et consequenter in praxi in favorem matrimonii standum est, in favorem nempe viduae superstitis, et susceptae prolis.

27. — DE ITERATIONE SACRAMENTORUM

1°. « Utrum validus sit baptismus infantibus collatus cum hac conditione: *Si vis baptizari, ego te baptizo* etc.; et quid agendum erga illos, qui, apposita tali conditione, a quibusdam mulieribus baptizati sunt, an scilicet iterum vel absolute, vel conditionate sint baptizandi?

R. Validum esse baptismum sub enunciata conditione collatum, quae tamen conditio in posterum omnino omittenda erit ». S. O. 12 Iun. 1850. Collect. S. C. de P. F. n. 527. — I. M. 327.

28. — DE MINISTRO SACRAMENTORUM

Abundius sacerdos in celebratione missae verba consecrationis ita aliquando protulit: *Hoc est Corpus Christi; Hic est calix Sanguinis Christi* etc. Contendebat autem hanc formam esse omnino legitimam, siquidem clare et explicite omnino significat Christi Corpus et Sanguinem sub speciebus panis et vini.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Forma quam Abundius pronunciavit irrita est. Etenim principalis minister sacramentorum est ipse Christus; nos instrumenta. Quod evidens est ex ipsa forma consecrationis: *Hoc est Corpus meum.* Quare instrumentalis sacramentorum minister sacramenta confert in persona Christi, eiusque non propria virtute. Hinc, si ex forma appareat principalem ministrum alium a Christo esse, forma invalida est. Atqui in Abbundii forma alius apparet esse sacramenti principalis minister quam ipse Christus; adeoque irrita ea forma est. S. Th. 3. p. q. 64. a. 9., Suarez D. 59. S. 2. in fine, La-Croix l. 6. P. 1. n. 37., I. M. 337.

29. — DE INTENTIONE MINISTRI

1°. Lucillo, sacrum celebraturo, minorem hostiam obtulit eius minister, ab ea petens ut vellet deinde ipsi sacram communionem porrigere. Annuit Lucillus et hostiam minorem accipiens simul cum maiore reposuit super patena. Verum, in consecratione, minoris hostiae, quae super corporali erat reposita, omnino oblitus est. Quum autem devenerit ad communionem obstupuit cernens duas minores hostias unam in corporali et aliam extra corporale. Dubitans, utrum duae illae hostiae essent consecratae, eas post maiorem hostiam sumpsit, et ministrum reliquit sine communione.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Non est dubitandum, quin minor hostia super corporali reposita, ab ipso Lucillo ex patena, super qua erat simul cum maiore hostia, super corporali fuerit deinde collocata simul cum eadem maiori hostia post Offertorium. Neque vero dubitandum est, quin fuerit consecrata, quia ad conficiendum quodlibet sacramentum sufficit intentio virtualis. Atqui talem intentionem habuit Lucillus, qui ministro communionem petenti annuens hostiam accepit, super patena collocavit, et ad altare detulit, scilicet ut eam consecraret. Cum autem illa minor hostia revera praesens fuerit super corporali, tempore consecrationis, fuit ea profecto consecrata, et poterat Lucillus cum ea communionem dare ministro, non obstante oblivione tempore consecrationis habita. Elbel 40.

Verum, quid si Lucillus imponendo hostiam patenae dixisset intra se, faciam deinde intentionem consecrandi? « Minime tamen dubitandum est, quin esset consecrata ideoque laico porrigenda. Ratio eruitur ex dictis; quia non requiritur intentio formalis explicita, sed sufficit implicita, seu etiam in actu exercito. At talem habuit dum ad petitionem laici hostiam secum portavit ad altare. Imo iuxta Layman, Gobat, Sporer, talem habere censendus est sacerdos, hoc ipso, quod sciat, seu rationali modo advertat, hostias a se consecrandas ad altare afferri ab alio. Ergo a fortiori, si ipsement scienter deferat ». Elbel 41.

Alia vero hostia, quae extra corporale a Lucillo reperta est, ipso omnino inscio, consecrata non est; cum nulla eam consecrandi intentio

adfuerit. I. M. 511. Attamen non est deponenda cum aliis hostiis non consecratis, quia forte cum alia erat coniuncta non solum in missae principio; verum etiam tempore consecrationis, et aliquo casu, v. g., per manipulum sacerdotis extra corporale delecta est. G. 160.

Quare Lucillus male fecit sine communione deserendo ministrum. Male etiam egit hostiam consecratam, et hostiam non consecratam vel saltem dubie consecratam statim sumendo post maiorem hostiam; quia hoc est contra Rubricas, ubi statuitur, ut si quid consumendum sit, id post Sanguinis sumptionem fiat. Insuper, cum hostia adfuerit vel non consecrata vel nonnisi dubie consecrata, eam sumendo ante sumptionem Sanguinis naturale ieiunium violavit. G. 161., I. M. 545.

2°. Medericus, sacerdos, confessiones excepturus, intentionem habet non absolvendi hac vice Marcum consuetudinarium, licet videatur ipsi satis dispositus, existimans valde utilem ipsi fore absolutionis dilationem ad breve aliquod tempus. Accedens vero Marcus in media turba a Mederico non agnoscitur, et, cum dispositus revera appareat ad absolutionem recipiendam, a Mederico absolvitur. Verum post datam absolutionem statim ad errorem advertit, et dubius haeret, an denuo eum debeat absolvere, vel eum monere, ne accedat ad Communionem.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Absolutio in casu valet. Ratio est, quia intentio praedominans est intentio absolvendi. Illa enim est intentio praedominans, « quae eligeretur cognita incompossibilitate ». S. Alph. 24. Porro praeviso et cognito hoc errore; intentio, quae in casu eligeretur, esset certe intentio absolvendi; secus poenitens discedens inabsolutus gravissimum damnum subire posset, cum ignorans se non fuisse absolutum, non posset sibi convenienter providere. Potest igitur Medericus ab iteranda absolutione abstinere, et Marco Communionem permittere. Ubi tamen serio dubitaret Medericus de propria intentione, quia, e. g., absolute statuit nullo modo velle Marcum absolvere, absolutionem tunc conditionate iterare debuisset. I. M. 327. 344. 345., G. 162.

3°. Rambertus parochus, repentino morbo correptus, Alberto suo vicario, statim advocato, ut eius confessionem audiret inter alia ait: « Ego per triginta annos omnes huius loci infantes et teipsum baptizavi, sed timeo ne invalide. Nam impiae sectae inde a iuventute addictus eo brevi deveni, ut christianae fidei animo penitus valedixerim, eam pro vana fabula habens. Quoties autem ad sacramenta ministranda vocabar, toties, ut me in officio servarem, parochianis morem gerebam; ratus tamen nihil aliud facturum nisi rem ludicram, et prorsus inutilem. Hinc non tam minister, quam potius irrisor sacramentorum extiti ». His auditis, horrescit Albertus, eo vel magis, quod Rambertum semper viderat sacramenta administrantem vultu et toto corporis habitu ad devotionem composito. Animadvertens autem eundem iam animam agere, eum sub conditione absolvit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Non videtur dubium, quod Rambertus valide sacramenta ministraverit. Licet enim fidem amiserit, et in sacramentis ministrandis ipse *existimaret,* nihil se facere nisi rem ludicram et inutilem, ideo tamen non excluditur vera *intentio* sacramenta ministrandi, et faciendi in eis quod facit Ecclesia. Secus enim uti invalida habenda essent sacramenta ab infidelibus et haereticis ministrata. Insuper, quod Rambertus sufficientem intentionem revera habuerit, in sacramentorum administratione, faciendi quod facit Ecclesia ex eo evincitur, quod non tantum externe cum devotione se gerebat in sacramentorum administratione; verum etiam in animo suo morem suis parochianis gerere volebat, adeoque ministrare illis volebat sacramenta, quae petebant. Praeterea cum Rambertus vera poenitentia ductus sincere sua peccata confiteatur, et humiliter se accuset de peccato contra fidem, nihil dicit de intentionis defectu. Illud enim, *ratus nihil aliud facturum nisi rem ludicram et inutilem,* ad intellectum et ad fidei defectum pertinet, minime vero ad voluntatem et ad *intentionem* etiam rem inutilem et ludicram faciendi. Cum minister sacramentorum Christi personam gerat, nihil sacramento obest, si minister nec rectam fidem nec probos mores habeat, dummodo sacramentalem ritum adhibeat a Christo institutum, eoque quasi mandatarius agat iuxta intentionem mandantis, intentionem habendo vel explicite vel implicite faciendi quod Christus fieri vult, vel saltem quod facit Ecclesia. Neque vero requiritur, ut explicite intendatur etiam illud quod Ecclesia intendit facere.

Ad Albertum quod attinet, non apparet, cur Ramberto absolutionem dederit sub conditione. Rambertus enim signa exhibuit sincerae poenitentiae. Poterat igitur et debebat simpliciter absolvi. Forte Albertus eam audiens confessionem, et valde turbatus et confusus, non bene intellexit vim illius verbi *ratus,* confundens mentis falsam opinionem cum voluntatis intentione, et existimans se non baptizatum vel saltem dubium habens de proprio baptismate, ac de valida sua ordinatione. Quid igitur in tali casu fuisset Alberto faciendum, si revera Rambertus non habuisset intentionem sacramenta ministrandi et faciendi in eis quod facit Ecclesia?

Quaestio fieri potest circa Eucharistiam, extremam unctionem, poenitentiam, matrimonium et baptismum, quae sunt sacramenta, quae Rambertus parochus ministravit. Ad Eucharistiam, extremam unctionem et poenitentiam quod attinet, nihil esset faciendum, nec fieri posset. Ea sacramenta fuissent omnia invalide ministrata, neque patet via defectum supplendi. Ad Eucharistiam tamen quod attinet, invalide ministrata fuisset, si nempe ipse Rambertus hostias consecrasset consecrandi intentionem non habens. Ad matrimonia quod spectat, nulla est difficultas, adeoque ea quoad parochianos baptizatos valida sunt, etiam in ratione sacramenti, nam parochus in matrimonii sacramento minister non est, et sufficit quod matrimonium coram parocho et duobus testibus contrahatur, quaelibet sit parochi assistentis bona vel mala intentio. Ad baptismum etiam quod spectat, cuius maius damnum est, si invalide ministretur, dubium etiam non est, quod in hypothesi defectus intentionis ex parte Ramberti, parochiani ab ipso baptizati et ipse Albertus invalide

omnes essent baptizati. Sed potestne aliquid fieri, ut parochiani ita invalide baptizati et ipse Albertus rebaptizentur. Ad parochianos alios quod attinet, non apparet sane quomodo practice id fieri posset, quin reveletur sigillum sacramentale. Quoad aliquem vel etiam quoad aliquos tantum in particulari, forte poterunt ita occulte rebaptizari, ut nulla exinde suspicio exoriatur. Verum quoad omnes praesertim adultos, cum per plures annos parochus invalide baptizasset, et praesertim si ampla esset parochia, moraliter loquendo, impossibile videtur, quod possint rebaptizari, et sacramentale confessionis secretum servari possit, et magnum inde non exoriatur scandalum. Quoad ipsum vero Albertum res facilior est; poterit ipse in alium locum ire, ubi incognitus sit, et, exposito casu S. Sedi, ut ab ordinariis formalitatibus dispensetur, potest ipse occulte rebaptizari et sacris ordinibus initiari. Interim tamen sub aliquo praetextu infirmitatis, itineris, etc. abstinere omnino debet a celebratione missae et ab omni sacramentorum administratione. Neque vero in hac ratione agendi ulla habetur sigilli revelatio, neque poenitentis gravamen, neque odium sacramenti. Verum, nisi tempus omnino defecisset, et statim omnino post confessionem vel fuisset sensibus destitutus, vel mortuus fuisset Rambertus, ante absolutionem Albertus ab eo veniam petere debebat, ut liceret ei ea notitia uti, intacta quantum fieri poterat eius fama, ad commune damnum tot animarum avertendum, procurando nempe baptismum tot personis invalide baptizatis, qui consequenter invalide etiam confirmationem, ordinem, alia sacramenta susceperunt. I. M. 858. 860., G. 197.

30. — DE PROBITATE MINISTRI

Cunibertus, qui vice parochi munere fungebatur, gravissimo patrato peccato, nonnisi post triduum ad confessionem accessit. Interrogatus a confessario, utrum per id temporis sacra ministeria obiisset, haec subiungit: « A sacri quidem celebratione abstinui, et solum diaconatus officio in missa solemni perfunctus sum. Interdum postulantibus fidelibus Eucharistiam ministravi. Vocatus ad baptismum conferendum infanti, qui e sinu demortuae matris extrahebatur, paratus equidem eram, quia non agebatur de solemni baptismi administratione. Verum melius duxi illam chirurgo committere, quia, licet vir pravus, non erat tamen minister consecratus, sed potius necessitatis. Nec inficior, me una et altera vice baptismum contulisse, et sacro oleo unxisse infirmum; sed hoc iubente parocho, et quin tempus contritionis actum eliciendi suppeteret. Omnia haec peregi quidem in statu lethalis peccati; sed puto graviter non deliquisse, cum in unoquoque casu adsit probabilis theologorum sententia gravem culpam excludens ».

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Cunibertus officio diaconi in missa solemni perfunctus probabiliter mortaliter non peccavit. Non enim sacramentum confecit. I. M. 355. Eucharistiam fidelibus ministrans probabiliter etiam non peccavit, propter eandem rationem. I. M. 353. « Diaconum et subdiaconum, ait Lugo D. 8. n. 152. 155., ministrantes in statu peccati; quod idem est a for-

tiori de clericis minorum ordinum; vel sacerdotem cantantem orationem, aut capitulum solemniter in choro; aut episcopum consecrantem Ecclesiam, vel Calices, aut benedicentem Corporalia et ornamenta sacra; aut concionatorem praedicantem etiam solemniter, non peccare mortaliter; quia licet hae omnes sint actiones sacrae, atque ideo sit aliqua irreverentia illas exercere in statu peccati, non tamen tam gravis, ut ad culpam lethalem perveniat. Aliquae tamen ex ipsis videntur continere culpam saltem venialem... Non esse peccatum mortale, si parochus in statu peccati assistat matrimonio; ipse enim non conficit illud sacramentum, sed assistit tanquam testis publicus, essentialiter requisitus, ut contrahentes possint valide conficere sacramentum. Sic etiam videtur non esse peccatum mortale, si sacerdos Eucharistiam aliis ministret... quia tunc sacerdos non conficit sacramentum, nec sanctificat aut dat gratiam, sed applicat localiter sacramentum, quod solum dat gratiam, eodem prorsus modo, quo eam daret, si applicatum fuisset a laico, vel ab amente; aut si ipsemet laicus illud acciperet de altari; et licet actio illa porrigendi sacramentum sit aliquo modo sancta, et exigat aliquo modo sanctitatem ministri, non tamen ita graviter, ut actio qua conficitur sacramentum, per quam minister sanctificat et causat gratiam ».

Quod autem Cunibertus in casu necessitatis baptismi paratus esset illum etiam in statu peccati mortalis ministrare, quia non agebatur de solemni baptismi administratione, i. e. de confectione sacramenti *ex officio*, excusari etiam potest a peccato mortali. I. M. 351. Ratio est, quia utrum status gratiae exigatur *ex officio*, seu ex potestate ordinis, S. Th. 3. p. q. 64. a. 6. ad 3., an *ex sanctitate rei*, Lugo D. 8. n. 150., non satis constat, S. Alph. l. 6. n. 32. 884. Item quod baptismum, in praedicto casu, chirurgo ministrandum commiserit, licet per se grave sit, excusandus tamen Cunegundus videtur, in eo casu, ratione pudoris, et scandali etiam vitandi, quod facile adesse potuit, Rit. Rom. *de Min.* Bapt. § 2., I. M. 425.

Postremo, quod Cunegundus, urgente necessitate, baptismum et extremam unctionem ministraverit in statu peccati mortalis, non elicito prius contritionis actu, *per se loquendo*, excusari etiam potest a peccato mortali, si non nisi brevissima temporis mora adfuerit. Ratio est « quia cum sacramenta instituta sint in remedium animarum non videtur irreverentia, si in extrema illa necessitate, ut subveniatur proximo, ministretur a peccatore. Nam, sicut supra dicebamus, posse in eo casu ministrari cum materia vel potestate dubia, quia praeponderat necessitas praesens praecepto non conficiendi cum dubio; sic dicendum videtur, necessitatem illam praeponderare praecepto non conficiendi nisi in statu gratiae. Sic enim videmus multa fieri circa personam Regis vel Principis in casu necessitatis, quae si extra illam necessitatem fierent gravissimam irreverentiam continerent. Haec autem ratio non solum probat de baptismo, sed etiam de absolutione sacramentali, quae aliquando potest existimari necessaria homini ad salutem; nec potest se sacerdos in illa temporis angustia praeparare per actum contritionis; et frequentius potest casus in absolutione evenire, quam in baptismo ». Lugo D. 8. n. 151., I. M. 352. *Per se loquendo;* nam, ad propositum casum quod attinet, Cunibertus sufficienti tempore non caruit ad eliciendum actum contritionis. Illum enim facile elicere poterat, dum se conferebat ad baptismum et extremam

unctionem ministrandam. Neque vero longior temporis mora requiritur ad contritionem eliciendam. Satis enim est solo voluntatis actu peccatum, tanquam Dei offensam, detestari, et de eo dolere; ex corde dicendo: *peccavi Domino*, 1. Reg. 15., 24.; 2. Reg. 12., 13. Neque opus est sensili tristitia aut dolore. Neque certe in tali necessitatis casu necessarium Dei deest auxilium et gratia. Ceterum, cum Cunibertus ex suscepto munere in necessitate saepe reperitur sacramenta ministrandi, eamque profecto saltem in confuso aliquando futuram praenoscat, excusari a gravi peccato saltem in causa non potest. Rit. Rom. *De iis, quae in admin. sacr. gener. servanda sunt*, I. M. 352.

31. — DE OBLIGATIONE SACRAMENTA MINISTRANDI

Titius, qui primo paroeciam assecutus magno zelo saluti animarum incumbebat, succedentibus annis a pristino fervore non parum declinavit. Dum enim satis assidue solemnioribus festis in tribunali poenitentiae adstat, si aliis diebus ad confessiones audiendas vocetur, se morosum exhibet erga illos praesertim, qui frequenter ad sacramenta accedere solent, inquiens, excessum etiam in spiritualibus vitiosum esse. Relate vero ad infirmos graviter decumbentes ita se gerit, ut quam citius illorum confessiones excipiat, viaticum et extremam unctionem iisdem praebeat, data etiam benedictione in articulo mortis, quos deinde divinae misericordiae committit, quin amplius ad illos redeat.

Grassante quodam morbo contagioso intra suae paroeciae fines, Titius pelli suae timens fugam arripuit, relicto tamen idoneo vicario. Sed iussus ab episcopo sub comminatione suspensionis ad paroeciam redire, obtemperat quidem, sed dum sibi sanorum curam reservat, infirmorum adsistentiam vicario relinquit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Titius morose se exhibens quoad confessiones excipiendas, solemnioribus festis exceptis, a gravi peccato excusari non potest. Ratio est, quia deest gravi sui officii obligationi, idque in materia gravi. Ac etiamsi agatur de illis, qui frequenter ad sacramenta accedere solent, semper ac rationabiliter petant confiteri, grave est morosum persaepe se exhibere quoad illos. Id enim in grave damnum redundat totius paroeciae, in grave damnum etiam privatorum, praesertim cum facile fieri possit, ut etiam devotae istae personae aliquando labantur in grave peccatum, et sacramentali absolutione graviter indigeant. — I. M. 242. 360., Lugo de Poenit. D. 8. n. 1. seqq., S. Alph. l. 4. n. 127. par. *Hinc communiter.*

Graviter etiam peccat quoad illam praxim ministrandi quam citius sacramenta aegrotis, eosque deinde deserendi. Non enim aegroti, sacramentis receptis, statim semper moriuntur; sed ordinarie aliquo adhuc tempore pergunt vivere, et consequenter sacerdotis ministerio possunt adhuc graviter indigere. Quare praescindendo etiam ab obligatione infirmos visitandi et assistentiam moribundis praestandi, secundum Rituale Romanum; praxis haec non amplius ad aegrotos redeundi, qui in pe-

riculo mortis versantur, postquam iam semel sacramenta receperint, a gravi peccato excusari omnino non potest. La-Croix l. 3. P. 1. n. 760.

Dubium item non est, quod graviter etiam peccaverit Titius, deserendo suas oves et fugiendo instar mercenarii, et quidem, ut ex casu eruitur, sine licentia ab episcopo petita et obtenta. Ratio, quia iterum egit contra gravem suam obligationem prospiciendi nempe saluti sui gregis, cum hic maxime in necessitate versetur. I. M. 207. Neque vero satisfacit officio suo sibi reservans sanorum curam, infirmorum assistentiam vicario relinquens. Haec enim assistentia per se et principaliter ad ipsum parochum pertinet. Vicarii est tantum eum adiuvare; adeoque parochus non potest a se penitus abiicere impletionem propriorum officiorum, ea implenda vicario remittere. Ac quamvis, generatim loquendo, non prohibeatur uti coadiutoribus seu vicariis in illis, quae maius incommodum prae se ferant, ut ad infirmos ire noctu, praedicare, docere pueros, excipere confessiones etc.; iis tamen tanquam *coadiutoribus* et sociis uti debet; atque ideo ipse quoque, cessante iusto impedimento, haec praestare necesse habet, maxime si requisitus fuerit, secus gravi non caret culpa. — I. M. 230., La-Croix L. 3. P. 1. n. 754. seqq., l. 6. P. 1. n. 133. seqq., S. Alph. l. c., G. 169.

32. — SACRAMENTA DENEGANDA

1°. « Iulianus, peccator publicus, matrimonium contracturus, iam publicatis bannis, adit parochum, confessiones excipientem, et declarat se nolle confiteri, sed confessionem simulare, ut sponsae complaceat. Negat parochus, se matrimonio interventurum esse, nisi seriam confessionem peregerit, cum sacramentum illud statum gratiae requirat. Subinde, cum perrexisset parochus ad sacrum faciendum, dum communionem fidelibus distribuit, ecce inter alios communicantes cernit adstantem Iulianum ipsum. Quid faciet? Haeret anceps... sed mox recordans praecepti Domini, *Nolite dare sanctum canibus,* hominem praetermittit. Absoluto sacro Iulianus ira percitus adit parochum, imprecationibus eum lacessit, eique mortem minatur, nisi sibi Eucharistiam ministret suoque matrimonio assistat. Perterrefactus parochus existimat praeceptum tunc non urgere, et Iuliano morem gerit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. 1°. Parochus *per se* recte egit primum assistentiam suam matrimonio denegando... quia parochus assistere nequit matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores. Ratio est 1°. quia de iure naturali nemo cooperari potest peccato alterius, etiam materialiter, nisi de causa gravi et proportionata; 2°. quia publici peccatores indigni sunt, ut ad sacramenta admittantur. Lig. 54.

2°. Parochus potuisset assistere matrimonio Iuliani in favorem sponsae, si haec non fuisset indigna, quia tunc rationem sufficientem habuisset peccatum eius permittendi. Lig. ibid.

3°. Potuit assistere matrimonio metu mortis impulsus, quia parochus non est minister sacramenti, et praeterea gravissima ratione a pec-

cato cooperationis excusatur. Potest etiam parochus excusari in simili casu propter alia quaecumque incommoda valde gravia, sive propria, sive contrahentium, v. g., ne in peccato aut in concubinatu perseverent, etc. Lig. ibid.

4°. Prima vice recte egit parochus Communionem Iuliano denegando, quia, ut ipse ait, sancta non sunt canibus, seu indignis, tradenda. Iulianus autem peccator publicus, nulla praemissa poenitentia, neque scandali reparatione, est omnino indignus. Ergo a communione erat repellendus seu praetermittendus.

5°. Male egit postea parochus, metu mortis adactus, Eucharistiam Iuliano ministrando. Ratio est, quia damnum quantumlibet compensare nequit summam iniuriam, quae in casu SS. Eucharistiae advenit. — Contradicunt tamen plures, cum La-Croix l. 6. P. 1. n. 138., Gobat, Sporer, etc., dummodo sacramentum non petatur in odium religionis. Ratio eorum est, quia, ut aiunt, si infamia peccatoris occulti publice sacramentum petentis talem administrationem excusat, et irreverentiam sacramenti reparat, cur mors a ministro subeunda non excusaret? Sed neganda est paritas. Etenim sacerdos nequit publice Communionem negare peccatori occulto, non quidem ad famam eius salvandam, sed propter alia gravissima incommoda, quae inde sequerentur, nempe scandala aliorum, qui, licet forte digni, a sacra Communione deterrerentur, timentes ne ob odium vel imprudentiam a sacerdote arcerentur. Haec autem incommoda non habentur in ministro, qui metu cogitur ad Communionem peccatori publico ministrandam. Imo aedificationi esset populo minister, qui ad reverentiam sacramento servandam periculo mortis se exponeret ». G. 175.-177. — I. M. 365. 369. 372. 374.

2°. Infirmatur graviter Bertha apud Caium virum divitem et caelibem, qui eam cum magno viciniae scandalo non tam ut famulam, prout asserebat, sed potius tamquam concubinam domi retinet. Vocatur Titius parochus, qui pluries eos ad invicem separare frustra curaverat, ut statim ad infirmam viaticum deferat. Stupens domum Berthae petit, eamque primo interrogat, utrum iam confessa fuisset. Exhibetur ab ipso viro, qui prope lectum ad latus infirmae adstabat, schedula confessionis peractae apud presbyterum, qui non optima penes Superiores gaudebat fama. Rogat Titius adstantes, ut paulisper recedant. Renuit herus et simul respondet infirma, se hoc unum quaerere ut viaticum statim recipiat. Tunc parochus gravi sermone eos sciscitatur, utrum confessarius aliquid ad publici scandali reparationem praescripserit. Nil respondent herus et mulier subridentes. Curat parochus, ut Caius, durante saltem mortis periculo, domo discedat, sed frustra. Inde conversus ad Bertham eam adprecatur, ut ad id consilii virum adducat. Sed illa: « ex hoc iudicia vulgi confirmabuntur ». Subiungit parochus indignabundus: « et ego viaticum non deferam »; et his dictis discedit.

Post aliquot horas accurrit ad parochum famulus rogans, ut celeriter ad Bertham, iam iam morientem, viaticum deferat. Dum Titius in eo est, ut Berthae domum ingrediatur, admonetur eam iam mortuam esse. Quo audito ad Ecclesiam cum SS. Sacramento revertitur.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Laudandus omnino est Titius parochus, quod pluries curaverit ad invicem separare Caium et Bertham. Verum ab opere incoepto non debuisset desistere, ut ex casu videtur fecisse, propter defectum boni effectus. Quod enim non obtinetur ab obstinatis peccatoribus, qui ex passione peccant, una die, immutatis animæ dispositionibus, praesertim urgente infirmitate et adiuvante Dei gratia, alia die facile obtinetur. Quare e contra vituperandus esset Titius parochus, quod, durante infirmitate ad Bertham non accesserit, et expectaverit quod vocaretur, eius morte iam imminente. Sed Titius revera videtur ignorasse Berthae infirmitatem; etenim *stupens domum Berthae petit.*

Bene autem omnino se gessit procurando, ut adstantes recederent; sed curare simul omni modo debuisset, ut recederet in primis ipse herus Caius. Evidens enim res est, quod eius praesentia ingens obstaculum futurus erat sincerae poenitentiae Berthae. Posito autem quod iam esset, ut affirmatur in casu, *magnum viciniae scandalum,* et quod Caius et Bertha a parocho simul petierint, ut viaticum afferret, bene quidem fecit Titius parochus quaerendo aliquam publici scandali reparationem; sed videndo malas dispositiones tum Berthae tum Caii, siquidem subridentes respondent nihil huiusmodi factum esse, loco exigendi a Bertha ut discederet a domo heri, et ut herus ipse a domo discederet, debuisset potius omni caritate et zelo exhortari utrumque ad eam reparationem, alio prudentiori modo, et praesertim Bertham mortiproximam ad sinceram poenitentiam, ostendendo simul poenitentiae facilitatem eiusque salutares fructus vitae aeternae, e. g., ut, si possibile esset, matrimonium celebraretur, vel, si id non esset possibile, ut saltem Bertha detestaretur coram ipso sua peccata et significaret suam voluntatem a peccato recedendi et convertendi se tandem ad Deum. Cum nihil tale factum fuerit, impossibile omnino erat Caiae, impoenitentiae signa risu ostendenti, viaticum administrare sine maiori adhuc scandalo, et sine gravissima Sacramenti irreverentia.

Imprudenter omnino Titius petiit a Bertha, ut discederet a domo heri. In gravissimo infirmitatis statu in quo reperiebatur, siquidem post aliquot horas mortua est, hoc erat moraliter impossibile, neque absolute erat necessarium ad scandali reparationem. Adhuc magis imprudenter petiit ab hero, ut discederet *a domo suo,* quod etiam erat moraliter impossibile, neque id etiam erat necessarium ad scandalum reparandum ex parte ipsius Berthae.

Omnino male egit cum indignatione viaticum denegando et discedendo; sed debuisset in tam urgenti necessitate domi remanere, et omnem conatum adhibere ad Bertham adducendam ad sua peccata saltem detestanda, et hanc detestationem externe significandam. Cum Titius parochus advocatus venerit, eum Caius non eiecisset e domo, et, rogando Caium ut tantisper recederet, constanti ac perseveranti caritate ac zelo obtinuisset forte Berthae conversionem. Verum, cum hoc Titius non fecerit, sed discesserit, postquam e contra Caius et Bertha satis superque confirmassent etiam in praesenti, sua ratione agendi et respondendi, se vere hactenus vixisse in statu peccati, non poterat certe Titius consentire in delationem et administrationem Viatici.

Ex his patet, male etiam Titium parochum egisse, cum post aliquot tantum horas advocatus, postquam e domo Berthae discesserit, eam obstinatam in peccato relinquens, in domum Caii reversus fuerit, Viaticum eidem Berthae ministraturus. Si publice Viaticum deferebat, non apparet qua ratione cohonestari potuerit ratio agendi Titii ob publicum scandalum, quod certe adfuisset, si, nullo alio poenitentiae signo dato, ei Viaticum Titius, in praedicto rerum statu, ministrasset, ut ad faciendum omnino paratus fuisse videtur. Interrogatus enim Titius a vicinis, ut naturalis res erat, non potuisset certe respondere Bertham poenitentiae signa dedisse, et forte e domo Berthae indignabundus egrediens eius obstinationem iam pluribus manifestavit, et totum visitationis factum narravit. Si vero Viaticum occulte deferebat, et reversus est ad domum Berthae, ut tentaret primum iterum eius conversionem, eamque rite disponeret ad absolutionem, et deinde ad Viaticum recipiendum, non est certe cur Titius reprehenderetur, sed e contra laude dignus ipse hac vice foret.

Verum, cum Titius iam mortuam repererit Bertham, potestne ecclesiasticam sepulturam ei dare? Cum non constet de impoenitentia finali Berthae, poterit ei Titius ecclesiasticam sepulturam dare. Ut enim publicis peccatoribus ecclesiastica sepultura possit et debeat denegari necesse est, ut sint peccatores manifesti et publici, qui sine poenitentia obierunt. Rit. Rom. *Quibus non licet,* etc. Quapropter requiritur, ut non solum certo constet de peccato, et peccatum sit publicum; verum etiam ut certo absque ullo poenitentiae signo obierint. Atqui in casu Bertha schedulam habebat confessionis peractae, licet apud presbyterum non bonae famae; et parochus bis ad eam fuit advocatus, et secunda vice immediate ante mortem. Quare poterit Titius infelici Berthae ecclesiasticam sepulturam concedere. — I. M. 365. 369. 1156. seqq.

33. — DE SIMULATIONE SACRAMENTORUM

Titius parochus excipiens confessionem duorum, qui mox matrimonium contracturi erant, accipit a viro, eum pluries et praecedenti etiam nocte cum sponsa lethaliter peccasse; itemque gravem pecuniae summam esse furatum, quam tamen se restituturum saltem promittere recusat. Eum utpote absolutione indignum hortatur parochus, ut a communione abstineat; sed frustra. Itaque conveniunt de particula consecrata illius ori tantum admovenda et in pyxidem statim reponenda; quod reapse peractum est. Facto crucis signo, ut moris est, sponsum inabsolutum Titius dimittit.

Excipit deinde parochus confessionem sponsae, quae de turpibus cum sponso commissis ne verbum habet. Ex habito colloquio Titius novit, eam apud alium non potuisse confiteri. Prudenter hortatur, ut praeteritae vitae peccata in statu coniugali suscipiendo sincere manifestet; at nihil inde proficit. Quare, ne sacrilegium fiat, loco formae sacramentalis aliquas preces submisse recitat. Insuper in sacro faciendo particulam ab aliis seiunctam minime consecrare intendit, eamque praebet sponsae.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Simulatio generatim est ficta positio signi. Quare simulatio sacramentorum est ficta positio signi sacramentalis; materiae, formae, actionis sacramentalis. Simulatio *formalis* sacramentorum illicita est, ut quaelibet alia simulatio formalis, quia mendacium facti est, cum quis signis exterioribus vel rerum vel factorum utatur ad significandum id quod non est. Insuper in ea formali sacramentorum simulatione irreverentia in ipsum sacramentum habetur. Simulatio *materialis* pluribus ita intrinsece illicita non est, ut nec aliquando liceat saltem propter gravissimum mortis metum; neque eis consequenter damnata iam a S. Sede videtur, D'Annib. 264. Sed revera intrinsece illicita est propter implicitam irreverentiam in sacramentum, et in sacramentorem Institutorem Iesum Christum; cum haec simulatio nullatenus sit necessaria, ita ut ea irreverentia ex ipsa necessitate valeat excusari et cessari. I. M. 374. Ea praeterea damnata est prop. 29. inter alias damnatas ab Innoc. XI.: *Urgens metus gravis est causa sacramenti administrationem simulandi.* Etenim nunquam quaestio fuit de liceitate *formalis* simulationis sacramentorum; sed tantum de *materiali* sacramentorum *simulatione* disputatum est inter catholicos doctores, et eorum opinio, qui pro liceitate stabant materialis simulationis, fuit in ea propositione condemnata. Insuper id eruitur etiam ex sensu obvio illius propositionis; siquidem in ea agitur de *metu gravi* influente in ipsam exteriorem *administrationem sacramenti,* seu in ipsum exteriorem sacramentalem ritum, vel sacramentalem actionem. Cum simulatio *formalis* non nisi ab interiore et directa intentione decipiendi pendet, quae intentio occulta est, ille *gravis metus* ad eam interiorem intentionem non refertur, sed ad exteriorem actionem, quae sola apparet et videtur. Insuper Bened. XIV. in Epist. *Postremo mense* 28. Febr. 1747. § 21. casum proponit, quod infideles aliqui baptismum petebant pro suis filiis, ut nempe isti a morbis et daemonum vexationibus liberarentur, mortem quoque minitantes catholicis sacerdotibus. Et resolutum fuit a S. O. in tali casu non posse saltem ficte eos baptizare, adhibita *baptismi materia sine debita forma; quia baptismus est ianua sacramentorum ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest.* Ubi aperte apparet agi de simulatione materiali, et allatae rationes, valent proportionata ratione etiam pro aliis sacramentis; nam alia sacramenta, si non sunt ianua sacramentorum, uti baptismus, sunt quaedam baptismi perfectio et complementum, vel certe baptismum omnia praesupponunt et praesignificant, et sunt suo modo protestatio et professio fidei, unde nec ipsa ullo modo fingi possunt, quemadmodum fides nullo potest fingi modo. Post relatum casum, eiusque resolutionem citat Benedictus XIV. commemoratam propositionem damnatam ab Innocentio XI., adeoque eam ipse evidenter intelligit et interpretatur non tantum in sensu formalis simulationis, verum etiam et praecipue in sensu materialis simulationis.

Titius parochus faciens crucis signum super sponsum, quem inabsolutum dimittit, nullam sacramentalem simulationem peragit; siquidem crucis signum neque signum sacramentale, neque actio sacramentalis est. Itemque nullam simpliciter simulationem peragit, nam Titius praedictum

sponsum de sua indignitate iam convenienter praemonuerat. Insuper Titius et sponsus convenientes inter se, ut ad sacramenti sigillum, et sponsi famam servandam Titius particulam consecratam admoveat eius ori, sed statim in pixidem reponat, nullam committit sacramenti simulationem. Nam hostiam elevare super sponsum, et super ipsum signum crucis efformare, et deinde, loco eam manducandam dandi eidem sponso, in pixidem reponere, nullum sacramentale signum est, nulla sacramentalis actio est. Neque ulla adest hac in re simulatio respectu sponsi; nam conventio cum ipso facta est de hac agendi ratione. Quoad alios vero simulatio est late talis, quae, ut restrictio mentalis late talis, ex gravi aliqua causa licita est. — I. M. 375. 376.

Titius audiens confessionem sponsae, et nullam in ea audiens accusationem turpis peccati cum sponso commissi, prudenter quidem agit generatim tantum exhortando sponsam, ut praeteritae vitae peccata sincere manifestet, occasione proximi matrimonii. Recte tamen non egit eidem sponsae absolutionem non impertiendo. In hoc enim sacramenti poenitentiae tribunali poenitenti credendum est pro se et contra se. Insuper haberetur in tali casu usus notitiae confessionis sponsi, qui profecto cedit in odium sacramenti. Si enim fideles scirent eorum confessiones posse aliis spirituale vel temporale damnum afferre, id certe eos a sacramentali confessione retraheret. — I. M. 824.

Recte item non agit, loco formae sacramentalis preces submisse recitando. Non habetur quidem simulatio ulla sacramenti, nam illarum precum recitatio sacramentalis actio non est, neque illae preces pars sacramenti sunt. Attamen vera et stricta simulatio habetur, adeoque verum mendacium. Etenim, cum sponsa rite confiteatur, neque ullum signum exhibet indispositionis ad absolutionem recipiendam; cum item confessarius eam non moneatur de omissione absolutionis, secreto recitare super eam preces, eique sacro crucis signo benedicere, in hisce circumstantiis nihil aliud significare potest, neque poenitens aliud potest intelligere nisi absolutionem impertiri. Casus Consc. Bonon. Dioec. Anno 1785. Mense Iunio Cas. 1.

Neque tandem recte agit, particulam ab aliis seiunctam minime consecratam praedictae sponsae praebendo. Etenim primo violat sigillum sacramentalis confessionis, siquidem abutitur notitia per confessionem accepta, tum sponsi, tum sponsae ad communionem sponsae denegandam. Insuper hostia non consecrata idololatriae exponitur. — I. M. 376., G. 179.

34. — DE SUBIECTO SACRAMENTORUM

Philemon parochus dare solet absolutionem, Viaticum et extremam unctionem infirmis delirantibus, semifatuis, amentibus, imo et ebriis agonizantibus.

Quaer. *An recte?*

R. Philemon potuit praedictis extremam unctionem ministrare, exceptis tamen perpetuo amentibus, utpote incapacibus. Potuit etiam Viaticum ministrare delirantibus et semifatuis, secluso tamen irreverentiae

periculo; non tamen ebriis agonizantibus propter scandalum, quod inde sequeretur. Potuit tandem dare absolutionem, sed sub conditione, iis omnibus, quibus extremam unctionem ministravit. Quamvis enim ad absolutionem requiratur aliqualis confessio et actus contritionis seu doloris, certo tamen non constat ea omnino in his deficere. — I. M. 384. 565. 752. 753. 754., G. 182.

35. — DE INTENTIONE SUSCIPIENTIS SACRAMENTA

1°. Florianus, parochus, ad Titium moribundum advocatus, audita eius confessione, ipsi praebet sacram eucharistiam, quam libenter suscipit. Sed cum de extrema unctione ageretur, recusavit Titius illam suscipere, asserendo nullum esse mortis periculum. At vero, ubi parochus animadvertit iam sensibus eum destitui, coepit eundem sacro oleo ungere et perrexit; quamvis moribundus, oculis subito apertis, cernens quid circa se ageretur, agitatione capitis displicentiam suam ostenderet.

Quaer. *An Florianus valide et licite Titio extremam unctionem ministraverit?*

R. Affirmative. Etenim *valide* primo extremam unctionem ministravit; nam Titius implicite habuit intentionem extremam unctionem recipiendi eo ipso, quod recusaverit illam suscipere tunc, quando ei a Floriano proponebatur, propter hanc tantum rationem, quia nullum existimabat adesse adhuc periculum mortis. Insuper, cum Titius sponte confessus sit sua peccata, et libenter sacram eucharistiam susceperit, voluntatem profecto habet generalem christiane moriendi, adeoque recipiendi etiam, quando opus sit, extremam unctionem. Haec autem generalis voluntas omnino praedominans est relate ad voluntatem particularem, contrariam ex errore exortam. Si autem *valide* Florianus extremam unctionem ministravit, eam etiam *licite* ministravit, urgente necessitate, in qua Titius reperiebatur. Elbel 69. 70., G. 183.

2°. Titius alienigena, dum in publico hospitio diversatur, improviso morbo correptus, in proximo vitae periculo constituitur. Advocatus parochus, dum in eo est, ut illi sensibus iam destituto absolutionem impertiatur, eum esse religione hebraeum ab infirmi amico, qui inopinato adest, edocetur. Qui simul testatur, Titium nihilominus de religione christiana bene sentire; imo et eumdem exclamantem non semel audivisse: « baptismum libenter reciperem, si patris indignationem non metuerem ». His auditis parochus illi baptismum confert.

Paulo post infirmus ad sensus redit et certior factus de baptismi collatione, eam ratam habet. Compositis deinde cum patre negotiis, coram parocho se catholicum proclamat. Verum parochus modo dubitat, an Titius sit rebaptizandus.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Titii baptismus invalidus videtur propter defectum intentionis; adeoque sub conditione est rebaptizandus. Illa enim Titii voluntas ba-

ptismum recipiendi, si non metueret patris indignationem, velleitas quaedam potius est quam vera voluntas et intentio baptismi suscipiendi. Quin imo cum Titius, ut ex casu eruitur, suum patrem revera metueret, et ideo baptismum distulit suscipere, voluntatem de facto simpliciter non habuit baptismum recipiendi. Neque vero ex casu ullum desumi potest iudicium vel cessati metus indignationis patris, vel roboratae et immutatae voluntatis circa baptismum recipiendum. Quod autem Titius certior factus de baptismi collatione eam ratam habuit, eam validam efficere non potuit; posterior enim rei iam factae ratihabitio praeviam rei faciendae intentionem supplere non potest neque quoad ipsam substantiam actus humani, qui defuit, neque quoad effectus, si isti ab illo essentialiter aliquo modo dependeant. Porro, quia adultorum iustificatio in praesenti divinae providentiae ordine a propria pendet voluntate, divina gratia adiuvante; ita etiam validitas sacramentorum quae, gratiam iustificantem operantur, a propria pendet voluntate et intentione.

3°. Riculfus, infidelis, minime in fide instructus ac valde rudis, ex gravi metu baptismum recepit. Deinde vero sponte volens christianam amplecti religionem missionarium adit, eique baptismum praedictis conditionibus susceptum manifestat. Missionarius autem anceps haeret, utrum iterum Riculfus baptismum recipere debeat.

Quaer. *An Riculfus possit iterum baptizari?*

R. Ex eo quod Riculfus, metu gravi compulsus, baptismum receperit, inde non sequitur, quod invalide fuerit baptizatus, dummodo vere voluerit baptismum recipere, quia metus non aufert voluntarium. Benedictus XIV. C. *Postremo mense* §. 49. Ad hanc intentionem quod attinet, examinandus Riculfus est, cum valde rudis sit, et « si res in dubio sit, nec intelligi possit, an defuerit intentio, an sufficiens adfuerit necne, adultus tum retinendus, baptizandusque sub conditione ». Bened. XIV. l. c. §. 51. Ad fidem vero quod spectat, fides proprie talis necessaria quidem non est ad validitatem baptismi, necesse tamen est saltem noscere et credere ea quae sunt necessitate medii. Quare iterum, cum Riculfus valde rudis sit, examinandus est, utrum saltem haec noverit et crediderit ante susceptionem baptismi; adeoque, stante dubio, ex hoc etiam capite est sub conditione rebaptizandus. Cf. Collectan. S. C. de P. F. n. 551. 552. 555.

DE BAPTISMO

36. — DE BAPTISMI MATERIA

1°. « Sempronius tempore hyemali consuevit baptizare infantes aqua nonnihil calefacta, seu tepida ».

Quaer. *An licite?*

R. « Sempronius non peccavit ex eo quod hyemali tempore baptizaverit in aqua nonnihil calefacta. Ita Illsung, Babenst., aliique plures. Ratio est, quia sacramentum non debet obesse vitae hominis, quod ad vitae, peccato Adami amissae, restaurationem institutum fuit ». Elbel 15.

2°. Dominicus in casu necessitatis puerum baptizat potione thaei.

Quaer. *An rebaptizandus puer, si fieri possit?*

R. Affirmative. Nam materia dubia est. Quamvis magna quantitate aquae et parva quantitate herbae thaeae illa potio conficiatur; secundum tamen moralem hominum aestimationem, huiusmodi potio non habetur, neque est *aqua naturalis*. Attamen, quia non nisi *accidentalis* aquae immutatio habetur, materia sufficiens saltem dubia videtur, adeoque in casu necessitatis adhibenda. — I. M. 397. 398.

3°. A Missionariis dubium propositum fuit: « Se in quei regni, nei quali i genitori si oppongono al battesimo dei loro figliuoli per l'opinione, in cui sono talvolta gl'idolatri, che il battesimo li faccia morire possano battezzarsi in pericolo di morte col servirsi d'acqua, in cui si saranno poste delle quintessenze o degli odori forti, oppure alcune droghe, come il zafferano, o polvere di qualche altra specie per indurre cambiamento nel color naturale senza alterarne la sostanza, e con farne uso, come se fosse un rimedio, o sia a guisa di docciatura con versare l'acqua sopra una parte o sopra la testa, o sia *in maniera di bagno*, o sia *per lavare o pulire il fanciullo*, ovvero *per rinfrescargli gli occhi*, o *nettargli le piaghe*, o ancora *con dargliela a bere*, oppure *in qualche altra maniera a guisa di rimedio*, come se ciò fosse effettivamente; ma sopra tutto principalmente per battezzarlo, pronunziando sottovoce la forma del sacramento ».

S. O. 8. Nov. 1770. respondit: « Nel caso di estrema e vera necessità, in cui è imminente la morte del fanciullo, nè ai missionarii può

darsi altra e più comoda occasione di visitarlo, e i genitori sono al battesimo avversi... possono anzi debbono in tal caso i missionarii servirsi di materia prossima e remota, quantunque dubbia, dovendo prevalere al pericolo dell'invalidità del sagramento il soccorso, quantunque incerto, alla spirituale generazione del fanciullo. Quindi è che toltone il modo di dare il battesimo *per modo di bevanda*... il quale è certamente illecito, ed invalido sarebbe il battesimo così conferito; e tolto ancora l'uso di acque odorifere o essenze, in cui la sostanza dell'acqua sarebbe alterata, tutti gli altri modi espressi... possono e debbono essere adoperati nel caso dell'allegata estrema necessità, e non altrimenti... avvertendo che in questi casi procurino sempre, che qualche porzione di acqua *scorra sul capo* se è possibile, e non potendosi in verun modo sul capo, scorra almeno sopra qualche principal parte del corpo del fanciullo. Inoltre accertano, che in caso, che questi fanciulli così battezzati con dubbio della validità del sagramento, riacquistassero la sanità, cerchino ogni miglior modo i missionari di battezzarli di nuovo *sub conditione* e d'istruirli ».

37. — DE FORMA BAPTISMI

1°. Anna, obstetrix, saepe versatur in necessitate baptizandi infantes recens natos, et de vita periclitantes. Quia vero timet, ne formam baptismi dubiam, vel minus certam adhibeat, ad maiorem securitatem curat eam proferre nunc uno, nunc alio, at meliori quo ipsa putat modo, secundum quod in variis casibus timor errandi primo illi suggerit faciendum. Hinc 1°. aliquando dicit: *Ego te baptizo in nomine Dei Patris, et Dei Filii, et Dei Spiritus Sancti.* 2°. Aliquando dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis et Filii unigeniti, et Spiritus Sancti paracliti.* 3°. Aliquando dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris nostri et Filii et Spiritus Sancti.* 4°. Aliquando dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris et Verbi et Spiritus Sancti.* 5°. Aliquando dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus.*

Quaer. *Quid de validitate variarum formarum, quas Anna adhibuit?*

R. De prima forma P. Gury 191. ait: « Dubia est forma, quia Unitas divinae essentiae non satis exprimi videtur. Probabilius tamen valida est, quia sensus formae essentialiter non mutatur. Sed baptismus, ob controversiam, repetendus est ». Elbel 34., de hac eadem forma loquens, inquit: « Videtur satis certum, quod baptismus hoc modo collatus valeat, quandoquidem et Trinitas Personarum satis exprimitur, et unitas essentiae divinae per voculam *in nomine*. Hinc Gobat tr. 2. n. 721. ait: ego non juberem rursum tingi, qui esset sic ablutus; quia nec auctoritas, nec ratio permittit vocare in dubium. Fatentur tamen omnes hunc modum baptizandi esse graviter illicitum, cum sit contra praxim et praescriptum Ecclesiae ». Sane S. Alph. in num. 108. cit. a P. Gury nihil habet de hac forma. In num. vero 111. absolute ait: « Valet baptismus, si addantur formae verba sensum non corrumpentia puta... si diceret: *Ego te baptizo in nomine Dei Patris, qui te creavit,* etc. Porro

evidens et certum est, quod additio illa *Dei* non corrumpit formam, et quod subintelligitur in expressione uniuscuiusque Personae. Mysterium autem unitatis divinae naturae, significatum per verbum *in nomine,* integrum omnino manet. Neque vero ex illa repititione nominis *Dei* sequitur pluralitas Deorum; « quia unum et idem nomen potest iterum atque iterum nominari et invocari absque pluralitate; ut vere dicitur Pater Deus, Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, non tamen possunt dici Dii ». Suarez D. 21. L. 3. par. *Sed quid,* La-Croix l. 6. P. 1. n. 34.

Secunda forma, ut habet idem S. Alph. l. c. valida est. Nihil enim in ea additur, unde substantialis alteratio habeatur. Et S. Th. 3. p. q. 60. a. 8. explicite ait: « Si aliquis dicat: *Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, et Filii eius unigeniti, et Spiritus sancti paracliti,* erit verum baptisma ». Cf. Lugo D. 2. n. 117. 125.

Tertia forma dubia videtur. Verbum enim *nostri* videtur verum formae sensum auferre. Etenim verbum *Patris* in forma baptismi determinatur ad significandum tantum Personam Patris, qui Pater est respectu sui Filii unigeniti. Additum autem *nostri* iam determinat alium sensum, nempe efficit ut significetur *Deus Creator* sine Personarum distinctione. Id erui etiam videtur ex Responso S. Off. 27. Ian. 1892. Cf. Collectan. S. C. de P. F. n. 2160.

Quarta forma valida videtur. Immutatio enim vocis *Filii* in vocem *Verbi* non aufert verum sensum formae. Eam ut validam habet D'Annib. n. 272. nota 26., et ut validam habet etiam Suarez D. 21. S. 4. par. *Secunda sententia.*

Quinta tandem forma valida etiam est. Etenim verbum illud *Sancti* omissum, non aufert sensum formae. Vox enim *Spiritus,* quae est imposita ad significandam proprietatem tertiae Personae, scilicet spirationem passivam, quam de formali significat, sufficienter tertiam Personam significat. Et sic etiam in S. S. tertia Persona *Spiritus* simpliciter appellatur. Ioann. 7., 39. Suarez D. 21. S. 4. par. *In hac re,* D'Annib. n. 272. nota 26, Lig. 109. in fine.

2°. Metrodorus, parochus, nomen puellae imponere volens in ipso baptismate, eamque B. Mariae V. dedicare, ita eam baptizavit: *Ego te, Mariam, baptizo in nomine,* etc.

Quaer. *An licite et valide?*

R. *Illicite,* quia est contra Rituale; *valide,* quia nullo modo forma *substantialiter* immutatur. Idem dicatur, si nomen apponatur, in casu vocativo ex eadem intentione post vocem *Patris,* si nempe dicatur: *Ego te baptizo in nomine Patris,* Maria, *et Filii, et Spiritus Sancti.* Forma enim etiam in hoc casu *substantialiter* non mutatur, neque ex natura rei, ut patet, neque ex intentione agentis. Quin imo Card. De Lugo D. 2. n. 107. inquit: « Valida erit forma baptismi, si pro illis verbis, *Ego te baptizo,* dicatur, *Ego baptizo Petrum,* licet illa vox, *Petrus,* de se aequivoca sit ad hunc vel illum Petrum significandum ».

3°. Daniel, vir saecularis, puerum in necessitate baptizans, licet usus fuerit consueta baptismi forma, non tamen intendit baptizare in nomine *Patris* divini, in nomine *Filii* divini, in nomine *Spiritus Sancti* divini; sed in nomine *patris eiusdem pueri,* in nomine *filii primogeniti praedicti patris,* in nomine *Spiritus creati, ipsius* nempe *animae pueri baptizandi.*

Quaer. *An valide Daniel baptizaverit?*

R. « Baptismus est nullus. Ratio... quia ad validam confectionem sacramenti necessaria est intentio legitima ministri, scilicet faciendi sacramentum, vel saltem faciendi quod facit Ecclesia, aut Christus instituit... Et licet fuerit usus legitima forma baptismi, quia tamen non est usus illis verbis in sensu legitimo, sed alieno; hinc nihil effecit, quemadmodum nihil efficeret sacerdos... proferens haec verba, *Hoc est Corpus meum,* intelligeret non Corpus Christi, sed suum, sibi proprium ». Elbel 35.

Apposite Lugo D. 2. n. 113.-118., loquens de forma baptismi, ait: « Si minister peccet in intentione debita significandi, nolens significare Patrem sapientem, sed Patrem, qui non sit sapiens, iam tunc nihil faceret, non ex defectu verborum, sed ex defectu intentionis, sicut si consecrans non haberet intentionem significandi veram praesentiam Corporis Christi, per illud verbum *est,* sed solum impropriam et secundum figuram, non consecraret ». Quando tamen ex parte intentionis *adest intentio faciendi quod Christus iussit,* et *adest simul error in mente,* huiusmodi error nihil obstat valori sacramenti. Nam error manet solum in mente; nec verba illum significant secundum se, nec illum significant ex intentione proferentis. Eo ipso enim quod quis sinceram habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, iam vult per ea verba significare id quod Christus et Ecclesia volunt significare. Quare requiritur ad valorem formae, « et quod significet id quod Christus voluit, quantum est ex parte verborum, hoc est, quod sint apta de se ad significandum, et quod id etiam significent ex parte proferentis, qui hoc ipsum intendit significare; sine hoc enim non est locutio. Nam psittacus etiam profert verba, quae se aliquid significant, et tamen non loquitur, quia non intendit per verba illud significare. Similiter ergo in eo casu forma illa non esset locutio significans in ratione locutionis id, quod Christus voluit, cum minister non proferat verba ad id significandum, sed aliud ».

38. — DE MINISTRO BAPTISMI

1°. Symphorosa materfamilias, advertens suam prolem recens natam in magno vitae periculo inopinate versari, in clamores et eiulatus erumpit. Accurrit Sigismundus maritus, adveniunt simul filii et famuli. « Cito afferte aquam, clamat Sigismundus, ut infantem baptizem ». Sed Marcus, Sigismundi filius, « hoc munus, ait, meum est, sum enim clericus, et omnibus ordinibus minoribus insignitus et sacrae theologiae candidatus ». Mater vero « advocate parochum, inquit; cum prope sit, statim aderit ». Interea Melania ancilla, aquam infundens in caput infantis, verba formae baptismatis profert; et paulo post infans iam baptizatus ad caelites avolat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Debuit advocari parochus, si revera statim adesse potuerit, et baptismus aliquantisper potuerit differri. Verum, ut ex casu apparet, necessitas urgens omnino erat, nec ullam patiebatur moram. Parocho absente, Marcus clericus baptizare debuit. Quod autem Melania, coram Marco, clerico inferiori, baptizaverit, grave non fuit. Quod laicus, generatim loquendo, praesente clerico inferiori baptizet, « Pal. dicit nullum esse peccatum, cum de hoc nullum inveniatur praeceptum divinum aut ecclesiasticum. Recte vero alii communiter docent id non esse mortale, quia talis perversio ordinis non videtur tam gravis, cum ex vi Ordinis nemo praeter sacerdotem et diaconum ex commissione habeatur specialiter deputatus ad baptizandum. Ex altera vice id non videtur excusari a culpa veniali, tum quia id videtur aliqualis indecentia, tum quia est contra praescriptum Ritualis Romani ». Lig. 117. Sed Melania a veniali etiam excusanda videtur in casu, siquidem in ea rerum confusione et contentione, infantis periculo imminente, bene fecit quaestionem statim resolvens infantem baptizando ad eius aeternam salutem in tuto collocandam. — I. M. 425. 429., G. 199.

2°. Daniel, diaconus, absente parocho per plures dies, ex eius praesumpto consensu, puerum in Ecclesia parochiali solemniter baptizat. Redux autem parochus eum de gravi culpa arguit, quia, secluso necessitatis casu, diaconus delegatione explicita indiget ad baptizandum solemniter. Debuisset igitur vel parochum expectare vel alium sacerdotem accersere.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. « Peccavit graviter Daniel diaconus, baptizando solemniter absque delegatione, vel absque necessitate, quia actum iurisdictionis parochialis usurpavit. Imo diaconus delegari nequit a parocho ad baptizandum solemniter, nisi ex aliqua gravi causa, quia in praesenti disciplina Ecclesiae non est nisi minister extraordinarius. — Daniel insuper baptizando solemniter absque delegatione poenam irregularitatis incurrit ob usurpationem actus Ordinis, ad quem non est ordinatus. C. 1. *de Cler. non ord. min.* ». Ita P. Gury 200.

Verum in hac resolutione aliquid videtur adesse minus exactum, quod nempe diaconus *non nisi ex Ecclesiae disciplina minister extraordinarius sit baptismi.* Aliquid etiam videtur adesse nimis severum, quod nempe stante *absentia parochi per plures dies,* Daniel non potuerit baptizare, et expressa parochi delegatione indiguerit. Diaconus enim vi ipsius Ordinis minister extraordinarius baptismi est, et stante gravi necessitate baptizare potest etiam ex praesumpta commissione. Neque vero gravis in casu defuit necessitas, si revera nullus alius erat in paroecia sacerdos.

Enimvero in sacramentis conferendis minister potestate ordinis et iurisdictionis regulariter opus habet. Ratione autem *ordinis,* triplex est ministrorum gradus. In primo constituti sunt episcopi, qui quasi Ec-

clesiae principes omnia conferunt sacramenta, sed in primis ea, quibus aliquod munus cohaeret, nempe confirmationem et ordinem. In secundo presbyteri, qui, exceptis his duobus, reliqua conficiunt. Ministri autem extraordinarii esse possunt tum confirmationis tum ordinum, qui ad Eucharistiam non tam prope accedunt. In tertio vero sunt diaconi, « qui administrant baptismum et Eucharistiam tantum; nec semper, sed, cum sint ministri extraordinarii, et presbyterorum vices suppleant, dumtaxat *in necessitate gravi, et de mandato presbyterorum saltem interpretativo;* at in extrema necessitate licet ea ministrare, etiam his invitis, ex interpretativo mandato episcopi vel Ecclesiae ». D'Annib. 252. Et S. Alph. 116. « commissio, ait, nequit diacono fieri, nisi *ob magnam necessitatem, vel Ecclesiae utilitatem,* puta si non adessent sacerdotes, vel nisi adsit multitudo baptizandorum, aut nisi parochus sit graviter infirmus, vel excommunicatus, vel alias occupatus confessionibus excipiendis, aut praedicatione, ut colligitur Actor. 6., 3. ».

Verum, ut magis explicetur quatenus diaconus *vi ordinis* et *iure divino,* ac non mere *ex iure ecclesiastico,* minister esse *extraordinarius* possit solemnis baptismi, referre iuvat ea quae habet Suarez D. 23. S. 2. par. penult. et ult., ubi duas explicat differentias hac in re inter diaconum et inferiores clericos. « Una est absoluta in ordine ad solemnem baptismi administrationem. Nam haec *ex rationabili causa* committi potest diacono *in casu necessitatis;* imo, si necessitas urgeat, et sacerdos sit absens, potest ipse iure suo ministerium usurpare, ut docet Gloss. in C. *Diaconos* 13. Dist. 93. At vero inferioribus non potest committi propter ullam necessitatem; sed, ea urgente, possunt tantum privatim baptizare... Videtur autem haec differentia stabilita potius iure ecclesiastico quam divino... Non dubito tamen, quin ex dispensatione Summi Pontificis hoc solemne ministerium alicui non diacono committi possit.... Non tamen nego, quin haec ecclesiastica ordinatio valde consentanea sit iuri divino, et in illo habeat aliquod fundamentum, quatenus ex intentione divini iuris, ad hoc ordinatur diaconus, ut sit specialis minister presbyteri, ut et illius ministerio utatur in rebus sacris peragendis, et possit etiam ei committere aliquod sacerdotale ministerium, ad quod non est absolute necessarius sacerdotalis character, quando subest causa legitima. Exemplum accommodatissimum est in dispensatione Dominici Corporis, quae potest diacono committi, non vero subdiacono... quod quidem consentaneum est in iure divino; absolute tamen iure ecclesiastico est institutum. — Secunda differentia est in privata administratione baptismi ob necessitatem. Nam in primis facilius committi potest diacono, quam inferiori, quia iam est aliquo modo ratione sui ordinis ad hoc deputatus, unde etiam in praesentia sacerdotis aliqua esse potest causa sufficiens ad committendum hoc ministerium diacono, quae non satis est, ut inferiori committatur, ut, v. g., ob graviorem aliquam occupationem posset interdum sacerdos committere diacono non vero subdiacono, vel inferiori. Deinde... in absentia superiorum diaconus veluti iure suo praeferendus est omnibus inferioribus, ita ut inversio huius ordinis non solum sit indecens ratione huius sacramenti, sed etiam sit quaedam usurpatio iuris alieni; at vero ordo inter ceteras personas inferiores diacono solum fit ex decentia quadam, non vero ratione iuris, quod aliquis eorum habeat ad ministrandum hoc sacramentum ».

39. — DE CONDITIONATA INTENTIONE BAPTISMI

Olympius, missionarius, dubitans de dispositionibus Lauriani, catechumeni, et ob circumstantias peculiares cum nullo modo posset baptismum differre, eum sub conditione baptizat, sola nempe mente, conditione concepta, si sincerum dolorem et propositum suorum peccatorum Laurianus haberet.

Quaer. *An Olympius recte egerit?*

R. Negative. Conditio ex Ecclesiae consuetudine in baptismo tunc tantum adhibetur, cum dubitandi locus est, num aliquid defuerit, aut desit quod *ad valorem* sacramenti requiratur. Dolor autem et propositum non requiruntur necessitate ipsius sacramenti. Praeterea gravissimum ex hac ratione agendi sequitur incommodum, in casu, nullitatis et privationis baptismi, si conditio non verificatur, toto vitae tempore. Cf. Collectan. S. C. de P. F. n. 589. 648. 655., Catech. Roman. de Sacram. Bapt. n. 57.

40. — BAPTISMI ITERATIO

1°. Titius parochus, dum in eo est ut infantulum baptizet, ab obstetrice admonetur, eumdem, vix in lucem editum, fuisse a se baptizatum. Illius pater, Caius, qui adest id inficiatur, cum quotquot sunt e familia huiuscemodi factum prorsus ignorent. Verum subiungit mulier, se puerum, cui iam mors imminere videbatur, in ipso puerperae dormientis cubiculo, ubi sola versabatur, baptizasse. Tunc pater: numquam id credam, nec, licet baptizasses, inducere in animum umquam potero, te rite baptismum contulisse. Hinc parochus obstetricem interpellat de ratione collati sacramenti et animadvertit nullum adfuisse defectum. Nihilominus pater instantius urget, se velle filium a parocho baptizari, quia obstetrix tamquam mulier rudis et dubiae famae vulgo habebatur. Probe noscens Titius, Caium virum potentem in oppidulo esse, ne hunc sibi infensum habeat, puerulum sub conditione baptizat, qua ratione tota lis statim composita fuit.

Paulo post vocatus Titius ad sacramenta cuidam aegroto conferenda, de sua agendi ratione anxius extat, timens ne forte irregularitatem contraxerit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Quamvis per baptismum conditionate collatum « periculum evitetur rebaptizandi eum, qui iam semel fuerit legitime baptizatus, non ideo tamen est illa passim et temere adhibenda; sed tunc solum ea uti licebit, cum prudens et probabilis subest dubitatio, an quis fuerit rite baptizatus, nec, diligenti praemissa indagatione, potuit rei veritas innotescere ». Benedict. XIV. De Syn. l. 7. C. 6. n. 2. Iam vero non videtur superesse in casu prudens baptismi dubitatio, post factam rei indagationem. Etenim primo obstetrix sponte ipsa affirmat baptismum

iam esse a se collatum, neque ulla deprehenditur ratio, quae illam ita moveat ad falsam affirmationem in re tam gravi. Infantis patre contra reclamante ex ignorantia collati ab ipsa baptismi, factum obstetrix rite explicat; et explicatio tam vera ipsi patri reluctanti in eo momento visa est, ut nihil opposuerit quoad factum baptismi collati, sed aliam obiecerit difficultatem de baptismo rite collato. Verum difficultas haec ex facta indagatione omnino etiam evanescit. Obstetrix enim explicat rationem collati baptismi, et constat ex ea nullum revera adfuisse defectum in baptismi collatione. Sed pater infantis urgens opponit iterum obstetricem esse rudem et dubiae famae. Quod obstetrix rudis sit, ut hoc non impedit quominus ipsa bene sciat suam artem exercere, ita etiam non impedit quominus ipsa sciat rite baptizare. Agitur enim de re valde facili, de re in qua obstetrices omnino peritae esse solent, de re in qua de facto obstretrix, in casu, licet rudis et valde rudis esset, bene instructa erat, ut apparet ex facto examine. Neque vero ulla prudens dubitatio adesse potest ex eo quod sit dubiae famae. Etenim primo, si hoc solum sufficeret ad prudens dubium, iam dubitandum esset de omnibus aliis baptismis ab ipsa collatis, et certe non hic fuit primus baptismus quem ipsa ministraverit, cum agatur de obstetrice iam exercente suam artem, et in ea revera bene exercita, cum bene animadverterit mortis periculum, in quo infans reperiebatur. Insuper dubia illa fama ad rem non facit, quodnam enim obstetricis commodum, quaeve eius utilitas ex mendacio? Nemo malus, nisi probetur. Quin imo eius constans affirmatio coram praepotente patre, cui tandem cedit ex metu ipse parochus, grave omnino et certum argumentum est, moraliter loquendo, de veritate affirmatae baptismi collationis. Quare Titius rite non agit, infantem sub conditione baptizando, ne Caium sibi infensum haberet. Atque hoc ipsum ostendit Titium non recte egisse. Nam, cum ipse fuerit iudex et testis totius disputationis inter obstetricem et Caium, et cum ipse obstretricem certe aliunde bene nosceret, ad baptismum iterandum non nisi ex metu Caii motus fuit, unde etiam deinde irregularitatem incurrisse timuit. Tam certum ergo visum ei est collatum baptisma et rite collatum!

« Enimvero, ait Bened. XIV. l. c. n. 4., si obstetrices de sacramenti materia, forma et necessaria in ministro intentione sint legitime edoctae... *eaeque in speciali eventu, quo baptisma periclitanti infanti privatim contulerint, ab eodem parocho interrogatae, omnia rite a se adhibita testentur, quae ad sacramentum valide conficiendum requiruntur; nulla sane subest probabilis ratio, cur baptismus debeat, aut licite possit sub conditione repeti...* Quamquam ex plurium attestatione maior profecto hauriatur rei gestae certitudo, attamen sacri canones sufficienter probatam habent collationem baptismatis per unicum testem, praecipue si is testificetur de facto proprio, hoc est, si affirmet, illud fuisse a se legitime administratum, nec quidquam in contrarium occurrat, quod illius testimonio fidem detrahat, uti diserte decernitur in Caus. 110. et 112. *de Consecrat.* Dist. 4. et Cap. *Nuper* de Testibus ». Cf. etiam Enchir. Moral. N. 249. 709.

Ad irregularitatem vero quod attinet, quam Titius timet incurrisse, Benedict. XIV. l. c. n. 3. ab irregularitate, iterantibus baptisma inflicta ab Alex. III. C. *Ex litterarum de Apostat. et reiterantib. bapt.*, non eximi reputat, « qui ob solum apprehensum prioris baptismi vitium,

nullaque praemissa veritatis indagatione, illud denuo sub conditione conferunt, quibus certo sciunt iam semel antea fuisse collatum ». S. Alph. l. 7. n. 356. « rebaptizans, ait, vel rebaptizatus *ex metu* sine intentione, vel *sub conditione,* etsi temere et culpabiliter fiat, probabiliter non fiunt irregulares ». Quare Titius poterit probabiliter ex S. Alph. ab irregularitate excusari. Irregularitas haec prohibet verius a sola ordinum susceptione, a susceptorum exercitio non prohibet. C. *Ex litterarum de Apost.* D'Annib. Summ. P. 1. n. 410. Cf. Collect. S. C. de P. F. n. 648. par. *Quamobrem* initio. Alii tamen ad ordinum exercitium etiam extendunt. Bened. XIV. Notif. 84. n. 14. seqq. Quare iterum Titius sacramenta aegroto poterat ministrare. — I. M. 465. 1327.

2°. « Sabellinus, haereticus veniens ad parochum, petit instrui et admitti ad Ecclesiam catholicam. Parochus vero eum instructum interrogat de suscepto baptismo, nec potest certum defectum invenire; hinc haeret anceps utrum illum sub conditione rebaptizare debeat, quod tamen non absque magna anxietate praestat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Sabellinus rebaptizari potuit et debuit, ut fert mos generalis Ecclesiae; quia notum est haereticos errare saepius in baptismo conferendo: ergo prudenter haeretici ad veram fidem conversi communiter rebaptizari solent ». Ita P. Gury 207.

Verum ut constat ex pluribus Decisionibus et Instructionibus SS. CC. haeretici indiscriminatim omnes non rebaptizantur, sed illi tantum, quorum baptismum, post praevium et diligens examen, constat fuisse nullum, vel dubie validum. Cf. Enchir. Moral. N. 249., Collectan. S. C. de P. F. n. 642. seqq.

41. — DE CAEREMONIIS BAPTISMI

1°. Robertus, missionarius, pluribus distentus occupationibus, propter defectum temporis et nimiam defatigationem, in adultorum baptismo caeremoniis utitur pro pueris in Rit. Rom. assignatis, sive baptizandi multi sint, sive sint pauci.

Quaer. *An Robertus recte agat?*

R. Negative. Etenim S. O. 12. Febr. 1851., respondit Vic. Ap. Coreae, petenti ut licitum ipsi esset absque scrupulo dari baptismum adultis modo praedicto et ob praedictas rationes, *stet Rituali Romano.* Ac S. C. de P. F. 16. Ian. 1797. respondit Vic. Ap. Tunk. Occid.: « Servandum omnino praescriptum Ritualis Romani, praeterquam in casu necessitatis ». Porro « SSmus, instante Vic. Ap. Tunk. Occid., Apostolica auctoritate ac indulgentia, declaravit servari posse consuetudinem, quam in Tunkino vigere expositum est, utendi in baptizandis adultis caeremoniis pro infantium baptismate praescriptis, ubi id rationabilis

necessitas, vel temporis angustia ad caeteras sacri ministerii functiones explendas, seu nimia missionariorum defatigatio exigat ». S. C. de P. F. 30. Ian. 1803. — Collectan. S. C. de P. F. n. 612. 613. 625.

2°. « Sacerdos, qui dum fontem baptismalem in Sabbato Sancto benedicit non potest Olea sancta aquae benedictae immiscere, vel quia haec illi deficiunt, vel ob aliam legitimam causam, potestne fontem nihilominus eo die benedicere, oleorum sanctorum immixtionem ad alium diem differendo; an vero integram fontis benedictionem omittere eo die teneatur?

R. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam, et communicetur Decretum S. R. C. 12. Apr. 1755. in Lucana: *Parochi, qui ante fontis benedictionem olea sancta recipere non potuerunt, illa subinde privatim ac separatim in aquam mittere poterunt* ». S. C. de P. F. 5. Mart. 1816.

Verum aliud adest eiusdem S. R. C. Decretum in Oriolen. 23. Septembris 1837.: 1°. Benedictio fontis baptismalis in Sabbato Sancto fieri debet cum chrismate et oleo praecedentis anni: neque omittenda est infusio chrismatis et olei usquedum accipiantur recenter consecrata. 2°. Hinc fieri debet nova fontis benedictio cum oleis anni praecedentis. 3°. Cum autem nova recipiantur olea, aquam baptismatis benedictam cum veteribus oleis non debet in piscinam infundi; sed debet illa conservari, eaque uti parochus debet, usque ad benedictionem in vigilia Pentecostes, prout in Rituali.

Neque vero oppositio adest inter Decretum et Decretum. Et sic S. R. C. 12. Aug. 1854. statuit, « pro diversitate circumstantiarum in praxi utrumque Decretum *(Lucana* et *Oriolen.)* servari posse. Nam in *Lucana* supponitur, quod in aliquo fortuito casu olea sancta ad breve tempus retardentur; et in *Oriolen.* loquitur de omnimoda impossibilitate habendi olea sancta a propria Cathedrali vel a vicinioribus Dioecesibus ».

42. — DE SPIRITUALI COGNATIONE

Sempronius fidelis filium suum baptizavit, quem habuit ex pagana muliere. Sempronius nunc cum eadem muliere baptizata matrimonium inire vult.

Quaer. *An obstet impedimentum cognationis spiritualis?*

R. Negative. Nam istud impedimentum exoritur in collatione baptismi inter baptizantem baptizatique parentes, quando omnes sunt baptizati. Cf. Sanchez de Matr. l. 7. d. 62. n. 11., d. 60. n. 14. 15. 16., La-Croix l. 6. p. 1. n. 368., Schmalzgr. l. 4. tit. 11. n. 28. seqq., 32. seqq.

43. — DE SUBIECTO BAPTISMI

1°. Landulphus, ab infidelitate ad christianam fidem conversus, fatetur se voluisse quidem baptismum recipere, sed unice ut a christianis, quia pauper valde erat, adiuvaretur, non ut christianam fidem vere am-

plecteretur. Et sane Landulphus post susceptum baptismum multis adhuc annis addictus fuit ritibus paganis. Convertitur nunc ad meliorem frugem, et anceps missionarius quaerit, utrum sit rebaptizandus.

R. Negative. Tres in adulto requiruntur dispositiones, ad baptismum rite suscipiendum, fides nempe, poenitentia et intentio illum recipiendi. At fides et poenitentia in adulto requiruntur, ut *licite* sacramentum suscipiat, et fructum sacramenti consequatur. Intentio vero necessaria est ad illud *valide* consequendum. Ad *validitatem* ergo baptismi sufficit *voluntas* ipsius *baptismi* recipiendi, seu suscipiendi quod christiani suscipiunt, etiam sub quadam ratione confusa; etiamsi privata ratione credat totum id nullius valoris vel momenti esse. Quare minime requiritur *voluntas effectus* baptismi. Atqui Landulphus vere *voluit baptismum* recipere; licet nollet deinde vivere secundum baptismi fidem. Baptismum ergo valide suscepit; neque est consequenter rebaptizandus. Neque vero ratio illa, ut a missionariis in eius temporali necessitate adiuvaretur, eum ad baptismum impellens, veram baptismi suscipiendi voluntatem impedivit, cum e contra illa ratio ad baptismum suscipiendum impelleret. Ac, si metus, impellens ad baptismum, baptismi voluntatem non adimit, et baptismus validus est, ut colligitur ex C. *Maiores* 3. *de Baptismo;* multo magis baptismus validus est in casu, siquidem *sponte* omnino a Landulpho suscipitur. Cf. Suarez de Sacr. q. 68. D. 24. S. 2., Instr. S. O. 6. Iun. 1860. Collectan. S. C. de P. F. n. 589., I. M. 460.

2°. In civitate quadam, omnino catholica, Petrus et Petronilla, christiani et catholici, sed male prorsus viventes, satagere negligunt, ut eorum proles baptizetur. Eorum ancilla Rosina, fervens catholica, et quae iam a pluribus annis in hac domo immoratur, Antoninum parochum admonet. Re mature perpensa, et Ordinarii approbatione habita, parochus prolem, parentibus insciis, secreto baptizat; eamque interim eidem ancillae commendat.

Quaer. *An bene parochus egerit?*

R. Cum casus contingat in regione omnino catholica, et spes consequenter sit, quod illa proles in vera fide deinde instruatur; neque scandalum ullum sequatur, licite parochus agit. Ecclesia enim plenum habet ius in talem prolem, nec ratio ulla adest, cur eo in maximum talis prolis bonum non utatur. Illi sane, qui inter catholicos in catholica civitate vivunt, facile instrui possunt in catholica religione, cum passim fere prae oculis habeant ea quae ad catholicam religionem pertinent, et de ea alios saepe loqui et disserere audiat, uti e. g. Romae, Neapoli, aliisque similibus civitatibus. Si vero parentes negligentes sint, non desunt, in huiusmodi civitatibus, personae aliae, sive consanguineae, sive etiam extraneae uti famuli et famulae, ut in casu, qui parentum socordiam supplere possint, et sedulam curam adhibere, ut sensim sine sensu infantes imbuant vera catholicae fidei doctrina, eosque etiam excitent ad ipsam catholicae religionis praxim. Ac saepe ad id adiuvat etiam bona ipsorum puerorum indoles, et semper praesto est auxiliatrix Dei gratia. Quare cum talis videtur fuisse casus Antonini parochi, eius zelus lau-

dandus videtur, et cum *interim* prolem illam commendaverit ferventi ancillae, id sane probat, quod invigilabit etiam in posterum pro recta et catholica illius prolis institutione. Atque haec resolutio ex sequenti Casus resolutione abunde confirmari potest. I. M. 464.

3°. « An expediat, extra casum mortis, baptizare infantes fidelium, quando, habita ratione tepiditatis aut alterius eorumdem pravae agendi rationis, nulla probabilis spes affulget, fore ut dicti infantes in christiana religione postmodum instituantur?

R. Detur responsum S. Off. 17. Sept. 1671., et scribatur iuxta Instructionem: scilicet, cum ab hac S. C. rogata esset sententia S. C. S. Off.: *An baptizari possint infantes turcarum, quando pater a christiana religione defector est, mater christiana; qui tametsi ambo petant Baptismum pro filio, dubium tamen est fore ut pater eum velit in mahumetana superstitione educare?* Ad quod dubium S. Off. cum responsum prodierit: *In casu proposito debere baptizari,* hinc sumendum initium praescriptae Instructionis informandae, qua ex dato responso ad pleniorem quamdam propositi dubii explicationem via muniatur.

Itaque praenotandum, aliud ferendum iudicium de casu, quo sic instat periculum perversionis infantis baptizandi, ut prope certum sit nulla ei postmodum ratione succurri posse, velut cum infans in potestate deinceps mansurus est parentum infidelium; aliud de casu quo dubium quidem aliquod, seu causa etiam iusta subest perversionis metuendae, sic tamen, ut nec omnis desit congrui subsidii ratio, qua periculo quod praevidetur opportune provideri queat. Certe priori casu, in quo cernitur ea periculi ratio, quod proximum vocari solet, infanti, nisi vita periclitetur, baptismum conferri non posse, aperte constat ex alio S. Off. responso 3. Mart. 1703., quo decretum est: *Baptismum conferre infantibus non licere, qui filii infidelium essent, atque in eorum potestate mansuri, pueris exceptis, qui gravissime aegrotantes vita periclitarentur.* Ad posteriorem vero casum quod attinet, continuo subiicitur: *Licere autem si filii quidem barbarorum sint, sed iam Christi militum, dum tamen aut a viris apostolicis illic degentibus, aut ab ipsis parentibus, de sanctae Religionis praeceptis ac mysteriis edoceantur, cum adoleverint.*

Ita porro congruunt atque inter se consentiunt ambo ista, quae allata sunt, S. Officii responsa, ut aliud ex alio mutuam lucem accipiant. Nam primo dato responso, etsi patris defectio a christiana religione non inanem suspicionem afferret, fore ut in suscepta mahumetana impietate filium educare vellet, cum tamen mater christianam religionem profiteretur, nec pater ipse repugnaret: in ea tali facti specie, quae dubium quidem aliquod, non item satis exploratum quoddam futurae perversionis proximum periculum prae se ferret, merito censuit S. C. haud satis esse causae, cur pro incerto eventu, consequendae baptismatis gratiae beneficio, natum infantem repelleret.

His rite perpensis et cognitis, sua veluti sponte prodit explicatio dubii a R. Vicario Ap. propositi. Etenim, quaecumque illa sit quae dicitur parentum tepiditas, seu in omni religionis cultu segnities et socordia, aut alterius eorumdem in prava agendi ratione protervitas, non ab hac sane maior educationi prolis pernicies impendet, quam ab aperta

patris a christianis sacris ad mahumetanam impietatem defectione. Aliunde multo plura, ex cultu religionis in apostolicis istis Missionibus vigente, quam ex unius matris inter turcas degentis christiana professione, subsidia suppetunt, quibus parentum ignaviae, pia et sedula Pastorum praesertim industria, suppleri valeat. Atque in primis, pro summo studio quo Apostolici Vicarii eorumque administri stant in istis partibus unanimes, in eodem spiritu collaborantes Evangelio Filii Dei, fieri vix potest ut cum ad sacrum Baptisma celebrandum accedunt, facultas desit tales procurandi susceptores, a quibus, cum adolescere coeperint renati infantes, de christianae religionis praeceptis et mysteriis edoceantur. Quod si contingit, ut multorum deinceps deflenda sit a suscepta religione misera defectio, partim, ut exponitur, persecutionum metu; partim ob denegatam confessionem propter scandala, qui nunc tamen sat facile converti dicuntur; partim quod plures in remotiores partes transferantur, quo raro sacerdotes commeant a quibus visitentur; partim ob plurimorum spontaneam cohabitationem cum gentilibus, a quibus paulatim depravantur; partim demum quia plures ad male partorum restitutionem adacti, malunt fidem quam pecuniam deserere, profecto non eo valet subsequens isthaec plane voluntaria depravatio, ut de parvulis, qui singillatim ad baptismum offeruntur, diffidendum sit, et non potius pie sperandum fideles illos, Deo miserante, in ea vocatione permansuros, in quam sunt ipsiusmet miserantis Dei benignitate per baptismum vocati. Imo quod et notatum est, *satis facile illos converti,* qui ob negata sacramenta discedunt, plane ostendit, quantum illis baptizari profuerit, qui nisi antea baptizati essent, perpetuo forte in idololatriae tenebris misere iacuissent. Quo magis augeri debet Pastorum pia in Domino confidentia, non inanem ab illis laborem susceptum iri, quanto maiore studio in aliorum cuiusque generis conversionem incumbent, praedicantes verbum, instantes opportune, importune, arguentes, obsecrantes, increpantes in omni patientia et doctrina.

Nunc ut ad propositum dubium propius revertamur, ex dato iussu S. Congregationis decreto, potiori ratione concludendum, parentum fidelium tepiditatem aut alterius eorumdem pravae agendi rationis considerationem, non obesse quominus, postulantibus praesertim ipsismet parentibus, ut in proposito casu, rite illorum infantes baptizari valeant ac debeant ». S. C. de P. F. 31 Ian. 1796.

4°. Caia haeretica timens, ne suus filius, recens natus, a Ministro haeretico invalide baptizetur, sacerdotem advocat catholicum, ut rite ab eo baptizetur. Laetus advolat ille et infantem catholico ritu baptizat. Verum statim dubitare incipit, utrum recte egerit. Caia enim nullo modo intendebat sese obligare ad filium suum educandum in Religione Catholica. Ac multo minus id expectari poterat ab eius marito obstinato protestante.

Quaer. *An potuerit sacerdos infantem, prout in casu, baptizare?*

R. Negative, praeterquam in articulo mortis. Ita simili casu respondit S. O. 26. Aug. 1885. Collect. S. C. de P. F. n. 595. Etenim, ut minister catholicus licite baptismum haereticorum filio praebeat, necessa-

rium est, ut probabilem spem concipiat, fore ut huiusmodi puer baptizatus possit suo tempore in vera fide instrui. Quod, si nulla via possit huiusmodi spem moralem habere, deberet certe potius a baptismo abstinere, supponendo parvulum non esse in extrema necessitate, in qua quilibet alius baptizari potest. S. C. de P. F. 3. Ian. 1777. n. IX. Enchir. Moral. N. 248., I. M. 464.

5°. « 1°. Utrum propter periculum, ne filia tradatur in matrimonium viro musulmano vel ethnico, vel simplici polygamo christiano, possit administrari baptismus puellis sive infantibus sive adultis, quando ceteroquin necessarias habeant dispositiones ad eum suscipiendum ?

2°. An propter periculum, ne servi heris musulmanis vel ethnicis cum fidei discrimine vendantur, possit illi conferri baptismus in infantia aut etiam in aetate adulta, quamdiu eorum dominus non iurat contrarium ?

R. Ad 1^um^. quod attinet distinguendum est inter puellas infantes et puellas adultas. Illae, ubi nihil aliud obstet praeter futurarum nuptiarum periculum, admitti tutissime possunt ac debent ad baptismum, non enim aequum est ut pro incerto multumque adhuc remoto eventu a certo consequendae baptismatis gratiae beneficio repellantur. Puellae vero adultae, vel nondum nubiles sunt, vel iam quidem nubiles, sed nondum in matrimonium promissae, vel iam desponsatae viris infidelibus aut polygamis. In primo et in altero casu non est cur denegetur aut differatur baptismus, modo puellae supradictae necessarias habeant dispositiones, quandoquidem periculum ineundi irritas cum infidelibus nuptias, in iisdem postea violenter permanendi, certo proximeque non imminet, et potest aliunde pluribus modis amoveri. At in tertio casu nullatenus expedit eas ante matrimonium baptizare, tum propter difficultatem non minimam legitimae dispensationis obtinendae, tum ob gravissimum periculum ne transeant ad nuptias, etiam non dato dispensationi loco, quae certe indulgeri nequit super impedimentis iuris naturalis; satius igitur erit baptismum differre quam proximae profanationi exponere.

Ad 2^um^. dubium quod attinet, maiorem continet difficultatem circa infantes quam circa adultos. Nam praevisum perversionis periculum eatenus baptismus ne conferatur impedit quatenus per opportunas instructiones removeri nullo modo potest. Quo constituto principio sequitur servos utriusque sexus adultos, qui rite dispositi sunt, et christiana instructione praemuniri queunt, baptizandos esse, etiamsi eorum dominus promittere neget se nunquam id commissurum ut eos infidelibus divendat. De servis adhuc infantibus considerare oportet num ipsi obnoxii sint periculo transeundi in potestatem infidelium post adeptam adolescentiam, vel ante superatam infantiae aetatem. In priori hypothesi, quoties nihil aliud eorum baptismo obstet praeter supradictum periculum, et spes aliqua effulgeat christianae eorum educationis, sacro lavacro licite abluuntur; quod item licite eis administratur in posteriori hypothesi si vel ex parentibus christianis offerantur, vel morti proximi reperiantur ». S. O. 25. Iunii 1866. Collect. S. C. de P. F. n. 591.

DE CONFIRMATIONE

44. — DE CONFIRMATIONIS MATERIA

1°. Andreas graecus dubitat de valore suae confirmationis. Cum enim inter latinos immoraretur audivit a quodam latino presbytero chrisma confirmationis non nisi ex oleo olivarum et balsamo confici. Porro quando ipse in Graecia fuit confirmatus audivit sacrum chrisma confici ex pluribus suaveolentibus materiis.

Quaer. *An Andreas fuerit valide confirmatus, si chrismati alia fuerint immixta suaveolentia aromata?*

R. *Affirmative.* Etenim in Graecorum Euchologio, seu Rituali, vel Sacerdotali et Pontificali, hoc habetur Monitum, « sciendum est, quod quamvis Orientalis Ecclesiae Pontifices in conficiendo sacro chrismate pluribus de more aromatibus utantur, *necessaria tamen sacramenti materia sunt oleum et balsamum,* quibus, secundum antiquae Ecclesiae Orientalis morem, aliae aromatum species recte admiscentur, si iuxta praescriptum adsint. Verúm, si earum quaedam desint, *dummodo oleum et balsamum adsint,* tanquam non necessaria ad chrismatis materiam rite omnino sanctum chrisma conficitur ». Bened. XIV. C. *Ex quo primum* 1. Mart. 1756. § 44. praedictum refert Monitum, et § 49. ait illud « pertinere ad sanctum chrisma, quod quidem a graecis conficitur non oleo dumtaxat et balsamo, sed admixtis etiam aliis aromatibus. In hac autem moniti parte unicuique videre licet, haud quidem interdictam esse huiusmodi aromatum permixtionem, sed illud dumtaxat tenendum doceri in oleo et balsamo consistere materiam sacramenti, adeoque, si aliquod deficiat ex aliis aromatibus admisceri solitis, nihil deesse, quod necessarium sit ad sacrum chrisma conficiendum ». Quod igitur graeci alia immisceant chrismati aromata, non ideo inepta evadit confirmationis materia. Quare Andreas valide et licite etiam fuit confirmatus praedicto chrismate secundum ritum Ecclesiae Orientalis.

2°. Iosephus tenet manuum impositionem non pertinere ad essentialem confirmationis materiam. Sane, ait, Ecclesia Graeca non utitur manuum impositione, Bened. XIV. C. *Ex quo primum* § 50. D'Annib. 279.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Manuum impositio omnino essentialis est ad confirmationis sacramentum. Eam enim ipsi leguntur adhibuisse Apostoli ad conferendum

Spiritum Sanctum. Act. 18. et 19. Itemque de eius continuato in Ecclesia usu ab Apostolorum aetate Patres testantur. Neque vero Ecclesia Graeca dissentit. Nam impositio haec manuum essentialis illa est, quae est chrismationi annexa, eamque profecto adhibet ipsa Ecclesia Graeca, eo plane modo, quo ea utitur Ecclesia latina. Hinc Mich. Palaeologus in professione fidei, quam an. 1274. misit ad Greg. X. diserte ait: « Aliud est Confirmationis sacramentum, quod *per manuum impositionem episcopi* conferunt, *chrismando* renatos ». Quare Benedict. XIV. l. c. excludit quidem impositionem manuum a chrismatione distinctam, minime vero etiam indistinctam, et in ipsa chrismatione inclusam. Per hanc enim fit chrismatio. Alia vero manuum impositio necessaria non est. Theol. Wirceburg. 142. seqq., I. M. 475. 476.

45. — DE CONFIRMATIONIS FORMA

Iosephus, episcopus, tenet in forma Confirmationis substantialia tantum esse haec verba: *Confirmo te chrismate salutis.* Hinc in administratione huius sacramenti, nullum habet scrupulum, si ex inadvertentia verba alia omittat. Priora enim characterem significant, quem forma significare non solet. Posterioribus vero non utitur Ecclesia Graeca. D'Annib. 280.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Iosephus non recte agit. Nam communis sententia tenet omnia Confirmationis verba esse necessaria. Quare reliqua omittens verba sacramentum periculo nullitatis exponit. Priora autem verba: *Signo te signo crucis,* non significant characterem, sed ipsam sacramentalem actionem seu *chrismationem,* ut in baptismo verbum *baptizo* ipsam sacramentalem actionem seu ablutionem significat. Posteriora autem verba non omnino desiderantur in forma Graecorum. Nam, ut in forma latinorum illa verba indicant causam conferentem plenitudinem roboris spiritualis, quae est sancta Trinitas, et quae exprimitur cum dicitur: *In nomine Patris,* etc., ita in forma graecorum per ea verba *doni Spiritus Sancti,* significatur gratia roborans ad fortiter confitendam fidem, huiusque causa Spiritus Sanctus. Theol. Wirceburg. 178.-188., I. M. 481.-483.

46. — DE CONFIRMATIONIS MINISTRO

Andreas graecus, a graeco presbytero in Graecia confirmatus, cum in Italia nunc commoretur, anceps est de validitate suae confirmationis, et quaerit, an possit iterum ab episcopo latino confirmari.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Andreas iterum a latino episcopo confirmari non potest. Nam valide fuit a presbytero graeco confirmatus. Minister quidem ordinarius confirmationis solus episcopus est; et, ex legitima delegatione, quivis

presbyter. Trid. S. 7. c. 3., Bened. XIV. C. *Eo quamvis* § 8. Delegatio haec S. Sedi est reservata. Utrum vero reservata sit S. Sedi iure tantum ecclesiastico an divino, non aeque certum est. Ut videre est in Collectanea S. C. de P. F. n. 669. seqq. Vicariis Apostolicis facultas conceditur delegandi simplices presbyteros ad confirmationis sacramentum administrandum. A remotissima autem antiquitate presbyteri graeci seu orientales eos, quos baptizant, in ipso baptismo confirmant. Indubium est licitas et validas esse confirmationes huiusmodi, ubi S. Sedes eas postmodum non improbavit, ut apud Bulgaros, Italo-graecos etc. Bened. XIV. C. *Anno vertente* 18. Iun. 1759. Ratae autem sunt, licet a schismaticis factae sint. Etenim eis quasi toleratis, post schisma Photianum iurisdictio hac in re adempta non fuit. Cf. Collectan. S. C. de P. F. n. 674. seqq. Indubium pariter est graecos valide etiam extra baptismum confirmare. Quare ut valida omnino Andreae confirmatio habenda est. — D'Annib. 282., Theol. Virceburg. 195. seqq., Bened. XIV. de Syn. l. 7. C. 7.

47. — DE CONFIRMANDI OBLIGATIONE

Ioannes missionarius, tradens exercitia spiritualia in aliqua sua Christianitate, magno christianorum concursu undique accurrentium, advocatur ad puellulam morti proximam confirmandam in loco satis distanti, ita ut magno missionis detrimento eam interrumpere debeat.

Quaer. *An teneatur Ioannes moribundam confirmare, ut in Casu?*

R. Negative. Nam missionarius, minister extraordinarius confirmationis ex pontificia delegatione, non potest teneri magis quam episcopus minister ordinarius. Porro episcopi excusantur a moribundis confirmandis, ubi sit incommoditas. Cf. S. Alph. l. 6. n. 175., La Croix l. 6. P. 1. n. 388. 390.

48. — DE CONFIRMATIONIS CAEREMONIIS

1°. Ernestus, missionarius, sacramentum confirmationis administrans ex delegatione S. Sedis, adhibere solet rochettum, mitram, baculum pastorale, annulum, crucem pectoralem.

Quaer. *An recte?*

R. Ernestus recte non agit, si charactere episcopali non sit insignitus, vel si ipsi saltem usus pontificalium ex vero legitimoque privilegio non competat. Confirmationem administrare debet in Ecclesia vestibus sacerdotalibus, vel saltem alba et stola indutus. Si vero extra Ecclesiam vel Oratorium in privatis domibus minus solemniter confirmationem administret, non omittat uti saltem stola, si superpelliceum habere non possit. S. C. de P. F. 23. Apr. 1774., 4. Maii 1774. Collectan. S. C. de P. F. n. 665. 666.

2°. « Triplex signum crucis, quod ab episcopo confirmante fit super confirmatum, dum profert verba *in nomine Patris,* fieri ne debet pollice super frontem confirmati, aut manu simpliciter sine frontis contactu super personam confirmati?

R. Iuxta Pontificale, dum frontem chrismate inungit dicere debet: *Signo te signo crucis,* signum super frontem ipsam pollice producens, quo facto manu extensa versus confirmatum, incipit: *In nomine Patris,* etc. ter signum crucis efformans more solito ». S. R. C. 7 Mart. 1859.

3°. « In administratione sacramenti confirmationis nihil obstat, quominus abstersionem sacri chrismatis committas acolytis in defectu sacerdotis, aut alterius in sacris ordinibus constituti, quum nullum generale decretum id prohibeat, praesertim urgente necessitate ». Ex Litt. S. C. de P. F. 20. Maii 1786. ad Vic. Ap. Tunk. Orient.

49. — DE CONFIRMATIONIS PATRINO

Petrus missionarius, advocatus ad adolescentem quemdam confirmandum in aliqua Christianitate, videns nullum ibi esse virum, qui patrini munere fungatur, virgini catechistae mandat, ut matrinae munus adimpleat.

Quaer. *An recte?*

R. In administratione confirmationis *patrinus* requiritur, qui debet esse unus, confirmatus, et eiusdem sexus. Licite vero conferri potest confirmatio sine patrino, si is non habeatur. Quare *melius* fecisset Petrus, si nullo adhibito patrino confirmationem administrasset. Cf. S. Alph. l. 6. n. 185. 187., Enchir. Moral. N. 267., I. M. 494. Verum nonne potuisset ipse Petrus gerere munus patrini? S. C. de P. F. 21. Sept. 1843. dubium propositum est: « Se sia lecito ai sacerdoti, che amministrano il sacramento della Cresima, fare insieme da padrini »; et respondit: « Non esse tolerandum ».

50. — DE SUBIECTO CONFIRMATIONIS

1°. Anastasius, missionarius, gaudens facultate confirmationem administrandi, eam in loco missionis, in quo ipse versatur, infantibus omnibus administrat immediate post baptismum.

Quaer. *An recte?*

R. Anastasius, per se loquendo recte non agit. Id clare evincitur ex C. Bened. XIV. *Eo quamvis* 4. Maii 1745.: « Licet apud occidentales Ecclesias in more posita quandoque fuerit baptismatis et confirmationis simultanea collatio, et haec consuetudo in aliquibus dioecesibus anteacto tempore inoleverit.... nihilominus abrogato prorsus a Romana

Ecclesia aliarum matre et magistra huiusmodi more, consultissimis Summorum Pontificum decretis provide cautum est, ut renatis fonte baptismatis conferretur sacramentum confirmationis in ea solum aetate, in qua fideles, evacuatis quae erant parvuli, intelligerent tantum inter se differre baptismum et confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento; seque per baptismum fuisse quidem ad militiam receptos, per confirmationem vero ad pugnam roboratos et ad perferendos agones per gratiam instructos ». Longe autem minor aetas pro admittendis ad sacramentum confirmationis requiritur quam pro admittendis ad primam communionem, ceu tradit Catech. Rom. 18., et docet Bened. XIV. de Syn. l. 7. C. 10. n. 2. 3. S. C. C. 19. Nov. 1854. I. M. 489.

Aliquando tamen etiam minoribus septennio confirmatio potest ob iustam causam conferri, prout tradit S. Carolus Conc. Mediol. 5. tit. *Quae ad Confirm. Sacr. pertinent:* « Si episcopus ob aliquam causam iustam atque adeo necessariam parvulo et infanti, qui non modo aetatem septem annorum expleat, sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit, ne sit vetitum ». Cf. Cas. Bon. Dioec. anno 1786. Mense Oct. Cas. 3.

2°. Elodia matrona christianorum officiorum sat incuriosa, ad provectam aetatem pervenit, quin sacramentum confirmationis receperit, licet saepius opportunitatem illud recipiendi habuerit. Illam pluries quidem induxit confessarius, ut, data nova opportunitate, tanto sacramento se muniret; veritus est tamen eam sub gravi obligatione urgere, ne, praetermissa lege, gravius inde peccaret. Itaque factum est, ut mulier paulo post absque confirmationis auxilio, aliis tamen sacramentis munita decederet.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Confirmationis sacramentum necessarium iuxta omnes non est necessitate medii. An autem sit necessarium necessitate praecepti, controvertitur. « Quaestionis est, ait D'Annib. 283., an hoc sacramentum sit necessarium necessitate praecepti; quidam negant, alii affirmant, et grave esse putant: ergo lex dubia est ». Cf. I. M. 490. « Stante autem theologorum controversia, Elodia non fuit sub gravi urgenda ad sacramentum confirmationis recipiendum, sed tantum ad hoc adhortanda. Recte igitur egit confessarius ab obligatione gravi declaranda abstinendo. Imo etiamsi de obligatione divina constaret, adhuc prudenter egisset confessarius, cum locus timendi fuerit, ne mulier obligationi declaratae non satisfaceret, et maius animae detrimentum caperet. Etenim non sunt statim aperiendae semper omnes obligationes; quibus fideles adstringuntur; sed prudenter plures quandoque dissimulandae sunt a confessario, cum praevidetur poenitentem muneri suo satisfacturum non esse ». G. 246.

DE EUCHARISTIA

51. — DE MATERIA EUCHARISTIAE

Donatus, neo-sacerdos, suam celebrans primam missam, eucharistiam confecit, ex pane quidem tritico igne puro cocto, sed subacto aqua rosacea; et ex vino ex uvis acerbis, seu non maturis, expresso, cui tamen saccharum immixtum erat, ita ut saporem omnino haberet vini dulcis.

Quaer. *An valide Donatus consecraverit?*

R. Ad panem quod attinet, aqua rosacea subactum, materia dubia est, adeoque dubie species haec est consecrata. In Rubr. *de Defect.* § 3. n. 2. dicitur: « Si sit confectus (panis) de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est, an conficiatur ». Ad vinum vero quod spectat, ex uvis acerbis seu non maturis expressum, ex Rubr. *de Defect.* § 4. n. 1., materia est omnino invalida, adeoque confectum non est sacramentum. Saccharum autem immixtum simulare quidem potuit gustum vini sed verum vinum conficere non potuit.

52. — DE PANE AZYMO ET FERMENTATO

Paulus, missionarius inter Orientales, petit an communionem dare possit Orientalibus, in propria Ecclesia latini ritus, et an communionem eis in azymo dare possit.

Petrus, missionarius item inter Orientales, petit, an latini communionem recipere possint in Ecclesiis Orientalium, et an communionem in fermentato recipere possint.

Quaer. *Quid utrique missionario respondendum?*

R. Litt. S. C. de P. F. 30. Apr. 1862. ad Deleg. Ap. Aegypti, haec quoad propositas quaestiones habentur: «-Il 2°. dubbio riguarda la percezione dei sacramenti, che fanno gli orientali nelle Chiese latine, cioè della penitenza e dell'eucaristia.... Rapporto al sacramento dell'eucaristia conviene distinguere gli orientali che fanno uso, secondo il proprio rito, dell'azimo, da quelli che fanno uso del fermentato. Pei primi non vi è alcun divieto, nè possono i Vescovi orientali inibire ai proprii sudditi di ricevere l'eucaristia dai missionarii latini nelle loro chiese, ben inteso nei casi in cui non entra il diritto parrocchiale. Per gli altri poi, cioè per quelli che nella materia eucaristica, fanno uso del fermentato, è a notarsi primamente che possono essi anche nelle chiese

latine ricevere la s. communione, purchè la ricevano secondo il proprio rito, e dai sacerdoti nazionali, come insegna Benedetto XIV. nell'Enc. *Allatae sunt* ai num. 33. 35. 36. Anzi alle volte è questa una necessità per quei luoghi, ove gli orientali non hanno le chiese del proprio rito. Altra cosa però è, se gli utenti del fermentato volessero dai latini ricevere la communione in azimo. Due regole sonosi stabilite per gli utenti del fermentato: la 1ª. è che non possono ad arbitrio communicarsi in azimo, quando abbiano la opportunità di farlo nel proprio rito; la 2ª. è che quando si verifichi la difficoltà di communicarsi in fermentato lo possono fare anche in azimo non solo in articolo di morte e per adempire il precetto pasquale, ma anche in altri casi, come si stabilisce nella istruzione pastorale di Benedetto XIV. *Eo quamvis tempore* § *Neque etiam.*

Nel 3°. dubbio si tratta dei latini, ossia degli utenti dell'azimo. Questi possono communicarsi nelle chiese orientali nel proprio rito dai sacerdoti utenti dell'azimo, ma non possono senza dispensa pontificia communicarsi in fermentato, ancorchè si verifichi la difficoltà di communicarsi in azimo. La massima si trova stabilita nella Costitut. *Etsi pastoralis* di Bened. XIV. n. 12. del § VI., ove si dice assolutamente, *ne laici autem latini communionem a graecis presbyteris sub specie fermentati recipiant prohibemus omnino et interdicimus.* Coerentemente il S. O. e la S. C. di Propaganda hanno sempre proibito agli utenti dell'azimo il communicarsi nel fermentato, e solo nei casi, in cui si è verificata la deficienza totale di sacerdoti del proprio rito, e di quelli di altro rito, in cui si consacri in azimo, hanno per essi implorata la pontificia dispensa, la quale peraltro non è stata accordata se non pei due casi di vera necessità, cioè del Viatico, e del precetto pasquale ». — Collectan. S. C. de P. F. n. 735. I. M. 505.

Verum nuperrime Decreto eiusdem S. C. de P. F. 18. Aug. 1893., M. E. V. 8. P. 2. p. 79., « omnibus fidelibus cuiuscumque ritus, sive latini, sive orientalis, degentibus in locis, in quibus non sit ecclesia et sacerdos proprii ritus, facultas in posterum a S. Sede conceditur SS. Communionem, non modo in articulo mortis, et pro paschali praecepto adimplendo, sed etiam quovis tempore devotionis gratia, iuxta ritum ecclesiae existentis in praedictis locis, dummodo catholica sit recipiendi ».

Ex hisce Documentis clara patet solutio utrique missionario danda.

53. — DE EUCHARISTIAE FORMA

Sacerdos latinus panem consecrando omisit verba, quae consecrationem praecedunt, *qui pridie* etc. Sacerdos vero graecus consecrando panem verba omisit, *quod pro vobis tradetur.*

Quaer. *An utraque consecratio fuerit valida?*

R. Affirmative. Non desunt qui tenent, verba illa *qui pridie* etc., licet non sint pars formae, esse tamen necessario requisita ad valorem formae. Sed *haec sententia,* ut ait Lugo D. 11. n. 39., *ab omnibus reiicitur.* Ratio omnino convincens est, quia Patres et Concilia dicunt

sacramentum hoc confici verbis Christi, et non aliis. Illa autem verba *qui pridie* etc., non sunt verba Christi, sed Evangelistae. Cf. Conc. Flor. Decr. pro Armen.

Quamvis vero Graeci addant formae consecrationis panis verba illa, *quod pro vobis tradetur,* ea tamen ad essentiam formae non spectant. Etenim, ut ait Catech. Roman. n. 19., « a Sanctis Evangelistis Matthaeo et Luca, itemque ab Apostolo docemur illam esse formam, *hoc est corpus meum.* Scriptum est enim: *Coenantibus illis, accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et dixit: Accipite et manducate, Hoc est corpus meum.* Quae quidem consecrationis forma cum a Christo Domino servata sit, ea perpetuo Catholica Ecclesia usa est ». — Lugo D. 11. S. 3., D'Annib. 241. 387., I. M. 521. 524.

54. — DE EUCHARISTIAE CONSECRATIONE

Laelius aedituus Narcissum sacerdotem mox celebraturum monuit, ut vellet consecrare parvam hostiam, repositam iam super altari. Verum tempore oblationis cum parvam hostiam super altari non reperisset, oblationem de more fecit maioris hostiae, eamque consecravit. Sed ecce plicans deinde Corporale, reperit parvam hostiam, quae erat sub Corporali reposita.

Quaer. *An praedicta parva hostia fuerat consecrata?*

R. Videtur, quod parva illa hostia non fuerit consecrata. Ratio est, quia cum Narcissus eam quaesierit super altari, et non invenerit, videtur iam non habuisse intentionem consecrandi aliam hostiam, quam maiorem hostiam. Quare intentionem prius habitam implicite retractavit. Insuper verba illa, *hoc* et *hic,* materiam significant *certam, praesentem, prope positam.* Quare, ut invalida esset consecratio si materia *procul* esset posita, v. g., si extet ultra 50. passus; ita etiam esset invalida, si materia *coram posita* non esset, e. g. si reposita esset in pixide in tabernaculo reposita. Hinc neque valida est consecratio, si hostia sub corporali sit reposita. — I. M. 510.

« Requiritur ad consecrationem, ait Castropal. punct. 6. num. 5., ut materia consecranda sit tibi praesens, ita ut eam pronomine *hoc* vel *hic* demonstrare possis, et sensu percipere, alias morali et humano modo, tibi praesens non erit. Cui praesentiae non obest, quod in aliquo vase, aut linteo contineatur; nam ratione continentis contentum tibi praesens est. Secus esset, si retro parietem vel linteum panis, vel vinum essent apposita, quia tunc nullo sensu eam materiam demonstrare potes. Et idem est si panis sub mappa, vel in tabernaculo existat, quia non existit ibi tanquam in continenti, quod sensu percipi possit. Sic Suar., Vazq., Bonac., Aegid. de Coninch., Paul. Laymann. » La-Croix l. 6. P. 1. n. 443. 444., D'Annib. Summ. P. 3. n. 388.

55. — DE EUCHARISTIAE USU

Aloisius gravi decumbens morbo, peracta sacramentali confessione, viaticum recepit. Statim ac sacra hostia descenderat in stomachum, corripitur Aloisius repentino et inopinato vomitu, et sacram reiicit hostiam,

quae intacta apparet. Medicus consulitur, qui rem declarat omnino accidentalem, et posse Aloisium viaticum iterum recipere, sine ullo novo vomitus periculo. Quare Aloisius eiusque parentes parochum rogant, ut velit a prandio ministrare iterum SS. viaticum.

Quaer. *An parochus possit iterum sacrum viaticum ministrare in Casu?*

R. Negative. Etenim contra praxim Ecclesiae est sacrum viaticum bis in die, et stante eodem mortis periculo infirmo ministrare. Aloisius enim, non obstante vomitu, viaticum vere recepit. Etenim omnino verificatum est quod Christi Corpus manducaverit. Quare et sacramentalem gratiam percepit. I. M. 496. Usus enim huius sacramenti in manducatione Corporis Christi habetur, qua manducatione verificata fructus percipitur sacramenti, secundum claram Christi promissionem gratiae dandae: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* Manducatio autem in hoc sacramento accipi profecto debet, ut in aliis cibis, qui certe, humano modo, dicuntur manducati non quando sunt tantum in ore, aut in gutture, sed quando iam in stomachum descendunt, et iam irrevocabiliter deglutiti censentur. Cf. Lugo D. 12. S. 2.

56. — DE EUCHARISTIAE MINISTRO

« Diaconus, qui ex mandato sui vicarii defert sacrum viaticum infirmis potestne facere aspersiones aquae benedictae, dicere *Misereatur, Indulgentiam,* signare infirmum vel semetipsum, dicere *Dominus vobiscum* cum oratione, et benedicere cum SS. Sacramento infirmum, et assistentes?

R. Deficiente presbytero, et, vicarii apostolici concurrente licentia, affirmative in omnibus ». S. R. C. 14. Aug. 1858.

57. — DE SS. EUCHARISTIA ASSERVANDA

« Potestne episcopus iure proprio concedere facultatem asservandi SSmum Sacramentum: 1°. In ecclesiis seu capellis publicis, quae tamen titulo parochiali non gaudent, etsi utilitatibus paroeciae inserviant; 2°. In capellis piarum Communitatum publicis, i. e. quarum porta pateat in via publica, vel in area cum via publica communicante, et quae habitantibus omnibus aperiuntur; 3°. In capellis seu oratoriis interioribus piarum Communitatum, quando non habent capellam seu oratorium publicum in sensu exposito, ut evenit e. g. in seminariis.

R. Implorandum est indultum a S. Sede ». S. R. C. 8. Mart. 1879., I. M. 549.

58. — DE EUCHARISTIAE SUBIECTO

1°. Sebastianus parochus Eucharistiam denegat omnibus, quos ipse existimat esse rudioris ingenii.

Quaer. *An recte?*

R. Negative, « nisi prorsus huius mysterii sint incapaces ». Clemens IX. C. *In excelsa* 13. Sept. 1669. Capaces autem erunt ubi cibum spiritualem a corporali discernant. Idque locum habet etiamsi agatur de viatico ministrando, ut eruitur ex sequenti Decisione S. I. C.

« Utrum administrandum sit viaticum illis neophytis, qui, in articulo mortis a christianis baptizati ignari sunt. — R. Hisce neophytis non esse administrandum viaticum, nisi saltem discernant cibum spiritualem a corporali, cognoscendo et credendo in S. Hostia praesentiam Christi Domini ». S. O. 10. Apr. 1861.

2°. Robertinus, confessarius, communionem suis poenitentibus, raro omnino permittit extra tempus paschale; quia, ait, poenitentes raro omnino habent eam necessariam praeparationem seu devotionem, qua quis ad sacram communionem accedere debet. Frequentem vero communionem vix alicui permittit, cum vix aliquis sit, qui a peccatis non tantum mortalibus, sed etiam venialibus immunis sit.

Quaer. *Quid de ratione agendi Robertini?*

R. Robertini agendi ratio improbanda omnino est. Necessaria praeparatio, qua quis ad sacram communionem accedere potest illa quidem est, et non alia, de qua Apostolus inquit: *Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.*

Conc. Trid. S. 13. cap. 7. de hac necessaria animi praeparatione inquit: *Quare communicare volenti revocandum est eius praeceptum scilicet Apostoli:* probet autem seipsum homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione, ad sacram eucharistiam accedere debeat.* In cap. vero 8. proxime sequenti fideles hortatur, *ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipiant.* Ac demum S. 22. de Sacr. Missae cap. 6. sic loquitur: *Optaret quidem S. Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali eucharistiae etiam perceptione communicarent.*

Itaque, si ex his simul sumptis sententiis Tridentinorum Patrum mentem penitus perscrutemur, illud certe exploratum habebimus, illos quidem ab eucharistica mensa omnino removendos esse, qui peccati mortalis conscientia oppressi, tanto ac tam singulari Dei dono censentur indigni. Quare, si ex doloris indiciis atque ex novae vitae emendatione non dubitat confessarius, quin suis poenitentibus sacramentalis absolutio impertiri possit, nec ambigere debet, quin iidem iam satis dispositi sint ad Dominicum panem manducandum. Neque vero possunt tales poenitentes ita dispositi et praeparati a sacra communione indistincte et sine gravi causa repelli, si nempe beneficio sacramentalis absolutionis digni habiti sint. *Indistincte et sine gravi causa;* nam pro illis, qui gravia

admittere solent peccata, et cum inordinatas contraxerint habitudines, ac propriae salutis desides ad graviora deinde admittenda crimina facile dilabuntur, medicinalis severitatis salutare remedium poterit quandoque adhiberi.

Perspicuum praeterea est ex citt. Tridentini textibus frequentem eucharistiae usum Tridentinos Patres fidelibus suadere; optare imo, ut in singulis missis adstantes fideles de eucharistica mensa participes fiant. Atqui inutile prorsus esset ad frequentem communionem fideles hortari; quotidiana autem eorundem fidelium communio non modo optari, sed nec sperari quidem posset, si eucharistico pane ii soli reficerentur, qui ab omni levioris etiam culpae labe immunes essent. Quare indiscriminatim a frequenti communione arcendi non sunt illi omnes, qui a peccatis venialibus immunes adhuc non sunt.

Haec, si confessarii diligenter perpendant, videbunt profecto, laudandam non esse illorum consuetudinem, qui uti communionem poenitentibus suis permittant, pro dignitate sacramenti eucharistiae, singulares quasdam et vix sperabiles dispositiones exigunt, longeque maiores, quam quae sufficiunt ad absolutionem in sacramento poenitentiae consequendam. — Ac ad frequentem communionem concedendam quod attinet, excitanda certe maior fidelium devotio est; acrius ipsi incendendi sunt ad detestationem praeteritorum criminum; ac ad venialia peccata proclives ad horum etiam detestationem efficaciter sunt excitandi; tum quaedam veluti fames ac desiderium vehemens in cibum eucharisticum, excitandum, ut qua maiori possunt reverentia atque pietate illum suscipiant. Verum quemadmodum corporis vires ipso alimento sustentantur, ita animae languor atque infirmitas cibo hoc spirituali, quo pascimur, depellitur ac roboratur. Unde Augustinus in Serm. *de verb. Apost.* inquit: *Quotidie peccas, quotidie sume.* Et si quis diligenter attenderit omnium Patrum, qui hac de re scripserunt, sententiam eandem fuisse comperiet. Catech. Roman. n. 60., Instr. S. C. de P. F. 19. Apr. 1784., Collectan. S. C. de P. F. n. 719., I. M. 579.

59. — IEIUNIUM REQUISITUM

Leonardus, ex itinere redux cum aliis amicis, valde defatigatus hora noctis undecima cum dimidio mensae accumbit, ut breviter reficiatur. Sed inter confabulandum et edendum cum amicis quam citissime tempus effluit, ita ut attonitus advertat bibendo iam mediam noctem effluxisse. Attamen, cum sequenti die festo sacrum omittere non possit sine populi offensione, sine scrupulo missam celebrat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. « Leonardus, qui sacrum omittere non potest, nisi cum scandalo vel offensione populi probabiliter celebrare potest, quia praestat vitare maius malum, seu populi scandalum; minus enim malum est celebrare missam, quam cum scandalo offendi totum populum, et tali die privari missa. Ita graves theologi contra alios. V. La-Croix n. 582. ». Ita P. Gury 294. 299. 300., I. M. 595.

Attamen attendenda est sequens Decisio S. O. 2. Dec. 1874.: « Se per ragione di scandalo o di ammirazione, si possa giammai celebrare la seconda messa dopo la prima, quando già è stato infranto il digiuno? — R. Negative ». Collectan. S. C. de P. F. n. 793.

60. — DE VIATICO

Ferdinandus, missionarius, dubitat, utrum sacram communionem per modum viatici ministrare possit Francisco non ieiuno, de cuius morbo dubitatur, sit necne mortalis.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Ferdinandus viaticum ministrare potest; nam, stante illo dubio, quamvis Franciscus non sit *in articulo mortis,* est tamen *in periculo* mortis. Periculum enim mortis est, quando est *probabile dubium,* et frequenter solet in tali casu mors accidere. Si vero *dubium sit mere negativum,* quia nempe de morbi gravitate nec medicus interrogari potuit, nec infirmus ipse vel missionarius capax est ferre iudicium, tunc viaticum administrandum adhuc est, neque hac in re scrupulose procedendum est, cum in Conc. Constantiensi sess. 13. simpliciter infirmi excipiantur a lege ieiunii. S. Alph. l. 6. n. 285. dub. 3. in fine., I. M. 596. Enimvero saepe constare nequit, an morbus sit vere lethalis necne; et tunc Ecclesia, pia mater, recte praesumitur velle in tali dubio aegrotanti favere, praesertim cum experientia quotidiana constet multos aegrotos, praeter omnium expectationem, absque viatico decedere. Hoc imprimis valet quando aeger longe ab Ecclesia distat, vel quando, in locis missionum, missionarius ad infirmum amplius redire non possit, quia tunc exponitur maiori periculo moriendi, quin sacramentis reficiatur. G. 306., Lig. H. A. 46.

61. — PRO QUIBUSNAM MISSA OFFERENDA

« Se possa un missionario ricevere la limosina della messa ed applicarla secondo la mente o intenzione di un oblatore gentile, che abbia per iscopo di ottenere la guarigione da malattia, o la liberazione dal carcere e dalla pena capitale, che gli sovrasta?

R. Affirmative ». S. C. de P. F. 11. Mart. 1848., Cf. Enchirid. Moral. 192., I. M. 610.

62. — APPLICATIO ANTICIPATA MISSAE

In Communitate quadam religiosa solebat Pater Procurator initio cuiusvis mensis missarum intentiones distribuere inter patres in eadem Communitate commorantes. Harum missarum stipendia idem Procurator abunde recipiebat; ita ut nunquam ipsi deessent missae distribuendae. Cum initio alicuius mensis pater aliquis oblitus fuerit Patrem Procuratorem adire, et novas missas celebrandas ab eo petere, celebravit tamen ad eius intentionem. Hinc quaestio mota est, an pro ea missa potuerit Pater Procurator stipendium retinere ex iam acceptis, vel iterum missa celebranda.

R. Videtur posse Patrem Procuratorem pro illa missa stipendium retinere; neque alia celebranda videtur. Ratio est, quia illa missa dicta est pro certa et determinata intentione. Sciebat enim pater ille et Procuratorem missas apud se distribuendas habere, et eius voluntatem esse, ut dicerentur a patribus commorantibus in ea Communitate. Accedit auctoritas Franc. Sylvii Op. tom. 5. Orat. 11ª., quae est prima de missis anticipatis. Concl. 2. eundem fere casum resolvit, et ait: « Qui ad intentionem eius, qui missas habere solet aliis commendandas, celebrat anticipate, hoc est, prius quam vel sit ab eo requisitus, vel ipse eum commonefecerit, non male agit et potest ab eo stipendium absque scrupulo recipere ». Et citat pro hac eadem sententia Reginaldum, Roderiquez, Fagundez et Aragonium, qui de praecedenti asserto sic scribit: Itaque haec certa sunt, nec de eis aliquem dubitare posse arbitror, quo etiam modo loquitur Petrus Navarra; apud Sylv. l. c. — Idem affirmat Claud. La-Croix « Possum, inquit, missam applicare pro illo, quem scio de facto velle a me petere missam, quamvis necdum petierit. Excipe nisi scirem, velle petere pro aliquo effectu, ad quem necdum iuvaret sacrificium »; et citat Pasq. et Sylvium, l. 6. num. 220. Et infra respondens quaesito: « An satisfaciat, qui celebrat pro illo, quem Deus novit primo daturum stipendium », post allatos in utramque partem doctores inquit: « Dicendum est cum communi semper illicite, et saepe etiam invalide fieri talem applicationem ». *Illicite* quidem ob specialem prohibitionem factam a Clemente VIII., saepe *invalide*, quia saepe illo tempore necdum existit intentio petentis: imo nec saepe motivum vel causa petendi; et addit n. 222.: « Opposita omnia sunt in Sacellano, de quo Burgh. Admittunt tamen Vasq. Rayn. Avers. posse missam legi pro actualiter defuncto, pro quo postea primo petetur missa, oblato stipendio, quia sic utiliter offertur pro illa determinata persona iam indigente, et capace totius fructus ». — G. 337. 345. 346., I. M. 618.

63. — DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE STIPENDII

1°. Lambertinus stipendium a Florimundo acceperat pro centum missis celebrandis. Cum interim pinguia alia missarum stipendia Lambertino offerrentur ab aliis, ea omnia Lambertinus acceptavit, et statim missas celebravit. Hinc praedictas centum missas sex mensium spatio celebravit.

Quaer. *An Lambertinus debito temporis spatio praedictas centum missas celebraverit?*

R. Affirmandum videtur, si Florimundus nullam significaverit Lambertino rationem, unde urgenda citius esset praedicta celebratio, e. g., si pingue et extraordinarium tradidisset stipendium, si de persona recentissime defuncta ageretur, etc. Seclusa speciali urgentiae ratione, Lambertinus suae satisfecit obligationi. Etenim primo celebrando centum missas spatio sex mensium, acceptas missas celebrat fere continue, eas enim fere alternis celebrat diebus. Neque videtur, quod dans eleemosynam plus possit, in casu, exigere. Insuper, si pro unius missae obligatione spatium communiter assignatur duorum mensium, maius profecto spatium requiritur

quando de pluribus missis agatur. Quare, si de sexaginta missis celebrandis agatur, spatium saltem duplo maius concedi videtur, nisi aliud expresse oblator declaret. M. E. V. 1. p. 480., I. M. 624.

2°. Martianus, accepto stipendio ad celebrandum in altari privilegiato, in alio altari celebravit. Ut autem lucraretur indulgentiam plenariam pro defuncto, pro quo celebravit, post missam orationem recitavit, *En ego, o bone,* etc.

Quaer. *An teneatur Martianus aliud sacrum in altari privilegiato facere?*

R. « Negative probabilius. Ratio est, quia ille qui erogavit stipendium, nihil aliud repetere potest, quam privilegium altaris, seu indulgentiae plenariae, cum iam sacrum obtinuerit. Potest autem illa indulgentia defuncto tribui etiam extra sacrum, nempe si sacerdos devote aliquam indulgentiam plenariam huic defuncto applicare conetur, v. g., percurrendo *viam Crucis,* vel recitando post missam orationem, quae incipit: *En ego, o bone et dulcissime Iesu,* etc., et simul orando ad Pontificis intentionem, etc. » Ita P. Gury 344.

Verum, ut constat ex Responsis S. C. Ind., per se loquendo, non poterat Martianus ita satisfacere suae obligationi, in alio altari non privilegiato celebrando, et deinde lucrando indulgentiam plenariam praedicta oratione; sed in altari privilegiato celebrare debebat. Cf. Enchir. Mor. N. 376. I. M. 1380.

3°. In Ecclesia quadam arca publice erat exposita prope ianuam cum hac inscriptione: *Eleemosynae pro missis celebrandis in Altari Sacelli miraculosae imaginis B. Mariae Virginis.* Hinc quotidie colligebantur ex arca eleemosynae, et die sequenti una missa celebrabatur in eo Altari a Rectore Ecclesiae, qui eleemosynas illas sibi sumebat, sive plures sive pauciores essent, sed semper excedebant quotidie summam quinquaginta libellarum.

Quaer. *An recte ageret praedictus Rector?*

R. Negative. Ut enim constat ex sensu obvio illius inscriptionis, tot missae quotidie essent celebrandae quot celebrari possent, secundum taxam dioecesanam. Si vero tot missae celebrari non possent, e. g., ob sacerdotum penuriam, tunc monendi sunt oblatores. Confirmatur ex sequenti Casu resoluto a S. C. C.: In plurimis Americae Septemtrionalis Statibus consuetudo invaluit, ut pro unica missa, quae in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum cantatur, fideles pecuniam contribuerent. Summa autem pecuniae sic collectae tanta ordinarie erat, ut plurium centenarum missarum eleemosynas facile exaequaret. Quaesitum fuit, utrum praedicta consuetudo, quae aliquo saltem modo iam offerentibus innotescebat, fuerit absolute prohibenda. Porro S. C. C. 27. Ian. 1877. respondit: « Nihil innovetur: tantum apponatur tabella in Ecclesia, qua

fideles doceantur, quod illis ipsis eleemosynis una canitur missa in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum ». Tunc enim procul dubio fideles consentirent, ut unica pro tota illa pecunia cantetur missa, et ex mera liberalitate excessum largirentur. Acta S. Sed. V. 10. p. 125.

64. — DE RETENTIONE PARTIS STIPENDII

1°. « Missionarii, et Pastores catholici in Hollandia, aliisque regionibus haereticorum, et infidelium ditioni subiectis, cum osculo pedum Sanctitati Vestrae humiliter exponunt ad eorum notitiam devenisse Breve exemplare Sanctitatis Vestrae apud S. Mariam Maiorem editum die 30. mensis Iunii 1741. incipiens *Quanta cura adhibenda est,* in quo clericis et sacerdotibus quibuscumque recipientibus eleemosynas, seu stipendia pro Missis celebrandis districte prohibetur, ne, retenta sibi partem earumdem eleemosynarum, sive stipendiorum, aliis sacerdotibus committere possint celebrationem earumdem Missarum cum minori eleemosyna seu stipendio, adiuncta poena suspensionis, reservatae Sedi Apostolicae ipso facto incurrendae prout latius in eodem Brevi exemplari continetur. Quoniam vero, Pater Sancte, in illis regionibus sub haereticorum, vel infidelium iugo nulla adsunt Beneficia ecclesiastica, seu certi redditus ad vitae sustentationem, Pastoribus et missionariis catholicis a piis fidelibus dari solent pinguia Missarum stipendia et eleemosynae pro earumdem Missarum celebratione, ut ex ipsis stipendiis, et eleemosynis sustentationem recipiant in defectum, ut supra, Beneficiorum, sive certorum reddituum ecclesiasticorum. Quandoque vero eadem stipendia, et eleemosynae dantur ratione quidem particularis affectionis, vel gratitudinis erga illos missionarios, et Pastores, sed non sine respectu ad supradictam sustentationem; multoties etiam, praecipue in exequiis, anniversariis, et maioribus festis, supradicta stipendia, et eleemosynae Missarum dantur per modum unius honorarii, quod occasione Sacramentorum Poenitentiae, et Sacrae Communionis ex pia devotione fideles conferre solent. Quae cum ita sint, Pastores, et missionarii nullum habuerunt scrupulum retinendi sibi ipsis partem stipendiorum et eleemosynarum, et demandare aliis sacerdotibus indigentibus, qui sub nomine *Sacellani,* sive *Coadiutores* assistunt, et vicem eorumdem missionariorum, et Pastorum gerunt, quando sunt absentes, vel morbo impediti, aliisque in similibus necessitatibus; quod si missionarii, et Pastores tenerentur totam deinceps tradere eleemosynam receptam pro celebratione Missarum sacerdoti substituto qui Sacrificium offert, vel ipsi missionarii, et Pastores congrua sustentatione privarentur, vel si partem et portionem dicti stipendii, sive eleemosynae dare nequirent sacerdoti celebranti praecipue pro Sacellanis, et Coadiutoribus ut supra necessariis, huiusmodi subsidium deficeret in illis regionibus, in quibus redditus certi, ac Beneficia pro Ministrorum Ecclesiae sustentatione deficiunt.

His igitur, aliisque particularibus circumstantiis sedulo perspectis, licet devotissimi S. V. oratores pro certo habeant, quod in Brevi exemplari supra commemorato pro celebratione Missarum nullatenus comprehendantur, quominus tuto servare possint morem, et praxim usque adhuc observatam, nempe in dictis casibus retinendi sibi partem, sive

portionem stipendii accepti pro celebratione missarum, et cum minori eleemosyna aliis sacerdotibus missas celebrandas committere, nihilominus veluti obedientissimi Catholicae Ecclesiae filii, et metu suspensionis ipso facto incurrendae perculsi, demississime supplicant Sanctitati Vestrae pro opportuna declaratione.

R. SSmus D. N. Benedictus d. p. Papa XIV. vivae vocis oraculo benigne declaravit in prohibitione contenta in superius enunciato Brevi non comprehendi praedictos casus: et insuper mandavit hanc suae mentis declarationem praedictis Oratoribus, aliisque, quibus opus fuerit, per Officium S. Poenitentiariae esse significandum ». S. Poenit. 6. Apr. 1742. Collectan. S. C. de P. F. n. 869.

2°. Plures episcopi in Galliis Apostolicum obtinuerunt indultum, cuius vigore parochi facultatem habent, certis diebus, quibus aliunde missa pro populo dicenda foret, SS. Sacrificium ad intentionem stipendium dantis celebrandi, ea tamen lege, ut illud stipendium ad episcopos mittatur, et pro piis operibus dioecesanis a S. Sede determinatis impendatur. Porro, cum fideles pro hac missa eleemosynam stipendio ordinario pinguiorem saepe saepius offerant, parochi non pauci, misso ut par est, ad episcopos stipendio a Statutis dioecesanis taxato, quod superat servari sibi licitum esse vindicant, quia adest, inquiunt, pro hac parte eleemosynae retinendae titulus extrinsecus, nempe vel *labor extraordinarius*, si missa sit cum cantu, vel si aliquod iter sit faciendum, vel praesertim *liberalitas* intuitu solius personae *sponte et evidenter* impertita.

Quaer. *An parochi, misso ad episcopum stipendio a Statutis dioecesanis taxato, valeant sibi missarum eleemosynae excessum retinere?*

R. Negative, nisi morali certitudine constet, excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae, vel ob maiorem laborem, aut incommodum. S. C. C. 31. Ian. 1880. Acta S. Sed. V. 13. p. 261. Ratio est, quia, Apostolicum indultum, parochis concessum, celebrandi nempe iuxta intentionem stipendium dantis sanctum sacrificium missae, quae esset pro populo applicanda, non inconditionate et absolute a S. Pontifice datum fuit, sed ea conditione, ut acceptum stipendium ad episcopos mitteretur, et pro piis operibus dioecesanis a S. Sede determinatis impenderetur. Quare, quemadmodum celebranti missam acceptum stipendium ex integro est tradendum; ita praedictum stipendium piis illis operibus, in casu, ex integro est applicandum. Idque ex eo confirmatur, quod S. Pontifex eo Apostolico privilegio non respexit ad parochorum conditionem, sed unice piis illis operibus favere intendit. Iam vero licet acceptum stipendium quantumvis pingue ex integro tradendum sit sacerdoti missam celebranti; eius tamen pars retineri potest, si constet cum morali certitudine, communis stipendii excessum datum fuisse titulo ipsi celebrationi missae extrinseco, intuitu nempe *laboris extraordinarii*, quia agitur e. g. de missa cum cantu, vel *intuitu personae*, scilicet propter ipsius dignitatem, vel officium, vel propinquitatem, vel paupertatem, vel propter gratitudinem ei debitam. Etenim parochi in casu non debent mittere ad episcopos nisi missarum stipendium. Illum ergo excessum possunt sibi retinere. — I. M. 624. 625.

65. — DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE FUNDATIONIS

In pago Archidioeceseos C., anno 1862, Petrus agricola per testamentum statuit: *Reliqua bona mea lego Ecclesiae parochiali ad erigendam fundationem missae matutinalis pro diebus dominicis et festivis, cum obligatione in dicta missa dicendi tria* Pater noster *pro benefactoribus huius Ecclesiae.* Fundus iste pretio aequat 5,054. marcis. Uxor dicti testatoris Petri ad dies vitae habuit usumfructum. Ea mortua, quaestio orta est, utrum parochus, qui solus sacerdos erat in ea parochia, et qui binandi facultatem habebat, obligandus esset praedictam missam fundatam applicare ad mentem fundatoris necne.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Receptum in Iure est, in ultimis voluntatibus interpretandis, maxime prae oculis habendam esse Regulam 45^{am}. *de Reg. Iur.* in 6°.: *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius.* Porro, ut ait Bened. XIV. de Sacrif. Miss. C. 9. n. 2., verisimilius est, eum qui beneficium seu capellaniam fundaverit, et onus celebrandi missam imposuerit, de applicatione vero eiusdem pro anima sua ne verbum quidem adiecerit, voluisse eandem etiam sibi applicari. Et haec verisimilitudo talis est, ut hanc regulam interpretandi huiusmodi fundationes constantissime sequuta sit S. C. C., ut videre est apud eundem Benedictum XIV. l. c.

Neque vero ulla habetur, in Casu, contraria praesumptio. Nam onus illud impositum recitandi tria *Pater noster* pro fundatoribus Ecclesiae parochialis minime excludit applicationem missae pro anima testatoris, immo potius suadet. Etenim, si hoc aliud onus imponitur etiam pro aliis, signum est ipsam missae applicationem testatorem sibimetipsi soli reservasse. Neque magis praesumptio liberae applicationis missae desumi potest ex eo, quod ea fundatione testator voluerit consulere commoditati parochianorum. Nam haec circumstantia non exprimitur in praedicta clausula testamentaria, ac proinde asserenda non est in praeiudicium ipsius testatoris. Nec, si exprimeretur, aliquid valeret, nisi ulterius probaretur *ob solam commoditatem* parochianorum fundationem fuisse factam. Cf. Lugo D. 21. S. 1. n. 23. Unde S. C. C. nunquam declaravit liberam applicationem missae ob commoditatem audientium institutae, nisi quando tales aderant circumstantiae, ut merito praesumi posset fundatorem commodum illud exclusive respexisse. Cf. Bened. XIV. Quaest. Can. q. 7. Tandem, quod solus esset in ea paroecia parochus, qui ex Indulto facultatem habebat binandi, et qui consequenter non poterat per illam matutinalem missam fundatam imposito oneri satisfacere, hoc non probat quod missa non sit pro fundatore applicanda, secundum eius mentem in praedicta fundatione; sed hoc probat tantum quod missa pro eo alia die infra heddomadam sit applicanda, cum illa applicari non possit.

Et sic, Dubio proposito: *An parochus obstringendus sit ad applicandam hanc missam fundatam?* S. C. C. 20. Maii 1882. respondit: *Affirmative, deficiente autem alio sacerdote, applicatio missae fundatae transfertur ad primam diem non impeditam infra hebdomadam, facto verbo cum SSmo*». Cf. Acta S. Sed. V. 15. p. 200.

66. — DE REDUCTIONE MISSARUM

Pia testatrix sui testamenti executorem constituit concivem suum Titium, eique legavit quasdam aedes, cum obligatione faciendi quotidie celebrare missam, cum solutione determinatae eleemosynae, ac annuum legatum praestandi ancillae testatricis, quoad illa viveret. Onera implevit hactenus Titius. Verum in praesenti missae celebrationem suspendere vult propterea quod aedes legatas reficere debeat, ne secus cogatur cum suo damno propriam impendere pecuniam ad eas aedes restaurandas. Hoc, ait, contra mentem certe testatricis esset, quae non intendit ut legatum oneri et damno ei esset futurum.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Titius propria auctoritate missas celebrandas neque suspendere neque reducere potest ad minorem numerum. Supremae enim morientium voluntates constanter servandae sunt, praesertim si agatur de missarum suffragiis. Neque vero ratio Titii valet. Expensae enim nunc faciendae, et quae forte nunc excedunt reditus ipsarum aedium, facile compensantur cum proprietate ipsarum aedium perpetua quam habet, et cessatione vitalitiae praestationis erga ancillam. Itemque, restauratis nunc aedibus, reditus procul dubio in posterum augebuntur. Quare legatum vere est in ipsius utilitatem. Cf. Acta S. Sed. V. 2. p. 411. seq.

67. — DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE BENEFICII

Fulberius beneficiatus missam semel in hebdomada celebrare omittit; inquit enim obligationem quotidie celebrandi moraliter intelligi, adeoque posse eum saltem semel in hebdomada abstinere a celebratione missae. Missam vero alias omittit, sed eam celebrandam alteri committit, tradito illi non toto stipendio, quod ex beneficio ipse recipit, sed ordinaria tantum eleemosyna secundum consuetudinem loci.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Fulberius recte non agit in primo casu. Etenim graves doctores admittunt quidem beneficiatum posse semel in hebdomada a celebratione missae cessare ratione devotionis et reverentiae erga SS. Eucharistiae Sacrificium, si tamen non obsit fundatoris voluntas. Minime vero simpliciter admittunt posse semel in hebdomada abstinere a celebratione missae mere ad libitum, ex iure quodam sibi competente. In altero casu potest Fulberius missam celebrandam alteri committere, si expresse in fundatione sui beneficii constitutum non sit, ut per se celebret. In tali autem casu potest alteri dare tantum consuetam eleemosynam, et excessum sibi retinere. C. Innocent. XII. *Nuper* n. 21. Ad VIII., M. E. V. 5. P. 1. p. 121., Génnari, Consult. Mor. Can. Lit. P. 2. Cons. 2. 26., I. M. 194. 624. 625.

68. — MISSA PRO POPULO

1°. In Rubricis Breviarii legitur: *Si subsequenti die 24. Iun. occurrerit solemnitas SS. Corporis Christi,* agendum erit de praedicta solemnitate: *festum S. Ioannis Baptistae tunc reponatur in diem 25. tanquam in sedem propriam.*

Quaer. *An in casu dictae translationis parochi ad applicationem missae pro populo teneantur die 25. Iunii?*

R. Negative. Ratio est, quia obligatio applicandi missa pro populo non habetur nisi diebus festis. Atqui illa dies 25ª. Iunii nullo modo festa dies est, sed ferialis. Hinc, quemadmodum « quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem, una tantum missa pro populo est applicanda », Pius IX. C. *Amantissimi;* ita concurrente in eodem die festo festum S. Ioannis et SS. Corporis Christi una missa pro populo, illa die tantum, est applicanda. Atque ita decisum etiam fuit a S. C. C. 28. Apr. 1888. Acta S. Sed. V. 21. p. 152. Neque vero obest cit. rubrica. Etenim praedicta rubrica agit tantum de ritu, officio, et missa diei propria; minime afficit, saltem directe et per se, obligationes, quae dies festos comitantur, i. e. observantiam diei festi, et onus applicationis pro populo.

Praecedens resolutio confirmari potest ex sequenti simili resolutione: In civitate Trevirensi singulis annis in feria quarta tertiae hebdomadae post Pascha solemniter celebratur, et quidem de praecepto, commemoratio SS. Tunicae D. N. I. C., quae in eiusdem Cathedrali ecclesia, in magnam populi aedificationem asservatur. Hoc festum anno 1871. occurrit d. 3. Maii. Hinc festum Inventionis S. Crucis D. N. I. C. in diem 11. eiusdem mensis translatum est. Quapropter quaerebatur, an tenerentur parochi missam pro populo celebrare dicta d. 11. Maii. — Porro S. C. C. 24. Apr. 1875. respondit: *In casu, de quo agitur, parochum non teneri.* — Acta S. Sed. l. c.

2°. In pago quodam festum S. Antonii de Padua de praecepto celebratur, a tempore immemorabili. Huius loci parochus nunquam hactenus missam *pro populo* ea die applicavit. Dicit enim, illud esse particulare festum illius paroeciae, quod neque in universa Ecclesia, neque in tota dioecesi tanquam de praecepto celebratur: neque etiam a suis praedecessoribus missam pro populo ea die esse applicatam. Accedit, quod ipse non nisi exiguos habeat reditus, unde nimium gravandus ipse non est, hoc etiam extraordinario onere.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Praedictus parochus ad missam pro populo celebrandam tenetur. Etenim ex Bened. XIV. C. *Cum semper oblatas* § 6. ea obligatio urget dominicis aliisque festis diebus de praecepto, nulla facta distinctione inter dies festos pro tota Ecclesia, vel pro tota dioecesi, ac pro particulari tantum loco. Insuper cum, in casu, S. Antonius de Padua loci patronus

sit, illa festa dies, hac patroni ratione, recensetur in Catalogo festorum Urbani VIII. C. *Universa,* Enchir. Mor. N. 474. Quare nullum iterum est dubium, quod ea die parochus missam pro populo debeat applicare. Neque valet quod inveterata hactenus eo in loco adfuerit consuetudo, vel quod congruos reditus praedictus parochus non habeat. Etenim Bened. XIV. Const. cit. § 5. generatim inquit: « Decernimus et declaramus, quod licet parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis praefinitis reditibus destituantur, et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum dioecesibus, seu parochiis obtinuerit, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat (missa) applicari ». — I. M. 237. 238.

69. — TAXA PRO UTENSILIBUS

Ex liberalitate piae personae capellania legitime erecta est in Sacello B. V. Mariae, in quadam Hispaniae ecclesia, cum onere missae quotidianae, in altari eiusdem Sacelli hora 9ª. Post primum mensem erectionis huius capellaniae, ecclesiae illius rector a capellano statim petit, ut velit solvere taxam pro utensilibus, et taxam pro onere Ecclesiae imposito missae quotidianae et hora determinata.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Pro mera missae celebratione in praedicta ecclesia nihil solvendum est, siquidem pro ecclesia onus non est; sed ingens commodum. Itemque pro quotidiana celebratione missae hora quadam determinata, et in casu hora 9ª. neque aliquid solvendum est: nam etiam hoc magnum pro Ecclesia commodum est; habere nempe quotidie et hora fixa missam stabilem. Quod ostendit etiam ipsum factum erectionis capellaniae in praedicto Sacello. Si enim hoc grave fuisset, in casu, pro ecclesia; neque rector ecclesiae, neque episcopus acceptassent erectionem talis capellaniae, vel saltem adiecta conditione quotidianae celebrationis missae tali hora. Quoad vero utensilia aliquid utique ecclesiae rector exigere potest. Etenim, quamvis ubi agatur *de missis manualibus* nihil exigi possit pro utensilibus, *nisi ecclesia sit pauper,* ac sufficientibus mediis careat ad necessaria pro missae sacrificio providenda; aliud tamen est quoad missas fundatas. Unde in Camerin. 17. Dec. 1740. apud S. C. C. legitur: « Receptum utique communi videtur calculo, quod omnes et singuli beneficiati, aliique capellanias, sub perpetuo missarum onere obtinentes, ac ipsi quoque canonici tenentur pro utensilibus sacrario ecclesiae contribuere iuxta cuiusque ecclesiae praxim ». Acta S. Sed. V. 21. p. 302., M. E. V. 5. P. 2. p. 148., Bened. XIV. Instit. 56. n. 13., Enchir. Mor. N. 376.

70. — DE MISSA CORAM SS. SACRAMENTO

Onuphrius, parochus, sine ullo scrupulo missam celebrat, data occasione, in altari, in quo expositum est SS. Sacramentum, in eoque communionem populo distribuit. Ait enim nullam hac in re adesse posse difficultatem, cum omnino conveniens sit, ut SS. Sacrificium offeratur in eo altari, in quo SS. Eucharistia exposita est.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Onuphrius recte non agit. Pluribus enim S. R. C. Decretis prohibetur, missam celebrari in altari, in quo expositum est SS. Sacramentum sine necessitate, aut sine gravi causa; vel sine immemorabili consuetudine, aut speciali indulto. Gardell. n. 1030. 2508. 4677. 5728. Iisdem Decretis prohibetur etiam sacram communionem in praedicto altari distribuere, Gardell. 4677., 5728. Ad rationem autem Onuphrii quod attinet, contrarium habetur in Caeremon. Episcopor. l. 1. C. 12. n. 9.: « Non congruum, sed maxime decens esset, ut in altari, ubi SS. Sacramentum situm est, missae non celebrarentur, quod antiquitus observatum fuisse videtur ». Populus enim adorationi intentus, aliis precibus et actionibus, licet sacris, ab illo distrahi non debet, cui unice et principaliter est intentus. Urgens autem adest necessitas missam celebrandi in huiusmodi altari, si alia desint altaria in eadem ecclesia, vel in vicinis ecclesiis, praesertim ubi praeceptum urgeat audiendi sacrum. Ut vero possit populo sacra distribui communio, in alio altari sacra eucharistia asservari debet. Gardell. n. 4677. nota.

Sequentia autem circa missam coram SS. Sacramento notanda sunt: Celebrans in altari ubi expositum est SS. Sacramentum, quotiescumque sit in medio altari prius illud osculari debet, et postea genuflectere; quando vero venit ab aliquo altaris latere, prius genuflectit, et postea osculatur altare Gardell.

In missis solemnibus, quae in altari expositionis celebrantur semper fit commemoratio de SS. Sacramento; in missis privatis sive legantur in altari expositionis, sive in alio intra eandem Ecclesiam, fit praedicta commemoratio ad libitum sacerdotis, exceptis fest. 1. et 2. class. in quibus nequit fieri. 12. Dec. 1654. ad 4. In repositione SS. Sacramenti oratio *Deus, qui nobis...:* concludi debet, *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.* 29. Mart. 1851. ad 6.

Omnia altaria cuiuslibet Ecclesiae sunt privilegiata tempore Orationis 40. Horarum. S. R. C. 28 Iun. 1841.

In expositione SS. Sacramenti, sive Oratione 40. Horarum sive alia quavis de causa, amovendae omnino sunt tres tabellae ab altari expositionis. 20. Dec. 1864. ad 3.

71. — DE MISSIS DE REQUIE

1°. In quibusdam Italiae civitatibus haec viget consuetudo, ut quoties ex nobilibus viris quis decedat, aula quaedam domi seligitur, quae statim in Oratorium convertitur. Quandoque autem unum, quandoque plura eriguntur altaria; multisque ex populo convenientibus, plures dicuntur missae, praesente cadavere, ut potioribus anima defuncti suffragiis adiuvetur. Id saepe fit apud personas nullo Oratorii privati privilegio gaudentes; facultas vero missas ita celebrandi ab Episcopo datur.

Quaer. *An licite?*

R. Negative, per se loquendo. Etenim primo, cum aula quaedam domus eligatur, et in Oratorium transeunter convertatur, ut, ea expleta functione, mox in pristinum usum convertatur, non agitur de erectione

privati Oratorii, sed de erectione *altaris portatilis.* Ac Cardinales, Episcopi, et missionarii quidam tantum hoc habent privilegium, quod non nisi ab Apostolica Sede conceditur. Insuper licet episcopi facultatem facere possint celebrandi in Oratoriis privatis, si magnae et urgentes adsint rationes, et per modum actus tantum; in casu tamen neque agitur de Oratorio privato, neque magnae et urgentes adsunt rationes. Tandem diebus ritus duplicis, praesente etiam cadavere, plures missae de Requiem dici non possunt, sed una tantum. — Enchir. Mor. N. 386. 406., I. M. 639.

Dicitur *per se loquendo,* praescindendo nempe a legitima et probata consuetudine, ac a speciali Indulto. Nuperrime S. R. C. 23. Apr. 1894. statuit: « ut dum corpus episcopi dioecesani defuncti sacris indutum vestibus, in propriae Aedis aula maiori, publice et solemniter iacet expositum, missae in suffragium animae eius per totum mane celebrari valeant, iis omnibus servatis, quae de episcopi defuncti corpore exponendo ac suffragiis ferendis in Caeremoniali Episcoporum l. 2. C. 38. praescribuntur. Quod privilegium episcopis in sua dioecesi concessum ad vicarios apostolicos in suis vicariatibus, nec non ad abbates ceterosque praelatos *nullius dioeceseos* iurisdictione in plebem ordinaria quum vita cesserunt fruentes, in proprio tamen territorio, pari intelligatur ratione extensum. De speciali tandem gratia S. R. C. indulget, ut eodem quoque privilegio frui valeant episcopi titulares defuncti; dummodo eorum cadavera in aula convenienti exponantur, et ornamentis pontificalibus (absque tamen baculo pastorali), si extra Urbem, fuerint induta; si vero in Urbe, habitu tantum praelatitio ». M. E. V. 8. P. 2. p. 76.

2°. Onuphrius parochus, cum ritus esset semiduplex, celebrata missa de Requie pro anima parochiani sui Urbani, praecedenti die defuncti, tumuli absolutionem ad alium diem remisit, quo cadaver erat in Ecclesiam deferendum.

Quaer. *An recte?*

R. Affirmative. Etenim absolutio facienda est post missam de Requie, aut absque missa cum cadaver ad ecclesiam defertur, et eo praesente. S. C. de P. F. 21. Mart. 1851. Collectan. S. C. de P. F. n. 913. Id etiam constat ex Rit. Rom. tit. *De Exequiis.* In fine enim dicitur: « Missa, si hora fuerit congruens, ritu pro defunctis ut in die obitus, praesente corpore non omittatur, nisi obstet magna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat ».

72. — DE INVALIDA VINI CONSECRATIONE

Paschalis, sacerdos, in sumptione Calicis, advertit aquam loco vini positam fuisse. Habens iam in ore praedictam aquam valde anceps haeret per aliquod temporis spatium, utrum eam debeat ex ore in Calicem reiicere, ut ieiunus, iterum facta consecratione, communicet, vel eam potius debeat deglutire. Hoc ultimum tandem facit, non sine tamen aliquo timore.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Paschalis recte egit. Etenim, casu hoc occurrente, cum difficillimum moraliter sit in praxi aquam non deglutire, potest quis sine scrupulo id facere. Insuper irreverentia et indecentia quaedam esse videtur, praedictum potum ex ore in Calicem reiicere. Ex Rubrica Missalis etiam potest confirmari, quae in casu, quo particula hostiae consecratae adhaereat Calici, dum sumitur Sanguis, praescribit eandem vel digito ad labium Calicis adducendam esse, vel immisso vino in Calicem esse sumendam, de Defect. tit. 10. n. 8., qui posterior modus magis approbatur, uti observat Merati in Notis ad Gavantum. Cas. Bonon. Dioeces. anno 1791. mense Martio Cas. 3., Gavantus Tom. 1. part. 3. tit. 4. n. 5., Merati ib. tit. 10. n. 8., G. 361., Elbel 148.

Ex Rubrica autem Missalis *de Defect.* tit. 4. praescribitur, ut nova etiam hostia, in casu, consecretur, si, secluso scandalo, fieri possit; secus vero ut solum vinum consecretur. Omnia tamen iterum repetenda non sunt; sed satis erit ea tantum repetere, quae ad ipsam consecrationem pertinent, incipiendo pro priori consecratione a verbis, *Qui pridie quam pateretur;* et pro altera a verbis, *Simili modo.* Verum ante primam consecrationem oblatio mentaliter fieri debet Hostiae et Calicis. Rubr. Missal. *de Defect.* tit. 2. n. 5., tit. 4., n. 4. 5., Cas. Bonon. Dioeces. anno 1792. mense Apr. Cas. 3., G. 360. 361., I. M. 329. seqq.

Verum, si particula consecrata hostiae remanserit in calice cum parte aquae, tunc ante novam consecrationem effundenda est aqua in vasculum mundum, retenta particula hostiae consecratae in calice, aut inde extracta et mox reverenter sumpta; aqua vero in eo vasculo effusa sumenda post ablutionem, vel in piscinam mittenda. Quod si parum aquae dumtaxat in calice remanserit, sive cum sive sine particula hostiae consecratae, huic superinfundi potest vinum quod deinde consecretur. Elbel 148.

73. — DE OMISSA CONSECRATIONE HOSTIAE

Marinus sacerdos post Calicis consecrationem advertit, se ex distractione Hostiae consecrationem omisisse. Hinc anceps haeret, nesciens quid faciat; timet enim Hostiam post vinum consecrare. Ita enim ratio sacrificii ipsi non amplius verificari videtur.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Non est dubium, quod illud, quod facere debet Marinus in casu, est hostiam consecrare. Id clare habetur in Rubr. Missal. de Defect. tit. 3. n. 4. 5. 6. ubi sermo est de defectu panis, et distinguitur quadruplex casus: quod quis advertat defectum materiae panis ante eius consecrationem; post eius consecrationem; post eius sumptionem; post sumptionem calicis. In primo casu apposita hostia et facta mentali oblatione, prosequatur sacerdos ab eo loco ubi desivit, et deinde hostia est consecranda. In secundo et tertio casu, posita item alia materia, et facta mentali oblatione consecranda etiam ea materia est, incipiendo ab illis

verbis, *Qui pridie quam pateretur,* etc.; et aliam hostiam corruptam vel non triticeam, si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis; vel aliis sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. In quarto casu apponi debet rursus novus panis et vinum cum aqua, et facta prius mentali oblatione utraque materia consecranda est, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie,* et statim utrumque sumendum, et missa continuanda. Hinc patet, quod etiam post consecrationem calicis et ante eius sumptionem hostia sit consecranda, non obstante illa ordinis inversione, quod prius sit consecratum vinum, et deinde consecretur hostia. Quod etiam constat ex eadem Rubrica ib. num. sequenti, nempe 7. ubi dicitur: « Si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, aut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, nequeat reperiri *tunc altera consecretur* ab eo loco incipiendo, *Qui pridie quam pateretur,* facta eius prius oblatione, ut supra ». Atque hinc patet ordinem consecrandi prius panem et deinde vinum non pertinere ad substantiam sacrificii. Unde etiam ex defectu immutationis ordinis in consecrando sufficiens fundamentum sumi non potest ad dubitandum de validitate sacrificii. Suarez D. 75. S. 6., D. 86. S. 1., Casus Bonon. Dioeces. anno 1792. mense Febr. Cas. 3.

74. — DE CONSECRATIONE PARVARUM HOSTIARUM

Euphrasius semper ac parvas hostias consecrare debet eas quidem in Corporali reponit, minime vero curat, ut sint etiam super petra sacra. Ait enim sufficit, ut super petra sacra sint maior hostia et calix.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Euphrasius recte non agit. Etenim primo, in Rubr. tit. 20. dicitur: « Altare in quo sacrosanctum missae sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum et ab episcopo consecratum, vel saltem ara lapidea similiter ab episcopo consecrata in eo inserta, quae tam ampla sit, ut hostiam et maiorem partem calicis capiat ». Ut ergo maior hostia debet esse super petra sacra, ita etiam super eadem debent collocari aliae parvae hostiae, quae unius eiusdemque sacrificii quod celebratur partem constituunt. Verum, ut sufficit, si petra sacra parva sit, ut maior calicis pars sit super ea, ita etiam sufficit quod maior pars praedictarum hostiarum quae per modum unius materiae accipiuntur sint super eadem petra sacra, si adeo sit parva, ut omnes capere non possit. — Insuper in Rubr. tit. 2. dicitur: « Si sacerdos est consecraturus plures hostias pro communione facienda, quae ob quantitatem super patena manere non possint, locat ea super corporale ante calicem, aut in aliquo calice consecrato vel vase mundo benedicto ponit eas retro post calicem, et alia patena seu palla cooperit ». Hinc intelligitur sufficienter, etiam parvas hostias supra petra sacra esse collocandas, cum prope calicem sint collocandae, et si in petra sacra spatium est pro calice et pro hostia maiore, spatium consequenter erit etiam pro parvis hostiis, nisi illa petra sit valde exigua, et hostiae plurimae sint. Hinc Merati in l. c. ait: « Quando consecrandae sunt plures particulae pro communione laicorum fidelium et aliorum non celebrantium, quae ob quantitatem super pate-

nam manere non possunt (quando enim particulae paucae sunt, uti quinque vel sex, debent poni supra patenam, et subtus hostiam ad offerendas illas una cum hostia simul et post oblationem ponantur super corporale separatae ab hostia; ita tamen, ut remaneant *supra petram sacram,* et ex parte sinistra celebrantis, iuxta communem usum; sed ante calicem iuxta rubricam superiorem), sacerdos, dum aptat calicem initio missae, eas locat super corporale; ita ut mox diximus *remaneant super petram sacram* et ante calicem, iuxta superiorem rubricam, et ut docent etiam Quarti, Bissus, Hyppolitus a Portu, aut iuxta usum magis communem a parte Evangelii seu a sinistra celebrantis, docent Caeremoniale Missae privatae cap. 11. *de consecrat. particular. et commun. fidelium* § 1., nec non Gervasi supra § *Se poi* ».

Atque hic quoad Communionem populo extra missam distribuendam sequentia notanda sunt:

In administratione SS. Communionis extra missam, postquam SS. Sacramentum in tabernaculo reconditum est, sacerdos debet populo benedicere antequam plicet corporale, vel aliquid simile faciat. Infertur ex verbo *deinde* in rubrica posito.

In benedictione post communionem extra missam sacerdos non osculatur altare. S. R. C. 16. Mart. 1833.

Toto tempore Paschali post administrationem SS. Eucharistiae extra missam ad antiphonam *O sacrum.....* et ℣. *Panem de coelo....* additur, *Allel.* et dicitur Orat. *Spiritum nobis, Domine, tuae charitatis infunde: ut quos Sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Chr. Dom. N.* — *Amen.* Rit. Rom.

75. — MISSA SINE MINISTRO

Die dominica celebraturus missam capellanus in quodam publico Oratorio, in quod ad eam audiendam multi convenerunt, neminem reperit, qui sciat missae inservire, nec facile tunc est aliquem invenire ad hoc idoneum; nam Oratorium distat a Parochia, et prope est meridies.

Quaer. *Quid agere debet Capellanus?*

R. Debet capellanus in huiusmodi casu adhibere aliquem virum, qui sibi in ministerio missae porrigat vinum et aquam. Quod autem attinet ad preces, quae vel alternatim a sacerdote et a ministro, vel ab hoc solo recitari debent, poterit illas solus celebrans per se recitare, sibique respondere. Nam in casu necessitatis, cuiusmodi est casus propositus, id licere consentiunt communiter doctores. Et certe, si Rubrica Missalis in Ritu servando in celebratione missae, tit. 4., de *Kyrie eleison* expresse admonet n. 2. in fine: *Si minister, vel qui intersunt celebranti non respondeant, ipse solus novies dicat;* et tit. 7. n. 7. item monet, quod si a ministro vel circumstantibus ad *Orate fratres,* non respondeatur, *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis,* ipse sacerdos per se ipsum dicat: *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus meis,* etc. usque ad finem; quidni possit celebrans etiam reliqua dicenda in missa cum ministro, vel ab hoc dumtaxat, ipse solus dicere, si minister nesciat respondere? Nam vetitum quidem est sine ministro prorsus missam cele-

brare, ut habetur in Rubrica de Defectibus tit. 10. n. 1., ubi dicitur: *Si non adsit clericus, vel alius deserviens in missa, vel adsit, qui deservire non debet, ut mulier:* at non est vetitum in casu necessitatis ministrum adhibere, qui respondere nesciat, dummodo tamen possit vinum et aquam in ipso ministerio suppeditare praesertim ad abluendos digitos, tum ante consecrationem, tum post consummationem. Casus Bonon. Dioeces. anno 1766. mense Aug. Cas. 3., I. M. 653.

76. — DE PRECIBUS ANTE ET POST MISSAM

1°. Quidam sacerdos, dum paratus pergit ad altare ad faciendum sacrum, per viam recitare solet submissa voce psalmum *Miserere,* quem si complere non potest, antequam ad altare perveniat, illum usque ad finem prosequitur, dum explicat corporale et missale aperit ac disponit; atque interdum, si brevissima fuerit via a sacrario ad altare, immoratur paululum in medio altari, ut psalmum illum perficiat, priusquam descendat ad incipiendam missam.

Quaer. *An id totum sit contrarium ritui a rubrica praescripto?*

R. Id totum, sin minus contra ritum positive, quippe expresse a rubrica non prohibetur, certe praeter eum dici debet, quia a rubrica nequaquam praescribitur. Quaerens P. Meratus in suis Additionibus ad Gavantum, part. 2. tit. 2. n. 6., an sacerdoti procedenti ad altare liceat recitare submissa voce psalmum aliquem, v. g., *Miserere,* aut aliquid aliud, ait doctores non convenire, cum alii affirment, alii negent; tum subdit: *Ego negativae sententiae adhaerendum esse crediderim; quia nihil imperatur in rubrica recitandum in accessu ad altare, sicut imperare debuisset, et ut de facto imperat in recessu.* Ceterum, si sacerdoti ad colligendum animum in Deum, cum pergit ad altare, conferat recitatio alicuius psalmi vel cantici, vel alterius precis, posset eam sola mente perficere sine vocali pronuntiatione, eamque seligere, quae ipsi ad altare ingresso moram non afferret in celebratione missae. Cas. Bonon. Dioec. ann. 1767. mense Iun. Cas. 3., I. M. 657.

2°. Sacerdos, finita missa, rediens ad sacristiam, loco cantici, *Benedicite omnia opera Domini,* etc., et psalmi, *Laudate Dominum in Sanctis eius,* cum aliis precibus, quae habentur in Missali post Rubricas pro gratiarum actione, recitat per viam hymnum *Te Deum laudamus.*

Quaer. *An rite id facit?*

R. Negative. Id enim est manifeste contra ritum in Missali praescriptum, ut videre est in *Ritu celebrandi missam,* tit. 12. n. 6., ubi de sacerdote, qui missam absolvit, dicitur: « Eo modo, quo venerat, redit ad sacristiam, interim dicens antiphonam, *Trium puerorum,* et canticum *Benedicite,* etc. » I. M. 657.

77. — DE MISSA IN ALIENA ECCLESIA

Euphemius, sacerdos, occasione praedicationis, saepe in aliena celebrat ecclesia. Quando e propria dioecesi non egreditur, missam semper ipse celebrat, respondentem officio secundum proprium Kalendarium. Quando vero egreditur e dioecesi Kalendarium sequitur ecclesiae, in qua celebrat; omittit tamen orationes ab Ordinario loci praescriptas, itemque nomen Patroni in oratione *A cunctis,* et nomen Ordinarii in Canone.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Duplex regula, quam Euphemius sequitur quoad ritum missae falsa est, adeoque, generatim et per se loquendo recte non agit. Itemque recte Euphemius non agit quoad praescriptas orationes, quoad nomen Patroni, et quoad nomen Ordinarii.

Duplex regula generalis hac in re tenenda haec est: nempe *Prima:* « Missa concordare debet cum officio, quod quis recitavit, dummodo cum colore ecclesiae, in qua celebrat, aptetur ». S. R. C. 7. Maii 1746., 12. Nov. 1831. ad 31^{um}., Gardell. 4520., Rubr. tit. 4. n. 3. Scilicet officium et missa unum eidem Mysterio vel Sancto cultum praestant, quem quasi dimidiatum praestare non licet. Quare, quamvis quis celebret in ecclesia aliena, quoad fieri potest, missa convenire debet cum officio. — *Altera* regula consequenter est: « Semper uniformari debet officio ecclesiae, in qua sacerdos celebrat, et etiam in colore paramentorum, et quando est duplex, tunc celebrari debet de Sancto, cuius particularis illa ecclesia celebrat officium ». S. R. C. 4. Sept. 1745. ad 8^{um}., Gardell. 4026. Videlicet ad evitandam populi admirationem expedit, ut unius eiusdemque Mysterii vel Sancti cultus exhibeatur, idemque paramentorum color adhibeatur. Quapropter debet tunc sacerdos officio ecclesiae, in qua celebrat, conformari.

Sacerdos extraneus tenetur ergo, quoad missam in aliena ecclesia, eius Kalendario sese conformare in sequentibus casibus:

1°. Cum in eadem ecclesia celebratur festum cum solemnitate et concursu. S. R. C. 11. Iun. 1701. ad 1^{um}., 29. Ian. 1752. ad 10^{um}., 22. Mart. 1817.

2°. Cum celebratur festum duplex, vel de Dominica, et color non respondet officio proprio sacerdotis celebrantis. S. R. C. 7. Maii 1746. ad 13^{um}., 27. Febr. 1847., 17. Sept. 1853.

3°. Quando sacerdos celebrat de Beato, qui non reperiatur in Kalendario ecclesiae, in qua celebrat. Verum si in eadem ecclesia festum celebretur alterius Beati, potest sacerdos de hoc celebrare, si aliqua adsit necessitas, neque ex mera devotione id faciat. S. R. C. 7. Sept. 1816. ad 17^{um}., 11. Iun. 1701. ad 2^{um}. 3^{um}., 13. Apr. 1867.

4°. Quando implens vices parochi celebrat in praedicta ecclesia missam *pro populo*. S. R. C. 23. Maii 1846. ad 5^{um}.

5°. Quando celebrat missam conventualem in ecclesia monialium, vel in alia, in qua sit obligatio chori. S. R. C. 7. Dec. 1844.

6°. Quando celebrat missam cum cantu. S. R. C. 15. Dec. 1691.

Praeter casus praecedentes, in qualibet ecclesia, generatim loquendo,

sacerdos celebrare debet missam proprio officio respondentem, exceptis diebus, in quibus ritus proprii officii, et ritus ecclesiae, in qua celebrat, missam *votivam* et *de Requiem* permittant, et nisi ecclesia privilegium habeat, ut aliter fiat. S. R. C. 20. Mart. 1817., 12. Nov. 1831., 17. Septembris 1853. — Itemque in Oratorio privato missa cum officio semper concordare debet, quamvis officium sit de Beato, de quo in eo loco non celebratur. S. R. C. 12. Nov. 1831. ad 31^um^., 16. Apr. 1853. ad 14^um^.

Quando sacerdos alienae ecclesiae tenetur se conformare, eius Kalendarium sequi etiam debet quoad *Gloria, Credo, Praefationem communem,* etc. Si vero utatur Kalendario eccclesiae suae, et ex eo *Credo* dicatur, *poterit* ecclesiae, in qua celebrat, conformari, in officio proprio, dummodo non sit addendum ratione Corporis vel Reliquiae, *debet* si celebret de officio ecclesiae. S. R. C. 22. Mart. 1817., 16. Sept. 1854., 31. Aug. 1867., 11. Apr. 1840., 17. Sept. 1853. Missali autem semper proprio utendum est; et qui, v. g., romano utitur, culpa non vacat, si utatur missali regularium diversi ritus, etiam in ipsorum ecclesiis et dum peregre agit, S. R. C. 19. Nov. 1662., si proprio, saltem *de communi,* uti possit; e. g. si in eo desit missa, vel propriae desint orationes. At evangelium semper evangelio officii respondere debet, S. R. C. 1. Sept. 1804.

Notandum autem hic est, quod in ecclesiis, unde regulares sive iuste sive iniuste deiecti sunt, missa non potest amplius ex Kalendario Ordinis, celebrari, ne a regularibus quidem, si quis forte quasi capellanus aut custos in eis remanserit, sed dioecesano uti oportet. S. R. C. 20. Decembris 1864.

Sacerdos *advena,* qui aliquo in loco quasi domicilium acquirit, cum legibus loci teneatur, tenetur etiam sequi quoad officium et missam Kalendarium loci. — Qui vero alicubi morantur quasi *peregrini* brevi aliquo tempore, tenentur, per se loquendo, sequi proprium Kalendarium; secus iam omnis officiorum ordo perverteretur. — Hinc etiam in itinere tenetur quis, per se iterum loquendo, proprium sequi Kalendarium. Cf. Gennari Consult. Mor. Can. Lit. P. 3. Cons. 38.

Quoad *collectas,* nullum videtur dubium eas dicendas esse etiam a sacerdotibus peregrinis. Nam cum collectae ab Ordinario loci praescriptae recitandae sint etiam in ecclesiis Regularium, aliisque ecclesiis *exemptis,* S. R. C. 31. Mart. 1821., consequens est, ut ab omnibus missam in ea dioecesi celebrantibus indiscriminatim recitentur. Quod comprobat etiam communis praxis et consuetudo. — Idem dicendum est quoad orationem *A cunctis,* ad litteram *N.,* videlicet in ea nominandus est Titularis vel Patronus ecclesiae; ac, si Titularis vel Patronus ecclesiae desit, tunc Patronus civitatis nominandus est. Idque servandum est in qualibet ecclesia vel oratorio sive publico sive privato. S. R. C. Ian. 1793. ad 15., 12. Sept. 1840. ad 2. Omnes igitur, qui missam celebrant, quicumque ipsi sint, praelictum Titularem vel Patronum debent in ea oratione nominare. — Idem etiam valet quoad nomen Ordinarii. In canone enim et collectis omnino facienda est mentio de episcopo etiam ab exemptis. S. R. C. 26. Sept. 1649. ad 6.

Operae pretium est varias hic referre S. R. C. Resolutiones, quae particulares quosdam casus, non raro occurrentes respiciunt. « An sacerdos regularis, in cuius ecclesia ex concessione Apostolica fit officium duplex sive de praecepto, sive non, sive de octava privilegiata, possit

universaliter celebrare missam votivam vel de Requiem in aliena ecclesia, ubi fit officium semiduplex? Et quid faciendum, si in supradicta aliena ecclesia, ubi fit officium semiduplex celebretur aliquod funerale? — R. Sacerdotes regulares addictos seu vocatos ad satisfaciendum oneribus alicuius ecclesiae posse celebrare missas de Sancto, sive de Requiem ad formam et ritum eiusdem ecclesiae iuxta rubricas ». S. R. C. 15. Dec. 1691. ad 1. 2. Gardell. n. 3259., 22. Ian. 1695. Gardell. n. 3350. — Sacerdos regularis invitatus extra propriam ecclesiam ad celebrandum in die, in qua ab ipso ex praescripto proprii Instituti recitatur officium duplex, potest se conformare cum missa, quae celebratur in illa ecclesia, ad quam invitatur, sive sit de Sancto, sive sit de Requiem ». S. R. C. 3. Oct. 1699. Gardell. n. 3534. 3703.

« An Eremitis sacerdotibus Congregationis Camaldulensis, occasione itineris, seu alia quacumque ex causa licitum sit celebrare missam de Requiem in aliena ecclesia, ubi non agitur officium duplex; imo fiunt exequiae pro aliquo defuncto, praesente corpore, vel anniversaria, vel aliquod simile officium pro defunctis eo die, quo ipsi Eremitae recitaverunt officium alicuius Sancti duplicis, non obstante Decreto huius S. C. d. 3. Aug. 1662. edito, prohibente missas defunctorum, in festis duplicibus, et per consequens: an hoc Decretum habeat locum tantum in ecclesia propria, vel etiam in aliena, in casu proposito? — R. Posse conformari cum ecclesia, in qua celebrat ». S. R. C. 23. Aug. 1704. Gardell. n. 3703. ad 7^um^.

« Sacerdotes confluentes ad monialium ecclesias, *devotionis gratia*, non possunt celebrare missas de Beatis, non canonizatis ipsarum monasteriis concessas; sed missam celebrandam esse a confluentibus de die et se conformare debere officio proprio, quatenus color paramentorum ecclesiae monialium, in qua celebratur festum sit idem, nec disconveniat. Secus vero alibi celebrandum ». S. R. C. 11. Iun. 1701. ad 2^um^. 3^um^. Gardell. n. 3588.

« Director Kalendarii Provinciae Occitaniae Ord. Praedicatorum exposuit contingere aliquando, ut religiosus eiusdem ordinis, qui, iuxta proprium Kalendarium, officium facit de Beato Ordinis, invitetur ad celebrandum in ecclesia parochiali, in qua iuxta Kalendarium dioecesis agitur pariter officium de aliquo Beato.... cum aliunde celebratio missae sit *necessaria* in parochia, et non sit alius sacerdos quam praedictus religiosus. Hinc exquisivit: An religiosus in exposito casu conformare se possit ecclesiae, in qua celebrat? — R. Affirmative ». S. R. C. 13. Aprilis 1867. — Cf. etiam Gardell. num. 167., Enchir. Moral. N. 405., I. M. 657.

DE POENITENTIA

78. — DE MATERIA REMOTA POENITENTIAE

1°. Germana senicula sic confitetur: Pater, inquit, poenitentiam mihi iniunctam peregi; preces matutinas et vespertinas fideliter recitavi; singulis diebus rosarium etiam recitavi, et missae interfui. Attamen multas commisi imperfectiones, non obediens divinis inspirationibus; forsitan etiam distractiones in orationibus recitandis habui, sed nescio; habui etiam aliquando pravas contra caritatem proximi cogitationes; sed eas reieci. Fateor omnes nos esse peccatores, ex Adamo in peccato natos, et ideo absolutionem et poenitentiam peto. Rogat et urget confessarius, ut Germana peccatum aliquod vitae praeteritae in specie declaret; sed nullum aliud ab ea obtinet responsum praeter istud: Pater iam omnia dixi, nihil mihi superest dicendum.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Germana beneficio absolutionis ex praecedenti confessione donari non potest, deficiente certa sacramenti materia. Distractiones enim in orationibus recitandis, quas accusat non nisi dubie accusat et dubio omnino negativo. Generatim insufficiens materia sunt omnia peccata incerta seu dubia; super ipsis enim absolutio dari non potest, quin sacramentum periculo nullitatis exponatur. Quamvis autem optimum sit sese accusare etiam de non correspondentia divinis inspirationibus circa opera consilii, haec tamen non constituit materiam sufficientem absolutionis, quia non est, per se loquendo, peccatum non correspondere divinis inspirationibus circa opera consilii, earum secluso contemptu. Reliqua vero, quae Germana accusat, nullum continent peccatum, sed actum virtutis. Germana igitur, cum nullum accusaverit peccatum, etiam post instantiam confessarii, cum sola benedictione est dimittenda, facta ei venia, ut ad communionem accedat. G. 378., I. M. 666. 667.

2°. Iustinus, pietate ac fervore insignis, frequenter confiteri cupit ad beneficium absolutionis obtinendum. Sed, cum saepius nullam noxam voluntarie admissam in sua conscientia deprehendat, ita se accusare solet: Accuso me de omnibus peccatis, quibus offendi Deum in vita mea anteacta, in primis de peccatis olim commissis contra castitatem. Si apud ordinarium suum confessarium confiteatur, dicit tantum: Accuso me de peccatis totius vitae, praesertim de gravioribus, quae alias iam confessus sum. Imo quandoque tantum ait: Accuso me de peccatis in tota vita mea commissis et postulo sanctam absolutionem.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Cum Iustinus mortalibus careat peccatis, eius accusatio sufficiens est. Agitur enim non de materia necessaria, sed de materia libera; adeoque ad peccata in specie infima declaranda non tenetur. « Explicanda est, ait D'Annib. 303., uniuscuiusque peccati *species infima,* et, si infima desit vel excidit, *suprema;* et si haec quoque excidit peccatum *in genere,* v. g., *detraxi — peccavi contra iustitiam — peccavi letaliter.* — Quamobrem ei, qui materiam *necessariam* non habet, satis est dicere *peccavi* ». Expedit tamen, ut cum maiori fructu poenitentiae sacramentum recipiatur, peccata aliqua saltem *in specie* declarare. G. 381.-383., I. M. 666. 673.

Hinc patet absolvendum esse poenitentem, qui ob ignorantiam et ruditatem, ac naturalem stupiditatem; ob senium et memoriae labilitatem, nullius prorsus peccati in specie vel in particulari cognitionem vel memoriam habeat, et confitetur *se peccasse cogitationibus verbis et operibus.* Confessarius tunc poenitentis defectum supplere tenetur proponendo ei nonnulla specifica peccata, in quae olim incidisse prudenter suspicari licet; v. g., nonne te accusas de omnibus peccatis commissis contra Deum, contra proximum; contra caritatem, contra castitatem, contra iustitiam; mendaciis, imprecationibus, blasphemiis, etc. Et si poenitens respondeat, se de omnibus accusare, et de omnibus se dolere, absolvatur. Etsi enim tam generalis et nimis confusa accusatio per se non sufficiat, ob moralem tamen impotentiam sufficiens est. Confessarius praeterea optime aget, si talem personam, praesertim si infirma sit et in periculo mortis, adiuvet ad eliciendum non tantum actum contritionis, verum etiam actus fidei, spei, caritatis, antequam eam absolvat. G. 384. 385., Elbel 15., Reuter 303.

79. — CONTRITIO EXTRA SACRAMENTUM

« Getulius, patrato peccato mortali, per tres menses in hoc infelici statu permansit. Tandem, remordente conscientia, ad confessarii pedes provolvitur. Eum interrogat confessarius, an statim post commissum peccatum contritionis actum elicuerit. Cum negative respondisset, propterea de novo peccato mortali arguitur. Postulat subinde Pater spiritualis, an saltem intra hebdomadam contritus fuerit. Respondet poenitens, se huc usque poenitentiam distulisse. Pessime egisti, ait confessarius, sic enim peccata mortalia multiplicasti; siquidem toties peccasti graviter, quoties ad statum animae attendens, seu de peccato tuo recordans, actum perfectae contritionis elicere omisisti.

Quaer. 1°. *An sit obligatio gravis eliciendi actum contritionis statim post peccatum grave patratum?* — 2°. *Quaenam dilatio peccatum grave inducat?*

R. Ad 1^{um}. Negative, probabilius, quia praeceptum contritionis est affirmativum, seu est obligatio agendi poenitentiam. Ergo non obligat singulis momentis. Ergo non statim urget post patratum peccatum:

secus enim *peccata multiplicarentur pro numero momentorum dilationis,* seu quoties peccator ad obligationem poenitendi advertit, quod sensui communi fidelium, et praxi confessariorum adversatur. Lig. 437.

Ad 2^um^. Probabilius grave est differre actum contritionis, patrato peccato ultra mensem, quia videtur adesse obligatio gravis eliciendi actum caritatis semel in mense; *actus autem caritatis absque actu contritionis elici nequit.* In praxi vero multi, imo plerique peccatores ab illo peccato dilatae poenitentiae ob ignorantiam, vel inadvertentiam excusantur. Lig. 437., Comp. n. 444. » Ita P. Gury 398. 399.

Verum nonnulla sunt parum castigata in hac resolutione. Etenim verum non est quod dicitur in responsione ad 1^um^., quod si praeceptum contritionis statim urgeret post patratum peccatum *peccata multiplicarentur pro numero momentorum dilationis.* Si enim statim urgeret post patratum peccatum, sequitur tantum quod quis tunc statim peccaret contra praeceptum contritionis et in eo peccato deinde perseveraret usquedum illum actum eliceret; secus enim ille, qui alienam rem surriperet et retineret per annum, tot committeret peccata quot momenta sunt in anno, vel saltem quoties ad obligationem restituendi advertens, non restituit, quod verum non est. Et sic ipse P. Gury Comp. V. 1. n. 166. quaestionem monet: « An plura faciat peccata, qui diu differt restitutionem ». Et respondet: « *Negative,* si perseveret habitualiter in voluntate rem alienam retinendi, quia mala voluntas *per modum continui* cum re iniuste retenta perseverat. Attamen, si iniustus possessor *per notabile tempus* restitutionis faciendae *fuerit oblitus,* et postea pravum propositum *renovaverit,* novum peccatum committet, *quia mala eius voluntas, moraliter interrupta censetur.* S. Lig. n. 40. et alii *communiter* contra alios, qui dicunt iniustum rei alienae possessorem toties peccare, quoties ad obligationem restituendi attendit ». Cf. Lig. l. 3. n. 683., Diana Tom. 1. Tr. 7. Res. 157., I. M. V. 1. 308.

Insuper quoad responsionem ad 2^um^. idem P. Gury Comp. V. 1. n. 218. de obligatione eliciendi actum caritatis ait: « S. Ligorio arridet sententia eorum, qui actum caritatis semel in mense requirunt. Ho. Ap. n. 12. Sed huius opinionis nullum est solidum fundamentum ». Itemque P. Gury l. c. Comp. V. 2. n. 444. quaestionem movet: « Quaenam dilatio contritionis peccatum grave inducat ». Et respondet: « Non conveniunt theologi: admittitur quidem communiter dari gravem contritionis dilationem independenter a praecepto confessionis annuae; quanta autem debeat esse haec dilatio, ut gravis censeatur, determinari certo non potest: alii illam producunt ad annum; alii ad sex menses; alii cum S. Ligor. ad mensem: nulla tamen ratio sive auctoritas huic ultimae sententiae favet. Quin ipse S. Alphons. peccatores praesertim rudes ab hoc praecepto dilatae poenitentiae, ut plurimum, imo fere semper excusari posse addit n. 437. » — I. M. V. 1. n. 381., V. 2. n. 478.

80. — CONTRITIO IN SACRAMENTO

Claudinus, bonus senex, a confessario interrogatus, quomodo actum contritionis de peccatis eliciat, respondet: Sic dico: Diligo te, Deus meus super omnia, quia summe bonus es; parce, Deus meus, parce peccatis

meis. Confessarius, hac audita responsione, anxietate quidem laborat circa valorem huius contritionis. Attamen, putans esse scrupulum, Claudinum absolvit.

Quaer. 1°. *An ad sacramentalem confessionem sufficiat loco actus doloris charitas perfecta erga Deum?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. Negative. Ratio est, quia Conc. Trid. S. 14. cap. 3. asserit actus poenitentis esse quasi materiam sacramenti poenitentiae. Inter eas autem haud quidem recenset caritatem, sed contritionem reponit, quam ipsum Conc. Trid. cap. seq. inquit tenere primum locum inter actus poenitentis. Eam autem ait esse dolorem seu detestationem de peccato commisso. Ista igitur contritio a Concilio ad poenitentiam requisita, contritio *formalis* est, minime vero *virtualis* tantum; actus virtutis poenitentiae est, minime vero caritatis. Atqui contritio ad poenitentiam requisita non nisi talis esse debet qualis exprimitur et praecipitur a Concilio, loc. cit., ubi ex professo catholicam doctrinam de poenitentiae sacramento tradit. Ergo.

Ad 2^um^. Actus caritatis dupliciter intelligi potest, primo ut pro obiecto materiali habeat Deum amandum; pro obiecto formali bonitatem Dei absolutam; ibique sistat iste actus, neque ullo pacto illud formale obiectum usque ad detestationem peccatorum in nobis excitandam progrediatur; et sic caritas non sufficit absque vero et formali actu doloris seu contritionis ad sacramentum poenitentiae, ut partem eius quasi materiae constituat, licet sufficiat ad peccatorum remissionem extra sacramentum. Quod si illud formale caritatis obiectum nos movet etiam ad peccatorum admissorum detestationem, tunc contritio habetur perfecta, caritate formata, ut loquitur idem Conc. Trid. l. c. cap. 4., et optima est, non solum ad remissionem peccatorum extra confessionem; verum etiam in sacramentali confessione. Iam vero talis fuisse videtur Claudini caritas, si attendatur ad actum quem elicuit, post formalem caritatis actum, *parce, Deus meus, parce peccatis meis.* Haec enim verba, divinam misericordiam et peccatorum misericordiam implorando, implicite significant dolorem animi et detestationem seu odium peccati commissi, cum proposito non peccandi de caetero. Moraliter impossibile est, ut qui sua recogitans peccata actum eliciat amoris erga Deum, quin doleat de suis peccatis, eaque detestetur, quatenus opposita Deo summe dilecto. Quare Claudini confessarius recte egit.

« Attamen in casu nostro, ait P. Gury 402., Claudinus sedulo interrogari debet a confessario, ut hic sciat, utrum revera de dolore peccatorum cogitaverit, aut protulerit meram formulam, cuius sensum forte non satis callebat. Insuper debuit confessarius poenitentem de modo eliciendi actum contritionis ante confessionem edocere ». Verum haec divinando potius dicuntur; nam, ut eruitur ex casus expositione, nullum adest vestigium in Claudino talis assertae ignorantiae et negligentiae. Eo ipso quod Claudinus non fuerit immoratus in illo caritatis actu tantum, *Diligo te, Deus meus, super omnia, quia summe bonus est;* sed ulterius protulerit alium actum doloris et detestationis peccatorum, *Parce, Deus meus, parce peccatis meis,* non protulit sane materialiter haec verba, minime ea intelligens. Et sane quis est tam stupidus, ut haec proferens

verba ea non intelligat? Certe is non est Claudinus, qui tam perfectum caritatis actum efformat, et deinde a Deo petit remissionem peccatorum. Quis vero petens a Deo ex perfecto amoris motivo remissionem peccatorum, non eorum simul dolorem et detestationem habet? Repugnat prorsus implorare simul serio divinam misericordiam, et veniam peccatorum, et de eis non dolere, neque ea detestari. Insuper contritio essentialiter *in detestatione* peccati consistit. *Dolor* comes, vel effectus eius est. Catech. Rom. n. 23. 24., S. Th. 3. p. q. 85. a. 1. ad 3. Huiusmodi contritionis obiectum est *peccatum,* idest actio mala, *qua est offensa Dei.* S. Th. l. c. a. 2. Quomodo ergo quis explicite veniam ex vero amore petens a Deo peccatorum non ea simul *detestatur* et *reprobat;* non eorum simul *displicentiam* habet? Quare neque obligatio apparet in confessario edocendi, in casu, poenitentem modum eliciendi actum contritionis, cum poenitens tam perfecte contritionis actum eliciat. I. M. 677.

81. — CONTRITIONIS MOTIVUM

Albertus, peracta confessione, interrogatur a confessario, quonam motivo ad dolendum de peccatis moveatur. Respondet poenitens: Doleo de peccatis, quia timeo, ne Deus, qui constanter in Sacra Scriptura apparet utique misericors, sed etiam iustus peccatorum vindex, me puniat in hac vita aerumnis, vel subitanea morte. Reponit confessarius: Numquid, mi bone eodem modo doluisti de peccatis in antecessum, quando ad confitendum accedebas? Affirmat Albertus. Unde confessarius, iudicans invalidas illas confessiones fuisse, iubet eum sine absolutione interim discedere, et se parare ad confessionem generalem totius vitae instituendam.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. « Imprudenter declaravit confessarius praefatas confessiones fuisse invalidas ratione attritionis ex metu poenarum temporalium elicitae. Ratio est, quia talis attritio probabilius valida est, si ex motivo supernaturali habita fuerit. Licet autem in praxi tutius sit dolorem excitare ex motivo poenarum post mortem subeundarum, attamen post factum, de obligatione iterandi confessiones non constat. Ergo poenitens ad illud onus subeundum non est obligandus ». Ita Gury 408. Iam vero dubitandum non est in casu, quin Alberti attritio ex supernaturali fuerit motivo, cum illud ipsi obiectum sit prout supernaturali apprehenditur fide. Atque hoc modo huiusmodi attritio ad attritionem revocatur ex metu divini iudicii inchoati. Etenim, quamvis poenae temporales sint; si tamen considerentur ut inflictae a Deo, nobis indicant iram eius, et quodammodo inchoant divinum supplicium, nisi emendemur. Sub hac autem ratione bene possunt movere ad supernaturalem attritionem, quae optime reducitur ad eam, quae est ex metu gehennae. Suarez D. 5. S. 2. n. 15., Lugo D. 15. n. 137.

Licet vero graves theologi huiusmodi attritionem non habeant, nisi ut probabilem, plures tamen et graves etiam theologi ut moraliter certam, ac etiam ut omnino certam habent. I. M. 687. Ac cl. Ballerinius, apud Gury Comp. 452. oppositas rationes ait nihil detrahere firmitati com-

munis doctrinae, quae stat pro sufficientia talis attritionis, nec ullam vel tenuem probabilitatem oppositae sententiae posse conciliare. Hinc secundum hanc communem doctrinam Albertus neque ante neque post confessionem fuisset inquietandus. Cum autem Alberti Casus respicit confessiones iam peractas, et certe sententia affirmans sufficere ad sacramentum poenitentiae praedictam attritionem saltem probabilis et probabilissima est, Albertus profecto a suo confessario absolvendus omnino erat et minime poterat obligari ad generalem totius vitae confessionem instituendam.

82. — CONTRITIONIS PRAECEDENTIA

Eleonora a pluribus annis ad sacramentum poenitentiae accedens, sic agere solet: 1°. Die sabbati sub nocte examen conscientiae instituit, et de omnibus peccatis sincere dolet. Die autem Dominica, summo mane, confessionem peragit, quin novum contritionis actum eliciendum curet, licet quandoque aperiat peccatum mortale, quod memoriae in examine pridie non occurrerat. 2°. Quadam die, cum in peccatum letale lapsa fuisset, statim de eo se conterit, sine ordine tamen ad confessionem. Post tres vel quatuor horas, pergit ad Ecclesiam ut oret. Cernens vero parochum e sede confessionali exeuntem, ei obviam occurrit, et statim confitetur absque novo contritionis actu. 3°. Aliquando, accepta absolutione, meminit peccati alicuius, quod antea memoriae non occurrerat, illud confessario aperit, et de illo absolvitur, quin iterum se conterat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. « Probabilius fuit valida contritio Eleonorae, pridie confessionis elicitae, quia virtualiter perseverare videtur, praesertim si magnam habuit intensitatem, nec obstat quod mulier peccati gravis oblita fuerit, quia peccatum illud in contritione generali de ceteris implicite continebatur. Adhortanda est tamen Eleonora, ut in posterum actum contritionis eliciat immediate ante confessionem.

Probabilius fuit etiam valida contritio Eleonorae, licet non fuerit elicita in ordine ad Sacramentum. Ratio est, quia ex Trid. illa attritio dicitur disponere ad iustificationem in Sacramento, quae voluntatem peccandi excludit cum spe veniae. Porro omnia haec in casu nostro verificantur. Ergo. Insuper, licet dolor non fuerit ordinatus ad confessionem relatione antecedenti, ordinatur tamen relatione consequenti, eo quod adhuc verificatur dolorem patefieri per confessionem. Attamen opposita sententia non caret sua probabilitate, et ideo in praxi contritio ante confessionem ad tutius renovanda est. S. Lig. n. 447.

Adhuc probabilius in tertio casu valida fuit contritio mulieris. Etenim minime erat necessarium novum actum contritionis elicere, ad novam absolutionem obtinendam, quia certo perseverabat prior contritio, quae, ut universalis, extendebatur ad omnia peccata, etiam ex oblivione omissa. Adde quod non requiritur, ut contritio *explicite* ordinetur ad sacramentum, ut dictum est. Insuper videtur manifestari dolor explicitus in actu ipso illud accusandi. Ita communiter. Cum vero plures theologi contradicant, licet *in levi* fundamento innixi, in praxi opposita sententia, ut tutior, eligenda est.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Minime vero est inquietanda Eleonora ratione defectus contritionis, quae probabilius in omni casu fuit sufficiens ad Sacramenti valorem. Ante confessionem tutior quidem sententia sequenda est, quia agitur de *valore* sacramenti certiore reddendo; facta autem confessione, non agitur amplius nisi de *praecepto* confessionis, cui probabilius satisfactum est. Hinc bene potest, applicari haec regula: « Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet ». Ita Gury 410.-412.

Iam vero Eleonorae contritio in primo casu non solum *probabilius,* sed moraliter certo valida videtur in ordine ad confessionem. Etenim primo interiectum spatium temporis ex initio noctis sabbati ad summum mane Dominicae brevissimum est, et peracto sub nocte sabbati examine conscientiae et contritione, ad confessionem summo mane Dominicae vi illius examinis et contritionis accedendo, evidentissimum est, virtualiter eam contritionem perseverare, cum tam sollicita diligentia eius effectus ponatur. Insuper ex communi sententia, rigidiores etiam doctores nullam faciunt difficultatem quoad tam breve spatium temporis, cum illud multo magis communiter extendant. Ac ipse P. Gury in Comp. contritionem affirmat perseverare posse *iuxta communem sententiam per unum, aut etiam plures dies,* quod admittit et approbat etiam S. Alph. l. 6. n. 446. I. M. 682.

Non tantum *probabilius* sed iterum cum morali certitudine valida videtur fuisse contritio Eleonorae in secundo casu. Etenim primo Eleonorae contritio habet omnia illa, quae requirit Concilium Trident. S. 14. Cap. 4., ubi ex professo agit de contritione, quae est actus praecipuus ex parte poenitentis in sacramento poenitentiae. Ac nisi velimus dicere Concilium tradidisse imperfectam doctrinam, argumentum hoc non tantum probabile, sed demonstrativum est. Insuper, si contritio perfecta ex Conc. Trid. l. c. non iustificat, nisi *cum voto sacramenti;* et tamen hoc *votum* non necessario debet esse explicitum, sed sufficit votum implicitum, *votum* nempe, quod natura sua *in ipsa contritione includitur;* ita consequenter est, quod si qua in contritione ordinatio ad sacramentum requiratur, haec profecto non necessario explicita esse debet, sed sufficit ordinatio illa implicita, quae natura sua in ipsa contritione includitur. Secus enim haberetur et illud aliud incommodum, quod plus requireretur ad iustificationem ex contritione et sacramento, quam ex contritione tantum: cum omnino certum sit minus requiri; siquidem et simplex attritio sufficit ad iustificationem cum sacramento. Accedit, quod in Instructione, quae habetur in fine Concilii Romani Append. 29. nihil omnino habetur de hac explicita ordinatione contritionis ad confessionem. Ac in formula actus contritionis, quae ibidem proponitur, nihil etiam omnino habetur de ea explicita ordinatione. Porro quis audebit affirmare contritionem rite factam secundum praedictam formulam non esse sufficientem ad recipiendum deinde sacramentum poenitentiae? I. M. 683.

Itemque in tertio casu Eleonorae confessio non tantum *probabilior* videtur, verum etiam moraliter certa. Ac, si opposita sententia, ut ipse P. Gury ait, non nisi *levi fundamento innititur,* non ideo ut vere et solide probabilis haberi potest, quia *plures theologi* contradicunt. Notissimum enim est extrinsecam probabilitatem eatenus valere, quatenus intrinsecae innixa praesumatur. Ubi igitur intrinseca

desint argumenta parum prodest auctorum nomina congerere. Cf. I. M. 684. Ceterum casus Eleonorae a pluribus etiam admittitur, qui probabilitatem admittunt oppositae sententiae. Peccatum enim, oblitum in praecedenti confessione, et in praecedenti dolore continebatur. Quando igitur quis illud confitetur, revera illud vi praecedentis doloris confitetur et ille dolor evidenter ad novam hanc confessionem extenditur, quae prioris supplementum quoddam est. Ac si sufficit ad confessionem contritio *virtualiter* perseverans, qua ratione dici potest contritionem in casu non sufficere, cum evidentissime, ut ex ipso eius *effectu* comprobatur, virtualiter contritio perseveret, et moveat ad oblitum peccatum statim confitendum?

83. — DOLORIS INTENSITAS

Clodomira, matrona pia, de dolore ad confessionem requisito valde anxia cum suo confessario conqueritur: 1°. Quod intensiorem dolorem de morte filii sentiat, quam de peccatis suis. 2°. Quod non sibi videatur parata ad omnia mala sufferenda, v. g., ut viva comburatur, potius quam peccatum committere. 3°. Quod magis abhorreat a monstro, a bellua feroci, a peste, a strage, ab incendio, quam a peccato. — Quapropter putat se nunquam validas fecisse confessiones; et generalem totius vitae confessionem peragere postulat. Affirmat tamen, se dolere et multum dolere, quod non doleat satis de tot et tantis peccatis, quibus divinam Maiestatem offendit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Clodomira quoad primum inquietari non debet. Ad valorem contritionis non requiritur certa doloris intensitas; sicut neque ad peccandum requiritur certa intensitas voluntatis. Gradus enim doloris ad eius essentiam non pertinet. Insuper Clodomira confundit dolorem, voluntatis actum, cum dolore sensili. Ille est ad veram poenitentiam necessarius, non iste. In contritione enim est duplex dolor. Unus est in ipsa voluntate, et est displicentia praeteriti peccati. Alius est in parte sensitiva, qui ex priore dolore causatur, uno modo *ex necessitate naturae,* secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorum facultatum, alio modo *ex electione,* secundum quod homo poenitens in se ipso hunc dolorem excitat, ut de peccatis doleat. *Dolor* ille *voluntatis* in contritione excedit omnes alios dolores, quia quantum aliquid placet, tantum contrarium eius displicet. Finis autem ultimus super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur; et ideo peccatum, quod a fine ultimo avertit super omnia displicere debet. Et sic iste dolor est summus et maximus omnium appretiative, quatenus nihil aliud quantum peccatum homo sua voluntate detestari debeat. Alius vero sensilis dolor neutro modo dicto summus necessario est. Etenim primo vires inferiores vehementius moventur ab obiectis propriis, quam ex redundantia superiorum virium. Et ideo quanto operatio superiorum virium est propinquior obiectis inferiorum, tanto magis sequuntur eorum motum. Quapropter maior est dolor, qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, quam qui redundat ex ratione considerante spiritualia. Unde dolor in

sensitiva parte redundans ex displicentia rationis de peccato, non est maior doloribus aliis provenientibus ex displicentia sensibilium malorum. Et similiter nec dolor, qui est voluntarie assumptus necessario maior est; quia non obedit affectus inferior ad voluntatis nutum, ut tanta et talis passio sequatur in inferiori appetitu, qualem ordinat superior. S. Th. Suppl. q. 3. a. 1., I. M. 679.

Ad secundum et tertium quod attinet, quamvis talis revera esse debeat contriti dispositio, non tamen circa huiusmodi sensiles comparationes tentandus est, quia affectus suos homo non potest facile mensurare. Quandoque illud quod minus displicet, videtur magis displicere, quia est propinquius sensibili nocumento, quod magis innotescit, et magis sensilem afficit appetitum. Itemque, ut delectabilia plus movent in particulari considerata, quam in communi seu generatim, ita terribilia plus terrent, si in particulari considerentur. Unde descendere in talibus ad singula, est inducere hominem in tentationem, et praebere occasionem peccandi. Licet autem contritus teneatur in generali, velle pati magis quamcumque poenam quam peccare, in speciali tamen descendere ad hanc poenam vel illam non tenetur; quin imo stulte faceret, si quis se ipsum vel alium sollicitaret super huiusmodi poenis. S. Th. Suppl. l. c. ad 4., Quodl. 1. a. 9., I. M. 679.

Quoad illud tandem, quod ultimo loco affirmat Clodomira, notandum est, quod, *per se* et *abstracte loquendo*, satis non sit ad requisitam contritionem, si poenitens doleat, se non dolere. Nam, *per se* et *abstracte loquendo*, si quis doleat, se non dolere, ergo non dolet; neque dolor defectus doloris de peccatis potest hunc dolorem supplere. *Practice* vero *loquendo*, ordinarie poenitentes, qui dolent ex eo quod non doleant, vel non satis doleant, verum de peccatis habent dolorem, et vere ea detestantur; dolent tamen quod non dolent; non quia vere non doleant, sed quia sensilem et intensum dolorem in se non experiuntur. Quare plerumque circa dolorem inquietandi non sunt, sed ad fiduciam adhortandi. Atque hic videtur esse casus Clodomirae; cum pia matrona sit, et valde anxia de dolore sit. G. 414., Elbel 80., D'Annib. 312., I. M. 679.

84. — PROPOSITUM IMPLICITUM

Caelestinus, confessionem peragendo, inter alia declarat, quod in ultima confessione, dum intentus fuisset dolori eliciendo, minime de proposito non peccandi de cetero cogitaverit, sicque absolutus fuerit; quapropter circa hanc absolutionem magna anxietate laborat. Confessarius, eo audito, statuit confessionem reapse invalidam fuisse, ideoque iterandam esse.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. « Caelestinus validam confessionem peregit saltem *multo probabilius*, licet propositum eius explicitum non fuerit. Proinde minime confessionem repetere debet, quia de obligatione repetendi non constat. Ergo erravit confessarius declarando confessionem iterandam esse ». Ita P. Gury 419.

Verum Caelestinus non tantum *multo probabilius*, sed morali certitudine validam effecit confessionem, ex Instruct. pro parv. Bened. XIII. ad calcem Conc. Rom. Append. 29. Part. 3. I. M. 694.

85. — PROPOSITI EFFICACIA

Cornelius, consuetudine peccati turpis laborans, a confessario interrogatur, utrum firmiter proponat haec pravae consuetudinis peccata non amplius committere. — Propono quidem, ait poenitens, sed praevideo me certo propositum hoc violaturum esse. Alias enim similiter proposui, et semper infeliciter sum relapsus. Tanta est in me vis consuetudinis, ut me alliciat et pertrahat. Sed proponisne a lapsu praecavere? reponit confessarius. Ita, pater, ait Cornelius, sed sum certus de futuro relapsu. — Confessarius huiusmodi responsis intricatus, nescit an poenitentem hunc absolvere possit. Tandem eum absolvere statuit.

Quaer. 1°. *Quid dicendum de consuetudinario, qui cito post absolutionem in consueto peccato relabitur?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Ad 1^um^. « Praesumptio stare debet contra ipsum. Hinc praesumendum est, eum fuisse indispositum, seu firmo proposito caruisse in ultima confessione. Ratio est, quia peccator, qui cito ac facile relabitur, nullo adhibito conatu ad resistendum tentationi, non censetur firmiter statuisse non amplius peccare. V. Comp. n. 513.

Ad 2^um^. Cornelius videtur invalidam confessionem fecisse, quia qui credit se certo relapsurum esse arguit eo ipso se firmitate propositi caruisse. Ergo male egit confessarius huiusmodi poenitentem absolvendo; nisi in eo potius timorem relapsus quam defectum propositi agnosceret ». Ita P. Gury 422.

Porro quoad primum quaesitum contrarium habet ipse P. Gury, cit. Compendii loco. Etenim quaestionem ibi movet: « *An sint cogendi recidivi ad confessiones praecedentes repetendas?* Et respondet: *Negative per se.* Ratio est, quia novus lapsus *per se* non est argumentum certum, quod recidivus prius dispositione caruerit. *Aliquando* tamen *ex circumstantiis* iudicari prudenter poterit, recidivum quempiam invalide confessum esse. S. Lig. n. 505. » Neque resolutio haec per se immutatur praecise ex eo, quod cito quis post absolutionem relabatur. Etenim « quod aliquis *postea* peccet vel actu vel proposito, non excludit, quin *prius* poenitentia vera fuerit. Nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. Sicut enim vere cucurrit, qui postea sedet, ita vere poenituit, qui postea peccat ». S. Th. 3. p. q. 84. a. 10. ad 4. Ac S. Alph. 459. « Relapsus, ait, tametsi praebeat *aliquam suspicionem*, non tamen certum exhibet signum indispositionis. Bene enim contingere potest, quod poenitens vere habuerit firmam voluntatem non relabendi, et tamen vi pravi habitus sit relapsus ». Quae quidem important, ut S. D. ex vera poenitentia praecedenti insinuet argui posse, *per se*, iterum loquendo, nec in praesenti dispositionem deesse. Et reipsa, prout ipse S. D. praemiserat, « poenitens ex una parte non est praesumendus malus, ita ut velit indispositus ad sacramentum accedere; ex alia praesumitur dispositus, dum peccata confitetur, cum ipsa spon-

tanea confessio sit signum contritionis, nisi obstet aliqua positiva praesumptio in contrarium ». Quare res tota practice ex circumstantiis prudenter est diiudicanda et definienda. Ac suspicio illa, quam repetitus in eadem peccata relapsus iniicit, confessarium movere debet, non quidem ut *a priori* poenitentem indispositum ac sine absolutione dimittendum decernat, sed ut pro officio suo de praesenti poenitentis dispositione accuratius inquirat, eumque adiuvet, ad hanc dispositionem, si forte non habeat, concipiendam.

Quoad alterum quaesitum, casu reali occurrente, admodum difficilis in praxi resolutio non videtur. Nam tota quaestio est de sinceritate doloris et propositi Cornelii. Si sincerum habet dolorem et propositum procul dubio eius confessio valida est. Porro quando huiusmodi casus occurrit ex omnibus poenitentis eiusque confessionis circumstantiis, et ex ipso confessionis modo facile illa doloris et propositi sinceritas apparet. Considerando autem casum, prout propositum est, non videtur posse tanta facilitate Cornelii confessio invalida affirmari. Etenim Cornelius confessario interroganti serio respondet, et cum quadam vehementia et instantia, se *quidem proponere* a lapsu praecavere; et ex responsione apparet eius displicentia, quod alias etiam idem conceperit propositum, et tamen fuerit relapsus. Inde igitur argumentum desumi non potest invaliditatis confessionis; sed potius validitatis, praesertim si consideretur, quod Cornelius post relapsum non recedit a sacramentis, sed ad sacramenta accedit; nempe, ut tandem sacramentorum gratia efficaciter ad emendationem adiuvetur; cum non alia in casu assignari possit ratio, cur Cornelius iterum confiteatur. Neque vero argumentum praedictae invaliditatis confessionis desumi potest ex illa Cornelii praevisione novi lapsus. Haec enim praevisio fundata tantum in propria fragilitate bene stare potest cum praesenti dolore et proposito, innixo divinae gratiae auxilio. Iam vero « quoties poenitens affert vera signa *(praesentis) doloris* et *propositi,* toties bene absolvi potest », S. Lig. l. 6. n. 459. Neque vero absolvitur poenitens propter *futuram emendationem;* quae, si hactenus spem fefellit poenitentis et confessarii; forte in posternm, divina auxiliante gratia, semel incepta non amplius desistet. « Bene, ait S. Alph. l. 6. n. 459., docet Lugo D. 14. n. 166. cum Suarez, Sanchez, Regin., Henriq., et aliis *communiter,* quod dispositio sufficiens est dolor et propositum *praesens,* non emendatio *futura:* atque ita poenitens poterit absolvi, licet *iudicetur relapsurus* ». Si autem confessarius, ut par est, adhortetur Cornelium ut in Deum fidat, eumque excitet ad iterandum dolorem et propositum, ac studiose, patienter, mansuete, cum ipso agens, eius magis magisque corroboret voluntatem, explicatis doloris motivis, ac indicatis debitis ac mediis adhibendis; si Cornelius consentiat, et suam significet bonam voluntatem; non est sane cur Cornelii confessio invalida deinde pronuntietur. I. M. 694. 809.

86. — OBLIGATIO CONFESSIONIS

« An debeat confessio sacramentalis a *neo-conversis in Anglia* exigi, et an debeat esse integra?

R. *Affirmative,* et dandum esse Decretum latum sub feria V. 17. Iunii 1715. » S. O. 17. Dec. 1868.

Allegatum Decretum 17. Iun. 1715. tale est: « An plena fides sit adhibenda Carolo Wipperman de Rostoch... circa nonnullos errores detectos in eius baptismo? Et quatenus affirmative, tum ut ipsius saluti, tum etiam ut ceterorum illius sectae seu religionis, praesertim si fuerint ignorantes, saluti pariter consulatur, quaeritur: An dictus Wipperman sit rebaptizandus? Et quatenus affirmative: An absolute, vel sub conditione? Et quatenus affirmative: An teneatur confiteri omnia peccata praeteritae vitae? Et quatenus affirmative: An confessio praeponenda sit vel postponenda baptismo conferendo sub conditione? — R. *Carolum Ferdinandum* esse rebaptizandum sub conditione, et, collato baptismo, eius praeteritae vitae peccata *confiteatur*, et ab iis sub conditione *absolvatur* ». Collect. S. C. de P. F. n. 644.

P. Gury Cas. 424., vel potius eius Editor, Lugduni 1885., has assignat praedicti Decreti rationes, « sive quia, ubi agitur de receptione sacramentorum, quae sunt necessaria necessitate medii tutius est sequendum; sive quia certo collatus olim baptismus est in possessione, quamvis de eius valore dubitetur, adeoque obligationem inducit confitendi peccata post ipsum commissa, quamdiu non probatur certo fuisse invalidus ». Verum utraque haec ratio debilis est, et minime subsistens. Nam, salus in casu *in tuto* omnino posita est; siquidem peccata illa ante iteratum baptismum commissa, si non remittuntur iterato baptismo, certe remittuntur indirecte sacramentali absolutione, quando ille accedit deinde ad sacramentum poenitentiae recipiendum. Possessio autem prioris baptismi probabiliter *dubia* est; secus iterari non posset baptismus. Ex illa igitur *dubia* possessione *certa* obligatio erui nequit. Ceterum, si illa praecedentis baptismatis *possessio* tantae est vis, ut imponat *certam* obligationem confessionis. Ergo nullatenus tunc *simul* admittere potest iteratam baptismi collationem. Ac, si baptismus iteratur, cum non iteretur, nisi *stante probabilitate* eius validitatis, peccata ante ipsum commissa *probabiliter* materia valida absolutionis non sunt, adeoque iterum nequit dari *certa* confessionis obligatio. Ratio igitur praecedentis Decreti nonnisi ex particularibus circumstantiis est desumenda. Hinc S. O. cautissime respondit: *pro neo-conversis in Anglia* etc. *Carolum Ferdinandum* etc. I. M. 672., D'Annib. 301., Gury Cas. Edit. Lugdun. anni 1868., Gury Baller. Comp. 419.

87. — INTEGRITAS CONFESSIONIS

1°. Crispinus, iuvenis, sic confessionem instituit: 1°. Deditus fui intemperantiae, ludo et blasphemiis cum variis sociis; 2°. saepius cogitationes impuras in mente volvi circa diversas personas; 3°. semel cum puella tota nocte conversatus sum; 4°. pluries inimicitias in mente nutrivi, de inimico detraxi, et ipsi malum optavi.

2°. Elodia, querula mulier se accusat, quod decies circiter in maritum imprecata fuerit; postea vero detegit, se undecies, vel etiam quindecies fuisse imprecatam. Item confitetur peccatum aliquod detractionis, uti dubium, dicendo: Credo quod detraxerim, sed de hoc dubito. Deinde vero reperit, peccatum illud certo a se patratum fuisse. Proinde dubitat, utrum confessio eorundem peccatorum sit in utroque casu iteranda.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. « Confessio Crispini caret integritate in omnibus, quia neque numerum peccatorum, neque eorum species declarat, nec aliquando satis exprimit, utrum materia sit gravis vel levis. Confessarius igitur supplere debet interrogando sequenti modo:

1°. Quomodo violasti temperantiam? an excedendo in cibo, vel in potu? an usque ad crapulam, vel ad plenam ebrietatem? et quoties? — Cuinam ludo vacasti? an ludo prohibito? iniusto? an cum magna prodigalitate? an pluries? — Quoties blasphemasti? quomodo? — Haec ultima interrogatio saepe erit necessaria ad dignoscendum, utrum revera poenitens blasphemaverit?

2°. Quoties deliberate pravis cogitationibus assensum praebuisti? an etiam prava desideria fovisti? quodnam fuit tuae concupiscentiae obiectum? an personae liberae, vel coniugatae? an cognatae, affinis? an peccata consummata sint vel non?

3°. An conversando tota nocte cum puella pluries et quoties peccasti, vel peccatum consummasti?

4°. Quoties vel quamdiu inimicitias fovisti? an vel quoties mala gravia proximo tuo optasti?

Elodia vero non tenetur accusare peccatum undecimum, utpote comprehensum in hac accusatione *circiter decies*. Tenetur vere exprimere numerum decimum quintum, utpote in praefata locutione non contentum. Tenetur saltem practice loquendo iterum accusare peccatum detractionis, iuxta communem sententiam, quia peccatum certum in accusatione dubia non continetur. V. Comp. n. 472.-480. » Ita P. Gury 428. 429.

Notandum autem hic est, quod, cum interrogationes variae a confessario faciendae onere et incommodo non careant pro confessario et pro poenitente, confessarius saepe ab iis abstinere potest, primo quidem quia ipse tenetur iudicare de auditis secundum sensum obvium, et non tenetur subtilia exquirere; deinde quia saepe licet satis infima peccatorum species non exprimatur, ea tamen saepe satis superque intelligitur ex aliis circumstantiis poenitentis bene noti, vel ex aliis peccatis, quae deinde declarantur. Et sic sufficiens est confessio, « si is quem confessarius novit esse coniugatum, aut sacerdotem, dicat se alienae commiscuisse ». D'Annib. 303.

Deinde quoad Crispini confessionem, nonnullae ex illis interrogationibus, quas sub num. 1°. faciendas tradit P. Gury, revera omitti possunt, cum non contineant gravem peccati speciem, ut, e. g., *Quomodo violasti temperantiam? an excedendo in cibo, vel in potu? an usque ad crapulam vel ad plenam ebrietatem.* Brevius et opportunius confessarius interrogaret: An excessum commisisti in potu usque ad perfectam ebrietatem, vel in cibo usque ad grave sanitatis nocumentum.

Quoad alias interrogationes Crispino faciendas sub num. 2°., notandum est, quod magna cautela procedendum est, ad omne scandalum removendum, praesertim si non de viro, sed de femina agatur. Insuper, ut ipsa constat experientia, quando fideles simpliciter accusant *pravas cogitationes,* eas *a pravis desideriis* distinguunt; unde videntur accusare simplicem delectationem seu complacentiam. Ac quando ita generatim

accusant has *pravas cogitationes* vel pravas delectationes seu complacentias, videtur tunc non dari consensus nisi indeterminatus in veneream delectationem in communi, vel in copulam in communi, et non in hoc vel illud determinatum obiectum. Unde videtur satisfacere suae obligationi confessarius, si poenitentem tantum interroget, ubi opus sit, utrum circa aliam personam alterius sexus delectatus sit. Varia enim obiecta apprehensa in simplicem delectationem non refundant malitiam, nisi in quantum delectant. Atqui ordinarie non delectant, nisi vel mere in quantum commovent spiritus genitales, vel quatenus referantur ad carnalem copulam, ad quam ea commotio naturaliter tendit. Insuper, cum melius sit deficere quoad confessionis integritatem, quam poenitentem scandalizari, haec profecto est piorum confessariorum praxis, abstinere nempe ab ulterioribus interrogationibus. « Dubium hoc, ait Reuter 209., non levem confessariis, qui conantur suo officio exacte fungi, creat molestiam; nam ex una parte communior in scholis sententia habet, quod delectationes simplices, v. g., de copula, osculo, sodomia, bestialitate, pollutione distinguantur specie... ex altera parte periculosum est interrogare poenitentes, *de quo obiecto cogitaverint, et delectati sint.* Facile enim scandalizabuntur, nimiae curiositatis arguent confessarios, et responsa dabunt, quae aures offendant. Et forte ideo communis confessariorum... praxis habet, ut non iubeant poenitentes edicere obiecta venerea, de quibus simpliciter et nude sint delectati... cui nec deest ratio. Nam... licet sint diversa obiecta, adulterium, incestus, fornicatio; attamen simplices delectationes de iis, non ut talibus, sed praecise, ut sunt carnalis copula, specie non differunt. Iam vero delectationes venereae simplices videntur ordinarie ferri praecise in delectabilitatem, ortam ex motu seminis, et spirituum generationi servientium, quae eadem est, sive ex hoc, sive ex illo obiecto cogitato oriatur, proinde videntur non differre specie morali ». Cf. I. M. V. 1. 291. — Quoad autem interrogationem: *an cognatae, affinis;* cum probabiliter incestus cum *consanguineis* et cum *affinibus,* specie non differant, omitti interrogatio poterit quoad hanc praecise distinctionem personae *consanguineae* vel *affinis.* I. M. 711.

Quid vero de Elodia, si bona fide, aliter errasset in numero, eum nempe notabiliter exaggerando? An id in confessione postea declarare deberet? R. Negative. Nam bona fuisset confessio, cum minor numerus in maiori contineatur, et, cum bona egerit fide, exaggeratio illa omni caruit peccato. — Quoad vero peccatum dubium, postea uti certum cognitum, iterum accusandum, ipse P. Gury, in loc. cit. Comp. nempe n. 480. *sat probabilem* dicit sententiam negantem deberi confessionem repeti. Et concludit: « Ita Lugo D. 16. n. 78., Sporer n. 397., Elbel n. 274., Reuter n. 332. etc. » *Practice loquendo* ergo, Elodia ad confessionem iterandam obligari non potest. I. M. 674.

88. — PECCATUM RECENS UT ANTIQUUM DECLARATUM

Paulina, industria mulier, si quando gravius peccet, modum invenit peccatum cum minori verecundia confitendi, ut ex dicendis patebit.

1°. Quondam, cum peccati turpis rea evasisset, confessionem generalem summariam a pluribus annis instituit, et peccatum illud recens

commissum, et nondum declaratum, cum aliis peccatis iam in praecedentibus confessionibus accusatis miscet et confundit.

2°. Alias, culpa lethali recenti inquinata, accusatis peccatis venialibus addit: Me accuso etiam de tali peccato, quod anno praeterito infeliciter patravi.

3°. Alias, recurrente eodem casu, accusatis pariter venialibus, sic concludit: Accuso me de omnibus culpis in tota vita mea commissis, praesertim de tali peccato turpi.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. In primo casu Paulina confessionis integritati satisfacit. Nulla enim, *per se loquendo,* adest obligatio declarandi, se non fuisse antea confessam tale peccatum. Ratio, quia peccatum idem est, sive antea illud quis confessus fuerit, sive non, nisi forte mutatio temporis afferat secum circumstantiam specie diversam. *Per se loquendo,* nisi nempe peccatum sit reservatum, nisi adiuncta adsint occasionis proximae, aut pravae consuetudinis, quae peculiari confessarii cura indigeant. Neque vero obstat, quod poenitens dicat, se velle confessionem generalem facere. Per hoc enim non dicit, se velle confiteri sola peccata antiqua, sed velle se etiam illa comprehendere. Nam confessio generalis omnia peccata complectitur, usque ad hanc horam. Nec refert, quod confessarius, illud intelligat esse peccatum antiquum; poenitens enim hoc non dixit; atque ideo intentio absolvendi non regulatur ab existimatione privata confessarii; qui intendit absolvere a peccatis, quae poenitens detulit ad iudicium, quaecumque illa sint. Denique, non refert, quod poenitens videatur implicite indicare, quod sint peccata antiqua; nam ipse vere habet animum loquendi de peccatis novis, et de illis vult loqui, licet desideret non intelligi quoad hoc a confessario. Lugo D. 16. n. 47. 54.

« In secundo casu, ait P. Gury 435., Paulina non satisfecit integritati confessionis, quia negavit, se recenter peccasse, quod falsum est, et proinde aequivalenter celavit peccatum, hoc ultimo tempore commissum ».

« In tertio casu, ait idem P. Gury l. c., defuit etiam integritati confessionis, quia peccatum recens, ut antiquum accusavit: haec enim formula, in fine confessionis, ordinarie prolata: *Accuso me de peccatis totius vitae,* in sensu communiter accepto, significat, peccata ante ultimam confessionem commissa. Ergo confessarius intelligit peccatum, a poenitente specificatum, ad vitam anteriorem pertinere, et iam accusatum esse. Ergo confessio ista integritate caret. Ergo iteranda est. V. Comp. n. 488 ».

Porro in loc. cit. Comp. notatur non deesse theologos, qui praedictum mendacium leve esse putant. Ac observat deinde cl. Ballerini, quod allatum argumentum limites non excedit mere probabilitatis, quatenus urgeatur ad negandam sufficientiam talis confessionis. « Et sane ut advertit Tamburinus, Exped. Conf. l. 2. C. 1. n. 6., eiusmodi inordinatio, qua videaris accusare peccatum nunquam commissum, et vere commissum tacere, aeque contingit, ultro fatentibus etiam adversariis, ex aliis quoque circumstantiis, quae falso addantur. Ita, v. g., si dicas te occidisse Paulum, cum occideris Andream, aut peccasse cum advena, quando peccasti cum incola, aut furatum esse Lucio, cum furatus sis Caio, aut alicui detraxisse domi, cum detraxeris in via vel theatro, aut

legisse haereticum librum auctoris Melachtonis, cum liber esset Osiandri, aut percussisse Capuccinum, cum percusseris Carmelitam: quae quidem mendacia non obstare sufficienti confessionis integritati inde etiam patet, quod si inadvertenter prolata forte fuerint, nemo poenitentem cogit ad errorem in sequenti confessione emendandum ». Baller. Comp. P. Gury l. c., D'Annib. 309., I. M. 715.

89. — PECCATORUM CIRCUMSTANTIAE

1°. Flavius adolescens pluries furatus est tum patri suo, tum matri, tum eius fratri maiori summam paucarum libellarum. Furtum quidem confessus est, sed omisit illam circumstantiam *patris*, *matris*, *fratris*. Hinc existimat sacrilegam se fecisse confessionem.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Flavius, per se loquendo, et erronea conscientia seclusa, sacrilegam non fecit confessionem ex omissione illius circumstantiae. Iniuriae enim in bonis fortunae, parentibus vel aliis propinquis irrogatae, minime mutant peccati speciem, si casus excipiatur in quo parentes vel fratres pro furti quantitate amitterent id quod eis est ad sustentationem necessarium, et quod filius vel fratres ex pietate ipsis suppeditare tenerentur.

Secus vero esset, si de aliis ageretur iniuriis, e. g., de imprecationibus, contumeliis, etc. in patrem, in matrem, in fratrem, in sororem, etc.; siquidem huiusmodi iniuriae cum speciatim opponantur pietati, quae stricte obligat inter propinquos consanguineos, gravem induunt peccati speciem contra pietatem. G. 456. 457., I. M. 712.

2°. Anatolius parochus, cum infeliciter in peccatum carnis lapsus esset cum Rosaura, ancilla sua, quae simul erat parochiana et filia confessionis seu poenitens, ac postea sacrilege celebrasset, induta laicali veste, ad locum dissitum tendit, confitendi gratia, seque accusat, quod ligatus voto castitatis cum aliqua muliere peccaverit et sacrilege communicaverit. Rosaura autem, cum alio facile divertere non posset, et nota esset omnibus confessariis civitatis, nec auderet cuipiam aperire sua peccata, induta virili veste, sub noctem Oratorium ingreditur, in quo soli viri admittuntur, virilique simulata voce suum peccatum confitetur, inquiens se peccasse cum persona alterius sexus Deo sacra.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Anatolius integre confessus est, omittendo praecise circumstantiam peccati commissi cum *poenitente*. Ratio est, quia confessarius ex officio stricte tantum tenetur ad rectam poenitentis directionem in sacro tribunali. Neque vero ulla ex confessione habetur cognatio inter confessarium et poenitentem. Nova tamen adesset peccati species, nempe sacrilegii, si sollicitatio praecessisset in confessione vel occasione confessionis. Cf. I, M. 713.

Integre etiam confessus est Anatolius, *ancillae* circumstantiam omittendo. Famulatus enim peccati speciem non mutat; cum huiusmodi contractus non nisi ad temporalia sese extendat, ad pretium nempe solvendum pro annuo vel menstruo servitio. Neque vero herus ancillam ad famulatum admittendo, intendit se tanquam ex officio obligare ad spiritualem curam animae ipsius suscipiendam. Secus vero esset, si puella iunior a parentibus heri custodiae explicite committeretur, quia tunc quasi-contractus intercederet.

Integre vero confessus non est Anatolius, circumstantiam *parochianae* omittendo. Ad parochum enim ex officio pertinet oves suas sedulo custodire, et a peccatis avertere.

Neque etiam Anatolius confessionis integritati satisfecit, praetermittendo celebrationem missae in statu peccati mortalis. Dicendo enim tantum, quod sacrilege communicaverit tacuit tum indignam sacrificii celebrationem, tum indignam sibi eucharistiae administrationem. Seclusa autem circumstantia celebrationis missae, probabiliter satisfecit, dicendo se castitatis voto esse ligatum. — G. 458.-461., I. M. 353. 710. 713.

Rosaura sufficienter suum peccatum expressit. Nulla enim erat pro ipsa obligatio confitendi circumstantiam ancillae, parochianae et poenitentis. Convenienter autem carnale peccatum expressit cum sacerdote, qui, solemni castitatis voto, persona Deo sacra est. Neque vero confessionis integritati officit, quod virilem sexum simulet. « Ratio est, quia confessarius audit et absolvit peccatorem praesentem cuiuscumque status, conditionis aut sexus fuerit. Error enim ministri circa sexum poenitentis est quid mere accidentale quoad confessionem et absolutionem. Nam confessarius non debet iudicium ferre de sexu, sed de peccatis; peccata autem pro diverso sexu speciem non mutant. Hoc etiam valet, si mulier confitendo sub specie viri, peccata cum sexu diverso commissa accusaret, quia iudicium confessarii essentialiter non mutatur ». G. 438.

Sed quid, si abortum in se Rosaura procurasset, an satis fuisset dicere: abortum procuravi? Respondetur negative: quia sic non exprimeret, quod *proprio foetui* necem intulisset, et proinde gravissimam peccati speciem contra pietatem reticeret. G. 439.

Verum, si occasio proxima adesset peccati, ut facile in praxi fieri potest, Anatolius omnino tenetur ad eam ancillam dimittendam; et ancilla pariter omnino tenetur ad discedendum ex hac domo. Idemque dicendum, si saltem esset aliorum scandalum ex ipsorum suspicionibus et publicis obmurmurationibus. Inter Casus Conscientiae Bononiensis Dioeceseos Anno 1767. mense Aug. sequens prop. Casus sub num. 1°. « Quidam sacerdos frequentat domum cuiusdam mulieris, sine ullo pravo fine, sed recreationis et honestae amicitiae gratia dumtaxat. Attamen vicini, qui frequentiam observant, finem autem nesciunt, murmurant, et forsan mali aliquid suspicantur. Teneturne sacerdos iste resciens huiusmodi murmur vicinorum se abstinere a frequentanda illa domo? Respondetur affirmative. Ratio est, quia sacerdos ille resciens murmur vicinorum, potest prudenter dubitare tum de gravi aliquo eorum scandalo, tum etiam ne et sui ipsius et illius mulieris fama, ac bonum nomen periclitetur: ideoque ex caritate tum propria tum erga proximum debet statim a frequentanda domo, et conversatione mulieris illius abstinere ».

90. — CAUSAE A CONFESSIONIS INTEGRITATE EXCUSANTES

« 1°. Sigismundus, parochus, sacrum viaticum ad Barbaram moribundam deferens, magna comitante turba, postulat ab ipsa de more, secreto, an quid conscientiam remordeat? Fatetur illa se a 40. annis sacrilege confessam esse; timens autem parochus, ne mirentur assistentes, si diutius cum aegrota sermonem protrahat, audito uno vel altero peccato, eam absolvit et sacra eucharistia reficit.

2°. Claudinus, puer, cum pro prima vice ad sacram mensam, multis stipantibus sociis, accederet, timore sacrilegae communionis correptus, statuit declarare peccatum grave a pluribus annis patratum, et hactenus in confessione celatum. Deficiente confessario ordinario, adit sacerdotem primum sibi obvium, et rem ei uno verbo aperit. Hic propter temporis angustiam et infamiae periculum puerum statim absolvit, praecipiendo ut ad sacram synaxim accedat, postea confessionem ratione integritatis completurus.

Quaer. *Quid ad Casus?*

R. Sigismundus recte processit, nec prudenter alio modo facere potuisset; etenim in tantis rerum angustiis non urget praeceptum integritatis confessionis, propter periculum famae, quod incurrisset moribunda. Igitur in eo casu, auditis praecipuis peccatis, mulier absolvi debuit. Deinde confessario quamprimum ad aegrotam redeundum fuit ad maiorem confessionis integritatem obtinendam, in quantum spectatis circumstantiis id fieri potuit. Lig. 484., Gousset 433.

Claudinus absolvi potuit, et eucharistiam accipere, imperfecta confessione. Ratio enim eadem est, ac in casu praecedenti, scilicet, quia urgebat periculum grave infamiae, excusans hic et nunc a praecepto divino integritatis confessionis. Recte igitur egit confessarius erga Claudinum. Gousset 432 ». G. 436. 437. — I. M. 718. 719.

91. — MANIFESTATIO COMPLICIS

Aegidius, advertens sororem suam a Caio, amasio suo, gravidam esse, actus in rabiem, eam graviter percutit, et sic eius abortum procurat. Facti poenitens, confitetur quidem gravem sororis percussionem, sed circumstantiam eius praegnationis et mortis foetus reticet, ne crimen illius detegat confessario, a quo tam ipse, quam tota familia perfecte cognoscitur.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. « Res difficultate non caret. Ex una parte non apparet, quod peccatum suum in specie declarare possit, quin praefatas circumstantias manifestet. Attamen iuxta plures seorsim utrumque peccatum confiteri valeret, scilicet gravem sororis percussionem, et abortum mulieris procuratum. Nec dicas, quod sic omitteret circumstantiam specificam consanguinitatis quoad foetum occisum; nam, probabiliter, mala tractatio cognatorum non inducit speciem novam peccati, nisi agatur de consangui-

neis lineae rectae in primo et secundo gradu ut dictum est supra n. 457. Porro infans occisus, est in tertio gradu consanguinitatis lineae collateralis, et proinde erga eum non specifice laeditur virtus pietatis. Lugo D. 16. n. 258. seqq., Salmant., etc. Igitur, si loco sororis Aegidius percussisset matrem viduam, per crimen gravidam, ex difficultate se extricare non posset, et omnes circumstantias declarare deberet ». Ita P. Gury 465.

Porro notandum hic est, quod ut habet idem P. Gury 462. 463., potuit quidem Aegidius peccatum accusare, licet declarari non potuerit sine infamia sororis, quae fuit occasio et obiectum peccati. I. M. 720. Insuper, illud quod dicitur, *quod mala tractatio cognatorum non inducit speciem novam peccati, nisi agatur de consanguineis lineae rectae in primo et secundo gradu,* verum non est. Nam etiam mala tractatio cognatorum in propinquiori gradu *lineae collateralis* specificam inducit contra pietatem malitiam, ut habet idem P. Gury loco ab ipso cit., nempe n. 457. Etenim numero hoc 457. continuatur doctrina n. 456. Ibi autem loquens de imprecationibus, de odio et de desiderio vindictae dicit: « Illae iniuriae graves declarandae sunt (in confessione), saltem quando agitur de *propinquitate propiori,* quia est defectus *pietatis* omnino *specialis;* cum opponatur amori reciproco, quem sibi invicem debent proxime coniuncti. Hinc praefatae iniuriae declarari debent: 1°. quoad parentes et filios, imo quoad avos et nepotes, in linea recta; 2°. quoad affines in primo gradu lineae quasi rectae; 3°. item quoad patrinos et filiolos, seu patres et filios spirituales, quia ibi adest *quasi-paternitas* et *quasi-filiatio;* 4°. quoad coniuges, quia, cum sint una caro, debent esse cor unum et anima una; 5°. quoad *fratres* vel affines in primo gradu *lineae collateralis,* quia *coniunctione omnino speciali uniuntur...* — Iniuriae etiam graves inter alios consanguineos et affines probabilius specialem malitiam non contrahunt, licet in gradibus pro matrimonio prohibitis versentur. Ratio est, quia cum sit remotior coniunctio non tantus amor, prae ceteris extraneis ipsis debetur, ut iniuriae istis illatae diversam malitiae speciem constituant ».

Insuper error prorsus est quod asseritur, quod *infans occisus, seu filius sororis est in tertio gradu consanguinitatis lineae collateralis.* Filius sororis, seu *nepos* relate ad suum *avunculum* est ipsi consanguineus *in secundo gradu* lineae collateralis. Et sic ipse P. Gury in Comp. num. 801. ponit hoc exemplum: « Berta consanguinea erit *in secundo gradu* cum *patruo* seu *fratre* patris sui, quia distat duobus gradibus ab stipite communi, nempe ab avo suo, licet *patruus* ipse unico gradu ab eodem stipite separetur, cum sit stipitis filius, seu frater patris Bertae ». Porro quod dicitur de *patruo* valet de *avunculo;* nam *patruus* est collateralis ex parte patris, et avunculus est collateralis ex parte matris, eodem permanente gradu, quia patruus est *frater patris,* et avunculus est frater matris.

92. — IMPOSITIO POENITENTIAE

Theophilus, confessarius, si iterum aliquando poenitentem absolvit, quia, e. g., ille peccatum statim confitetur, cuius fuerat oblitus, in praecedenti confessione, nullam pro nova absolutione imponit novam poenitentiam, sed eandem iam antea impositam.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Theophilus recte non agit. Etenim licet opus aliunde praeceptum bene possit imponi in poenitentiam titulo sacramentalis satisfactionis; non potest tamen imponi opus iam praeceptum eodem hoc titulo satisfactionis sacramentalis. L. 523., G. 511., I. M. 733.

93. — ADIMPLETIO POENITENTIAE

Ubaldus, peracta confessione, pro salutari poenitentia iussus est audire semel missam. Sacro ipse interest, sed cum involuntarie interim distraheretur, statuit eam nunc ex mera devotione audire, et aliam audire missam sequenti die ad poenitentiam implendam.

Quaer. *An Ubaldus teneatur revera aliam missam audire?*

R. Affirmat. P. Gury 520. « Etenim, ait, satisfacit quis *immemor* obligationis, quia censetur habere habitualem intentionem satisfaciendi. Ergo, si excludat hanc intentionem iam non satisfacit, quia non vult satisfacere. Insuper opus satisfactorium, a confessario impositum, habetur instar debiti. Porro, si quis eroget donum immemor debiti, censetur probabilius obligationi iustitiae satisfecisse. Secus vero, si positive voluntatem satisfaciendi excludat. Ergo, a pari, non satisfacit ille, qui excludit intentionem adimplendi poenitentiam ». Verum plures contrarium opinantur, ut notat l. c. ipse P. Gury. Et sane etiam pro poenitentia, imposita a confessario, quae est quaedam privata lex, valet generale principium, quod praecepta non obligant *ad obedientiam formalem,* hoc est ut res fiat *quia* praecipitur, sed dumtaxat *ad materialem,* hoc est, ut fiat quod praecipitur. Scilicet lex non obligat, nisi ad substantiam operis iniuncti. Hoc ergo semel posito, non amplius est in potestate operantis, ut lex dicatur non impleri.

« Neque obstat 1°., quod actus non operetur ultra intentionem agentis: nam *id procedit solum in iis, quae pendent a sola potestate operantis ipsius.* Nec 2°., quod qui debet alteri centum, non satisfacit obligationi, si libera donatione det ducentos. Nec 3°., quod voto obligatus ad recitandum rosarium, si recitet animo non implendi, non satisfaciat. Ratio est, quia *hae et similes obligationes proveniunt ex voluntate promittentis,* qui sicut ab initio debitorem se libere constituit, ita in debito libere remanere potest. Obligatio autem parendi legi provenit ex voluntate legislatoris, ideoque non extenditur ultra eius intentionem et voluntatem, nempe ultra substantiam operis praecepti. Imo adhuc in illis quae procedunt a propria potestate operans satisfaceret sine dicta intentione, modo opus suum alteri fini particulari hic et nunc deliberate non destinaverit; nam quilibet ex generali intentione prius intendit debito satisfacere, quam iis, quae sibi libera sua voluntate imposuit. Quod valet, paritate rationis, etiam de sacramentali satisfactione, si poenitens agat opus a confessario impositum, non tamen intendens poenitentiam implere. Qua doctrina, ait Roncaglia, poterit confessarius saepe occurrere conscientiae scrupulosorum; recitant, v. g., horas cano-

nicas vel poenitentiam sacramentalem, et cum non videatur ipsis haec recitari uti par est, non habent intentionem satisfaciendi, sed intendunt illa repetere: interdicat novam recitationem. Idem dicatur de illo, qui audit missam die festo; cum non videatur ipsi eam audire, ut oportet, intendit novam missam audire; est prohibendum ». Scavini Ed. Mediol. 1874. l. 1. n. 366., Ferraris v. *Lex* art. 4. n. 1.-10., I. M. V. l. n. 215.

94. — POENITENTIAE MUTATIO

Felicitas, peracta generali confessione, apud quendam missionarium, pro salutari poenitentia iubetur tria ieiunia peragere. Ast cum missionarius abiisset, ieiunia praescripta facere nequit, obstante infirma valetudine, necnon stricta medici prohibitione. Hinc ad Geraldum confessarium tendit, poenitentiae mutationem obtinendi gratia. Geraldus illi imperat ut ex integro repetat generalem confessionem, et iterum absolutionem recipiat, quia sententia sacramentalis non nisi in sacramento immutari potest.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Geraldus recte non egit. Etenim primo, cum poenitentia, ex legitimo impedimento, impossibilis evaserit, commutanda necessario non est in aliam. Poenitens enim non amplius tenetur tunc ad executionem poenitentiae, quae impossibilis facta est. Insuper, quamvis poenitentia commutanda fuisset in casu, opus tamen non erat ex integro repetere generalem confessionem; sed sufficiebat vel summaria quaedam confessio, ut confessarius confusam tantum status poenitentis notitiam acquireret, vel etiam sufficiebat tantum prioris poenitentiae cognitio, ut aliam circiter aequivalentem imponeret. Neque vero necesse est etiam, ut poenitentia commutetur in ipso sacramento, seu ut poenitens in ea confessione absolvatur; quia confessio est vere sacramentalis, etiam deficiente sacramento, dummodo fiat in ordine ad sacramentum, alias vel mox recipiendum, si confessarius id opportunum iudicaverit. Sufficit autem, quod poenitens in foro sacramentali constituatur, nec requiritur ut absolutionem recipiat. G. 523.-526., I. M. 745. 746.

Notandum autem hic est, quod habet S. Alph. l. 6. n. 529., videlicet: « Addunt probabiliter Nav., Sporer et Tamb., quod si confessarius advertat poenitentem non implevisse poenitentiam, nec facile impleturum, etiam eo non petente, poterit ei illam commutare ».

95. — POENITENTIAE OBLIVIO

Martha, ingratae memoriae mulier, non raro poenitentiae sibi a confessario iniunctae obliviscitur, ideoque pluribus angitur perplexitatibus. Inter alios casus accipe sequentes:

1°. Quondam Martha poenitentiae sacramentalis immemor, rediit ad confessarium, qui et ipse iniuncti operis iam non recordans aliud subrogavit.

2°. Eodem recurrente oblivionis casu, statuit mulier ad confessarium iterum recurrere, sed abierat, et iam a poenitente amplius adiri non poterat. Quid igitur faciet misera? Pergit ad alium sacerdotem, a quo iubetur confessionem repetere, ut nova poenitentia praescribi valeat.

3°. Alias Martha, taedio et contristatione affecta propter recurrentem adhuc huiusmodi oblivionem, ipsamet sibi opus subrogatorium imponit, et, ad tutius, poenitentiam in praecedenti confessione sibi iniunctam repetit.

4°. Alias nova contorquetur anxietate; postquam enim a confessario recessisset, advertit ipsum hac vice oblitum esse poenitentiam praescribere. Verum, ut ab incommodo illum iterum adeundi liberetur, ipsa aliquod opus adimplendum eligit.

5°. Saepe etiam Martha suam famulam ad confessarium mittit, ab eo petens, ut velit per famulam ei indicare impositam poenitentiam. Confessarius in tali casu famulae respondet: dicas dominae tuae, ut recitet ter *Ave Maria* in honorem B. Mariae V.

Quaer. 1°. *Si poenitens oblitus fuerit poenitentiae iniunctae, teneturne confessarium adire, ut eam resciat?* — 2°. *Teneturne confessionem repetere, ut aliam accipiat?* — 3°. *Si confessarius de poenitentia iniuncta non recordatur, debetne aliam subrogare?* — 4°. *Quid de Martha in variis casibus?*

R. Ad 1^um^. Affirmative, in duplici casu, scilicet, si confessarius merito praesumatur adhuc recordari de poenitentia, tali poenitenti imposita, et si confessarius facile, seu absque notabili incommodo, adiri possit. Ratio est, quia tunc ignorantia poenitentiae non est neque physice neque moraliter invincibilis; et insuper non est ratio sufficiens ab obligatione excusans. Multo autem facilius excusatur poenitens ab illa obligatione adeundi confessarium ad poenitentiam resciendam, si de materia levi agatur. Hinc poenitentes pii, qui non solent graviter peccare, generatim non tenentur confessarium ea de causa adire, nisi, modo peracta confessione, adhuc iuxta sedem confessionalem maneant. — Negative autem in aliis casibus, saltem probabilius, cum sententia communi contra plures. Ratio est, quia poenitentia, quae e memoria excidit, eo ipso impossibilis facta est.

Ad 2^um^. Negative, saltem cum sententia communi. Ratio est: 1°. quia ubi poenitentia tum a poenitente, tum a confessario ignoratur, facta est impossibilis, nec obligare potest; 2°. quia nulla potest esse obligatio, ut peccata semel accusata et directe absoluta iterum clavibus subiiciantur. Nec dicas esse repetendam confessionem, ut poenitentia iniungatur ratione sacramenti integrandi; nam praeceptum integrandi sacramentum non potest obligare cum tanto incommodo, ut communiter advertunt auctores. S. Lig. n. 520.

Ad 3^um^. Nequaquam. Sequitur ex dictis. Poenitentia enim in eo casu facta est impossibilis, et proinde corruit eius obligatio. Neque tenetur confessarius, probabilius, novam poenitentiam subrogare pro alia oblivioni data, etiamsi de statu poenitentis sufficienter recordaretur, propter eandem rationem. Attamen, in praxi expedit, ut aliquod opus saltem leve imponat, ad satisfaciendum devotioni poenitentis vel ad eius anxietates compescendas.

Ad 4^um^. In primo et secundo casu, Martha non fuit obligata ad novam poenitentiam implendam, nec a fortiori ad confessionem iterandam. — In tertio casu, debuit adire confessarium, si facile potuit, et praesumpsit illum poenitentiae praescriptae memorem esse; secus in aliis casibus. Opus autem a seipsa susceptum, nunquam vim satisfactionis sacramentalis habere potest. Attamen bene omnino agit Martha, si confessarius, attenta eius labili memoria, semper eandem poenitentiam solet ei imponere. — In quarto casu, Martha non tenetur adire confessarium cum incommodo suo notabili. Imo, iuxta plures, non constat de obligatione redeundi ad confessarium, si absolute ab eo recessit; quia tunc est completum iudicium sacramentale, et deficit unio moralis inter illud iudicium et poenitentiam iniunctam. — In quinto casu confessarius recte agit ad satisfaciendum devotioni poenitentis et ad eius quietandam anxietatem. Neque ulla inde habetur, ut apparet, sacramentalis sigilli violatio, neque ulla indiscretio, cum mandet tantum per ancillam, ut domina ter recitet in honorem B. V. Mariae angelicam salutationem. — G. 527.530., I. M. 743.

96. — FORMA POENITENTIAE

Pamphilus, confessarius, clericorum audiens confessiones in seminario, nescit utrum debeat addere vel omittere vocem, *suspensionis;* cum praedicti clerici non nisi minoribus ordinibus sint constituti. Rituale enim ait, praedictam vocem omittendam, *si poenitens sit laicus.*

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Praedicta vox, *suspensionis,* omitti potest in casu, cum revera non vigeat talis suspensio. « Si poenitens sit laicus, inquit Reuter Neoconfess. P. 1. C. 7. n. 22., aut ut tenet Gobat et Stoz, in minoribus tantum, omittitur vox, *suspensionis* ». — I. M. 748.

97. — POENITENTIS PRAESENTIA

Remigius confessarius, audita confessione Fugatii, dum eum pie adhortabatur, et postulabat, num esset paratus ad non peccandum, advertit obstupescens illum nullum dare responsum. Respicit, sed neminem cernit; abiit enim poenitens reputans se absolutum. Iterum tunc aspiciens vidit Fugatium, in media turba genibus flexis orantem, et laetabundus confestim eum absolvit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Recte egit Remigius, quia cum poenitens moraliter praesens esset, valida erat absolutio. Imo valida fuisset absolutio, licet confessarius poenitentem non vidisset in media fidelium turba; quia non ideo desiisset esse moraliter praesens. Attamen rectius egisset, si sine scandalo, sub aliquo praetextu, poenitentem ad se revocare potuisset, ut eum convenientius absolveret. Sed non videtur, in Casu, revera defuisse grave incommodum, in poenitente iterum e media turba ad se revocando.

98. — ABSOLUTIO CONDITIONATA DANDA

Claudinus, confessarius, dubie dispositos, sub conditione absolvit in sequentibus casibus: 1°. aegrotos graviter de vita periclitantes, praesertim moribundos, licet multo probabilius indispositos; 2°. milites in exercitum vel pugnam profecturos, et nautas aliosque iter maritimum suscepturos; 3°. sponsos consuetudinarios, iamiam matrimonio iungendos; 4°. viros extraneos, qui vix aut ne vix quidem ad ipsius tribunal reverti poterunt, et statim sunt discessuri; 5°. poenitentes, qui certo vel probabiliter praevidentur non reversuri, etsi reverti possint; imo etiam iuvenes, qui minantur se non reversuros, nisi absolvantur; 6°. pueros septennes, et etiam decennes, et semifatuos, qui probabiliter peccaverunt graviter, nec praebent nisi dubia signa rationis et dispositionis; 7°. ex ponte absolvit nautas ac reliquos in navi contentos, qui inopinato naufragio, in aquas fluminis immergebantur; 8°. militem, qui in duello confixus, moribundus et sensibus destitutus iacebat; 9°. haereticum in nosocomio moribundum, sensibus destitutum et cum morte luctantem.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Claudinus recte egit, in primis quatuor casibus; quia ex una parte positive non constat de poenitentium indispositione, ex altera vero, cum in periculo salutis et in casu necessitatis reperiantur, consulit meliori quo potest modo eorum spirituali bono. Male egit vero, absolvendo viros vel iuvenes in quinto casu ex eo quod minati fuerint, se non esse reversuros, licet facile reverti possent. Hoc enim indispositionis signum indubium videtur. Quoad eos autem qui, seclusis minis, reapse praevidebantur non reversuri, si dimissi fuissent sine absolutione, solutio pendet ex variis particularium casuum circumstantiis. In sexto casu, debuisset eos prius disponere in quantum fieri poterat; perseverante autem dubio eosdem sub conditione poterat absolvere praesertim urgente annuae confessionis praecepto. — G. 395. 396.

In septimo casu potuit et debuit ex caritate miseros illos naufragos sub conditione absolvere. Ratio est, quia moribundi illi erant moraliter praesentes, et supponi poterant velle confiteri et dare signa doloris, in casu quo a sacerdote cernerentur. Saltem inter omnes unus vel alter potuit esse vere dispositus, et praebere omnes conditiones requisitas, ut sacramentum poenitentiae, in tanta extremitate, valere et applicari posset. Verum sacerdos debuisset alta voce eos acclamare, et uno verbo adhortari ad contritionem, eamque ipsis suggerere. Formam autem adhibere debuisset in numero plurali: *Ego vos absolvo a peccatis vestris*, etc. Elbel 37. — Quid vero, si sacerdos statim post naufragium nullum amplius ex submersis vidisset? Nihilominus absolutionem conditionalem adhuc eis impertire potuisset, modo eos adhuc moraliter praesentes prudenter existimaverit, quia poterat adhuc in eo casu apparere spes validitatis, et fructus inde percipiendi. Secus autem dicendum est, si ob impetum fluminis, adeo usque dilapsi essent, ut iam sacerdotem ipsis acclamantem non amplius percipere possent. G. 391.

In octavo casu laudandus videtur Claudinus, quippe qui, in quantum poterat misero subvenit peccatori. Absolute enim fieri potuit, ut dispositus fuerit, et aliquo modo confiteri voluerit. Sed debuisset primum ipsi acclamare, ut eum ad contritionem dispositum, nec non ad confitendum qualicumque modo adhortaretur, si forte ab ipso audiretur. G. 486. Cf. Commentar. Moribundor. absolutione et assistentia.

In nono casu laudandus etiam videtur Claudinus. Ratio est, quia, si positive de contrario non constet, praesumi potest, quod hic et nunc velit in Religione catholica mori, et consequenter confiteri et absolvi. Hoc enim absolute fieri potest. Certe unus talis saltem inter centum millia potest reperiri? In casu autem necessitatis licet uti opinione etiam tenuiter probabili in favorem hominis periclitantis. Negat quidem S. Alph. n. 483. inquiens: « Haeretici, etiamsi in eo casu dent signa poenitentiae, non debent absolvi, nisi expresse absolutionem petant, quia tales nunquam prudenter praesumi valent ea signa praebere in ordine ad confessionem, a qua summopere abhorrent ». Verum certum est, dari haereticos mere materiales, et qui praedictum confessionis odium non habent. Non constabat autem, in Casu, praedictum moribundum esse haereticum formalem, et spes aliqua haberi poterat licet tenuissima valoris absolutionis conferendae. Ac huiusmodi haeretici materiales sub conditione possunt absolvi, etiamsi non sint sensibus destituti, et dummodo constet eos in mala fide non versari. Exhortandi tamen hi sunt ad actum contritionis eliciendum, et meliori quo fieri potest modo ad generalem quandam peccatorum confessionem. Quin imo theologi non desunt, qui beneficium absolutionis extendunt etiam ad haereticos formales, qui sint sensibus destituti. Impossibile enim non est quod haereticus formali in mortis periculo convertatur, et deinde sensuum usu privetur. — La-Croix 1866., Elbel 212. 214., Reuter Neoconfessar. 203., G. 488.-491., Génnari Consultaz. Mor. Can. Lit. P. 1. Cons. 58., M. E. V. 6. P. 2. p. 107. seqq. — I. M. 751.-754.

99. — ABSOLUTIO CONDITIONATA DECLARANDA

Albinus, confessarius, absolvit conditionaliter, iusta de causa Iacobum, dubie dispositum. Hic autem iamiam recessurus, nescio quo fato quaerit a confessario, utrum absolutus fuerit. Attonitus ille respondet titubans affirmative, non audens declarare, se conditionatam tantum absolutionem dedisse. Possum igitur communicare? iterum interrogat poenitens. En nova difficultas; et iterum titubans Albinus respondet negative. Miratur Iacobus, et rationem negationis indignabundus sciscitatur. Confessarius autem, ut sese a tantis angustiis expediat, consentit, ut poenitens sacram synaxim suscipiat, poenitentem benigne exhortans, ut ante communionem repetat ex corde actus fidei, spei, caritatis, contritionis.

Quaer. 1°. *An oporteat vel conveniat, ut poenitentes, sub conditione absoluti, moneantur?* — 2°. *An confessarius in tali casu debeat eos a Communione prohibere, vel possit eam positive vel negative permittere?* — 3°. *Quid de Albino?*

R. Ad 1^{um}. Neque oportet, neque expedit, ut confessarius poenitentem moneat, eum conditionaliter tantum absolutum fuisse; quia ex hac

admonitione nullum bonum et multa incommoda subsequi possunt. Inde enim poenitentis anxietas et perturbatio, ac confessarii ambages exoriuntur. Neque vero ullum adest pro poenitente damnum. Nam, si postea alias confiteatur, haec peccata indirecte in ipsa confessione remittentur, si vere non fuerint remissa. Si non confiteatur, et peccata revera non fuerint remissa, et periculum adsit pro poenitente, illud profecto ex eius negligentia et mala voluntate est, confessionem praetermittente, minime vero ex conditionata absolutione. Qua e contra non data, si forte sit dispositus, cum res dubia sit, salutis periculo poenitens obiicitur.

Ad 2^{um}. Confessarius, qui poenitentem conditionaliter absolvit, neque eum ad communionem impellere, neque ab ea retrahere debet. Taceat ipse, et poenitens faciat quidquid ei libuerit. Etenim, si bona fide accedat ad eucharistiam, potest etiam primam gratiam communicando accipere, si mala fide, nempe quia se indispositum sentit, ipse in periculum se voluntarie iniicit.

Ad 3^{um}. Ad primam poenitentis quaestionem respondere debuisset Albinus *affirmative,* absque ulla haesitatione, cum reapse absolverit in quantum ferebant poenitentis dispositiones. Ad secundam quaestionem debuisset poenitenti respondere, rem totam ipsius arbitrio relinqui. Cum autem consensum Albinus in communionem positive praestiterit, bene quidem fecit poenitentem exhortando ad actus caritatis et contritionis, ne forte sacrilege communionem reciperet. G. 392.-394.

100. — CONFESSARII APPROBATIO

« Candidus, neo–sacerdos, vocatus fuit ad examen doctrinae subeundum pro audiendis confessionibus. Peracto examine, vota singulorum examinatorum scripta et signata traduntur vicario generali, qui, absente episcopo, concilii ecclesiastici praeses et director erat. Is vero non dubitans de sacerdotis idoneitate, statim illum misit veluti alicuius parochi cooperatorem, ut, instante proxima festivitate, confessiones exciperet. Verum, reseratis postea examinatorum votis in proxima concilii sessione, Candidus inventus est minus habens, seu ab examinatoribus reprobatus. Quamobrem illico revocatus, usquedum in doctrina morali magis proficeret a munere confessiones audiendi suspensus fuit.

Quaer. 1°. *An Candidus valide poenitentes absolverit?* — 2°. *Quid, si ipse suum doctrinae defectum noverit, vel etiam se in examine defecisse probe sciverit?* — 3°. *Quid, si post suspensionem adhuc plures absolverit?* — 4°. *An fideles, detecto errore, teneantur confessiones Candido factas apud alium repetere?*

R. Ad 1^{um}. Candidus valide absolvit antequam ab audiendis confessionibus prohiberetur. Ratio est 1°., quia fuit simpliciter a superiore approbatus, licet hic ex errore approbaverit; 2°. quia, ubi intervenit error communis cum titulo colorato, Ecclesia certo defectum approbationis supplet, ut dicunt communiter theologi. Atqui in nostro casu intervenit talis error communis cum titulo colorato, scilicet cum titulo iurisdictionis a superiore collatae. Ergo, etc.

Ad 2^um^. In hac hypothesi, peccasset quidem ille graviter, suscipiendo tantum munus, licet se incapacem cognovisset; attamen validae semper fuissent confessiones, quia approbatio superioris et error communis fidelium cum titulo colorato, eodem modo subsisterent.

Ad 3^um^. Etiam in hoc casu Candidus valide absolvisset, si suspensio populo non innotuisset; quia adhuc error communis perseverasset, licet titulus coloratus defecisset; error enim communis etiam sine titulo colorato, probabilius efficit, ut Ecclesia pia mater, supplere velit, ne multi pereant. Lig. 572.

Ad 4^um^. Negative prorsus. Ratio est, quia ex dictis confessiones illae validae fuerunt, ex eo quod Ecclesia iurisdictionem suppleverit, stante errore communi. Confessiones autem semel validae, nunquam necessario repetendae sunt. Etenim circumstantia erroris, postea detecti, efficere nequit, ut invalidum fiat id quod prius validum fuit. Ergo, etc. Elbel 320., Lig. 572 ». Ita P. Gury 542.-544.

Verum in responsione ad 1^um^. ad 2^um^. et ad 4^um^. frustra videtur in medium proferri *error communis*, cum certo adfuerit in casu superioris approbatio, et cum approbatione collata iurisdictio. I. M. 755. 756.

101. — PAROCHI APPROBATIO

Ugolinus parochus, confessionem extra dioecesim audit, sine ulla approbatione Ordinarii loci, Sempronii sui parochiani et Nemesii sui condioecesani. Illum absolvit a peccatis reservatis in propria dioecesi, et a peccatis reservatis in loco confessionis; hunc vero absolvit tantum a peccatis venialibus.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Ugolinus extra dioecesim existens recte quidem agit audiens confessionem sui parochiani, minime vero audiens confessionem sui condioecesani. Ad illam enim confessionem audiendam non indiget approbatione Ordinarii loci; ad hanc vero praedicta indiget approbatione, ut eruitur aperte ex Trid. S. 23. C. 15. de R. — Hinc suum parochianum recte etiam absolvit a peccatis reservatis in loco confessionis, minime vero a reservatis in propria dioecesi. Suum enim parochianum absolvit iurisdictione tantum, quam habet reservatione restrictam a proprio Ordinario. D'Annib. P. 1. n. 78. — Condioecesanum autem, non suum parochianum, illicite et invalide quidem absolveret a peccatis gravibus, sine approbatione episcopi loci. Sed a venialibus tantum absolvit certe illicite; an vero etiam invalide, certum non est. Cf. I. M. 757.

102. — CANONICI PAROCHI APPROBATIO

Cura habitualis existit apud capitulum cathedralis Ecclesiae civitatis NN. Hinc archypresbyter singulis mensibus canonicum designat, qui per mensem parochialia munera exerceat. Id quidem canonici praestant, archypresbyteri accepto mandato, quin tamen approbationem Ordinarii loci unquam petierint et obtinuerint. Quin imo etiam expleto mense exercitii curae parochialis, pergunt singuli canonici audire confessiones, sine ulla Ordinarii loci approbatione.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Canonici Ecclesiae cathedralis, si haec curata sit, et habitualis cura animarum sit pene capitulum, indigent approbatione episcopi, praevio etiam examine, si ita Ordinarius iudicaverit, ad confessiones audiendas sive cum, suo tempore, animarum curam designati exercent, sive cum confessiones audiunt extra praedictum tempus. Constat ex Resp. S. C. C. 1. Apr. 1876., A. S. S. V. 9. p. 550., et aperte eruitur ex Trid. S. 23. C. 15. de R. Etenim praedicti canonici neque ordinariam neque delegatam habent iurisdictionem. Non ordinariam, quae vi officii communicatur; quia parochiale beneficium non habent: non delegatam, quia certum est, eos approbationem ab Ordinario non obtinuisse. Quando canonici actu animarum curam exercent, suo mense, ex mandato archypresbyteri, parochi tunc non evadunt, sed sunt tantum vicarii temporanei, ad ipsius capituli vel archypresbyteri nutum amovibiles. — Stante vero errore communi, poenitentes, quorum confessiones hactenus canonici audierunt, inquietandi non sunt. — I. M. 757. 766.

103. — APPROBATIO ORDINARII LOCI

« Episcopus Ostiensis, v. g., Romae adest, ubi etiam sunt aliqui cives ostienses, qui procul dubio possunt Romae confiteri confessariis a Vicario Romano approbatis. Sed tamen illi vellent confiteri alteri sacerdoti romano, qui non est approbatus ab Ordinario Romano, et ideo petunt ab episcopo ostiensi, ut eum approbet pro suis subditis audiendis. Quod tamen fieri non posse, dixi *disp. 21. de Poenitentia, num. 37.* ubi concessi, posse ad hunc effectum approbari Romae ab episcopo ostiensi sacerdotem ostiensem ibidem existentem, qui adhuc sit subditus eiusdem episcopi: non tamen posse approbari romanum sacerdotem Romae degentem, qui non sit subditus episcopi ostiensis. Hac vero occasione quaesitum est a me, cur id negarem, cum aliunde approbatio confessarii sit actus iurisdictionis voluntariae, atque adeo possit ab Episcopo extra suam dioecesim exerceri? Quare sicut potest episcopus ostiensis approbare sacerdotem romanum Ostiae existentem, ut Ostiae confessiones audiat; sic videtur posse eundem approbare Romae existentem, ut confessiones civium ostiensium Romae audiat.

Respondi tamen, id fieri non posse, ut loco citato probaveram: quod rursus probari potest ex declaratione Congregationis Concilii Tridentini illo loco adducta, qua Eminentissimi Patres dixerunt, episcopum ipsum in aliena dioecesi commorantem non posse confiteri sacerdoti alieno non approbato ab Ordinario illius loci, in quo fit confessio. Si ergo episcopus ipse non potest sibi eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario loci, in quo est; minus poterit eum suis subditis assignare. Si enim posset sacerdotem romanum Romae approbare ad confessiones ostiensium Romae audiendas, posset utique ipse episcopus ostiensis eidem confiteri, cum non minus ipse sit ostiensis, quam sui subditi: quare si ipse non potest, nec cives ostienses poterunt illi sacerdoti confiteri.

Ratio autem a priori ex dictis loco citato haec est, quia confessarius ex decreto Tridentini debet esse approbatus a suo Ordinario: in casu

autem posito sacerdos romanus Romae existens non esset approbatus a suo Ordinario : nam episcopus ostiensis non est Ordinarius sacerdotis romani, nec eum potest punire, etiamsi Romae circa confessiones ostiensium audiendas delinqueret, sed solum is poterit puniri ab Ordinario Romano. Posset quidem episcopus ostiensis sacerdotem ostiensem Romae commorantem punire, ut volunt Gonzalez *in regulam 8. Cancellariae, gloss. 62. num. 11.* et Barbosa *de officio et potestate Episcopi, alleg. 6. num. 17.* posset etiam punire sacerdotem romanum Ostiae commorantem, et ibi approbatum, si ibi circa confessiones delinqueret, et ideo sive sacerdos ostiensis Romae commoretur, sive sacerdos romanus sit Ostiae, utriusque potest dici Ordinarius episcopus ostiensis, cum utrumque possit punire, et ideo uterque dicetur approbatus a suo Ordinario, si approbatur ab episcopo ostiensi : non est tamen Ordinarius sacerdotis romani Romae commorantis, quia superior et subditus sunt correlativi, et non potest sacerdos ille romanus Romae existens censeri subditus episcopi ostiensis, a quo nullo modo coërceri, et puniri potest ». Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 17.

Verum non videtur posse episcopum ostiensem, in casu, approbare Romae sacerdotem ostiensem. Etenim Concil. Trid. revera non dicit, quod *confessarius debet esse approbatus a suo Ordinario,* sed dicit generatim, *nullum posse confessiones audire, nisi aut parochiale beneficium, aut* AB EPISCOPIS *idoneus iudicetur, et approbationem obtineat.* Hinc inter theologos disputatum est, utrum approbatio danda sit *ab Ordinario sacerdotis,* quia iurisdictio non nisi subdito dari potest; an *ab Ordinario poenitentis,* quia non potest exerceri nisi in subditos; an *ab Ordinario loci,* quia iurisdictio in proprio territorio exercetur. Primum a iure et a praxi alienum est. Episcopi enim sinunt, simplices sacerdotes, peregrinos et hospites, confessiones in propriis dioecesibus audire. Alterum communius olim fuit ex antiqua disciplina, qua venia dabatur discedendi, et tacite venia etiam sacramenta recipiendi ab alienis sacerdotibus. Tertium iure in presenti vigenti omnino tenendum est. Innoc. XII. C. *Cum sicut* 10. Apr. 1700., Bened. XIV. C. *Apostolica,* C. *Benedictus Deus.* Et tantum abest a veritate, ut peregrini hodie absolvantur non nisi ex tacita delegatione proprii Ordinarii, ut cum quidam episcopus et serius Synodus Midensis, eis vetuissent confiteri in paschate, praeterquam proprio parocho vel de eius licentia, S. C. C. 5. Aprilis 1584. censuit, decreta *illius nullo modo esse observanda.* Cf. Bened. XIV. De Syn. l. 11. C. 14. n. 6. Et S. C. de P. F. 17. Sept. 1792., Collect. n. 928., decrevit: « tolerari non posse obligationem impositam parochianis sese sacramentaliter confitendi proprio parocho, aut alii presbytero, de eius tamen licentia, tempore paschali ». Itemque, cum alicui conceditur in praesenti facultas eligendi sibi confessarium *ex approbatis ab Ordinario,* absolutio irrita est, nisi confessarius sit ex approbatis *ab Ordinario loci.* — I. M. 759.

104. — IURISDICTIO PRAESUMPTA

« Loelius, vicarius, advertit Sabbato Sancto effluxisse tempus, pro quo fuerat approbatus. Nuntium igitur mittit ad vicarium generalem, cui notissimus et familiaris erat, prorogationem approbationis postulandi

causa. Persuasum vero habens gratiam postulatam certo sibi concedendam esse, ut reipsa concessa fuit, excipit confessiones pluribus horis ante nuntii reditum.

Quaer. *An Loelius valide et licite egerit?*

R. Loelius valide quidem absolvit, licet iurisdictione destitutus, stante errore communi; sed graviter peccavit audiendo confessiones absque debita facultate, et cogendo Ecclesiam ad supplendum, quia non licet absolvere ex iurisdictione tantum praesumpta. Insuper fieri poterat, ut Superior ex aliqua causa ignota postulatam facultatem esset denegaturus; vel ut esset absens, etc. ». Ita P. Gury 548.

Practice loquendo, *non licet* quidem absolvere ex iurisdictione tantum praesumpta; quia sacramentum exponitur periculo nullitatis, si revera iurisdictio propter quamcumque causam non concedatur. Verum, si, ut in casu, iurisdictio revera concedatur, et concessa sit quando confessiones quis incipit audire, invalidane est absolutio data cum tali iurisdictione, rationabiliter praesumpta? praesumpta nempe de praesenti, et non de futuro, seu interpretativa, praesumptioni veritate a parte rei respondente. Porro valida *videtur* absolutio; nam licet non habeatur adhuc certa notitia *a posteriori* concessae iurisdictionis, habetur tamen iurisdictio, siquidem, absolute loquendo, ad habendam iurisdictionem non requiritur eius notitia, cum totus eius effectus a superioris pendeat voluntate, subditos constituentis. Et sic, licet simplex confessarius credat se iurisdictione carere etiam in articulo mortis, si tamen casu occurrente vere velit absolvere, valide absolvit. Itemque, « si parochus, rogante Sempronio, sinat alienum sacerdotem adesse matrimonio, isque, et petitionis et concessionis ignarus, adstiterit, standum erit pro valore actus ». D'Annib. P. 1. n. 225., Laymann De Legib. C. 23. n. 10., I. M. V. 1. n. 249., V. 2. n. 760.

Card. De Lugo pertractans quaestionem de iurisdictione praesumpta, D. 19. n. 23., inquit: « Si voluntas praesumpta sit voluntas in superiore quidem *existens,* sed non sufficienter explicata, distinguendum est. Nam si sit *mere interna,* et nullo externo signo prodita, nihil operatur; tum quia iurisdictio humano modo non datur, nisi per signa humana; tum etiam, quia hoc sacramentum debet esse signum sensibile, in quo sicut forma debet esse sensibilis, ita et potestas ministri. Non est autem sensibilis, si solum fundetur in voluntate interna superioris nullo signo sensibili manifestata. Si vero illa voluntas praesumpta *manifestetur aliquo signo externo,* licet non omnino explicito; tunc sufficiet ad valorem absolutionis. Qualia autem debeant esse illa signa, pendet ex circumstantiis et iudicio prudentis. Addit Suarez D. 26. S. 1. n. 17. etiamsi talia signa faciant probabilem existimationem de praesenti consensu delegantis, non esse tali iurisdictione utendum, nisi ubi non est opportunitas clarius et expressius cognoscendi voluntatem superioris, et aliunde est sufficiens causa administrandi sacramentum. Hoc tamen adversatur communi sententiae, quam defendit ipse Suarez D. 26. S. 6., quod liceat cum iurisdictione et potestate probabili ministrare hoc sacramentum ». *Signa,* non omnino explicita, de quibus agit Lugo et Suarez, signa praesentia sunt et manifesta actu confessario. Quare revera non videtur agi

de iurisdictione per epistolam petita. Sed, cum illa notitia iurisdictionis concessae necessaria ad summum non sit, nisi ad acceptationem eiusdem iurisdictionis, et acceptatio sufficienter intelligitur per ipsam petitionem et epistolam a confessario missam, non videtur, quod ideo actus ut invalidus sit habendus.

Quin imo Dñus Gousset 478. ait: « Pour absoudre *validement*, ce n'est assez d'être sûr que l'évêque donnerait des pouvoirs, si on le lui demandait; car autre chose est qu'un évêque *accorderait*, autre chose est qu'il *accorde* réellement la juridiction. Une simple présomption ne suffit pas; mais s'il y a lieu de croire que l'évêque *accorde* réellement les pouvoirs pour telle ou telle circonstance actuelle l'absolution est valide ».

Ac idem dicendum videtur, si non agatur de iurisdictione per epistolam petita, sed de iurisdictione petita per nuncium. Et sic Schmalzgr. l. 4. tit. 3. n. 206. inquit: « Matrimonium coram eiusmodi sacerdote celebratum valet, etiam nondum sciat licentiam sibi concessam esse; sed tantum ex coniectura temporis illud colligat. Ratio est, quia tunc licentia data acceptata censetur hoc ipso, quod is cui data est, vel alius ipsius nomine et ipso conscio petierit. Ex quo sequitur valide celebrari matrimonium coram sacerdote eo tempore, quo nuntius ferens litteras concessionis licentiae ab ipso petitae, adhuc est in via, etsi sacerdos ipse ignoret eam sibi esse concessam. Dixi *valide celebrari;* nam ante notitiam licentiae sibi concessae illicite ipse assistet matrimonio, quod sic assistendo exponat sacramentum matrimonii, coram se contractum periculo nullitatis ».

Idemque multo magis dicendum est, si iurisdictio non per simplicem nuntium, sed per procuratorem petatur, et nondum redierit et notitiam mandanti communicaverit. Ratio est, quia cum procurator mandantis personam gerat perinde res est, ac si inter praesentes acta fuisset. — D'Annib. P. 1. n. 224., Sanch. l. 3. D. 36. n. 6.–8., Reiffenst. l. 5. t. 33. n. 41. seqq., Tambur. Tr. de Casib. reserv. C. 9. § 1. n. 10. 21., Bertagna De Casuum reservat. pag. 153. seqq.

105. — IURISDICTIO DUBIA

« Casimirus confessarius, dum alacriter ad excipiendas confessiones incumbit, dubitare coepit, an tempus iurisdictionis sibi concessae iam expiraverit, necne. Dubium autem resolvere non potest, quia litteras episcopales amisit. Nihilominus indubius pergit confessiones audire et absolvere, hoc innixus principio: In iurisdictione dubia, vel probabili, certo supplet Ecclesia. Subinde vero, scrupulo motus, statuit a confessionibus abstinere, donec facultatis renovationem obtinuerit. Interea tamen, enixe rogatus, plures adhuc poenitentes absolvit, scilicet parochum die festo celebraturum, et anxietate agitatum; mulierem partu difficili laborantem, et a parocho abhorrentem; virum cuius confessionem iam inceperat, et qui diutius in statu peccati mortalis, absque maxima molestia, perseverare non poterat, et alios similes.

Quaer. *Quid de ratione agendi Casimiri?*

R. Casimirus male fecit *in primo casu* absolvendo cum iurisdictione (practice vel negative) *dubia*, cum nulla urgeret necessitas, seu gravis causa. Non enim verum est, Ecclesiam certo supplere in iurisdictione

dubia, seclusa causa gravi, siquidem hoc communius a theologis negatur. Attamen valide absolvit, quia in tali casu Ecclesia iurisdictionem, saltem ob errorem communem, supplet. Licite etiam absolvere potuit, si, efformata conscientia, *probabiliter* putavit, se iurisdictione non destitui. Valide autem et licite egit absolvendo *in casibus posterioribus,* quia causa gravis absolvendi urgebat, et proinde merito Ecclesia censebatur supplere iurisdictionem. Sic docet S. Lig. 573. ». — Ita P. Gury 550.

In *primo casu* P. Gury implicite asserere videtur Ecclesiam probabiliter iurisdictionem supplere, stante iurisdictione negative *dubia;* certo vero supplere stante iurisdictione positive dubia; eamque supplere aperte asserit in posterioribus necessitatis casibus, stante dubia iurisdictione, concludens sic docere S. Alph. 573. sed hoc loco S. D. non loquitur de iurisdictione vere *dubia,* sed *probabili,* quae bene diversa est. Ecclesia quidem iurisdictionem supplet in duplici casu: 1°. cum subest *error communis,* propter commune bonum, Lig. 572.; 2°. cum subest *opinio probabilis* in dubio *iuris,* propter idem commune bonum, Lig. 573., Suarez D. 26. S. 6. n. 7., Lugo D. 19. n. 29., non item in dubio *facti,* v. g., si is, cui mandata fuit ad arbitrium voluntatis *ipsius personae,* vel ad certum tempus, dubitet ne forte mortuus sit is qui mandavit, aut ne definitum tempus praeterierit. Licet tamen in dubio hoc etiam negativo *facti* absolutionem dare, si « negata absolutione, notabile detrimentum immineret animae poenitentis », Lig. 431., vel si dubium exoriatur postquam poenitens peccata sua coepit confiteri, « quia huic iam quaesitum est ius ad absolutionem obtinendam », D'Annib. 321. Verum, in utroque casu, absolutio danda erit sub conditione, propter sacramenti reverentiam; et de ea poenitens, si mortalia fuerit confessus, admoneatur, ut, si postmodum forte notum fiat, quod confessarius revera carebat iurisdictione, poenitens iterum confiteatur peccata illa ut debet, et rite suae prospiciat saluti, Lig. 432. 571.

Verum, si *de dubio facti,* et de dubio *negativo* agatur, Busemb. apud S. Alph., et S. Alph. n. 571. aperte admittunt modo expositam doctrinam, praecedenti paragrapho. Si vero iterum agatur *de dubio facti, et de dubio positivo,* Busemb. apud S. Alph. n. 571. tenet in eo casu Ecclesiam supplere iurisdictionem. « Quod si tamen, ait, ex probabili ratione dubium resolvat, nimirum habere se iurisdictionem, etsi cum formidine oppositi, absolute absolvit licite, tum quia tunc practice, et moraliter est certus; tum quia Papa eo casu dat facultatem ». Idem implicite tenere videtur S. Alph. n. cit. 571., idemque tradere aperte videtur n. 573., sed cum limitatione necessitatis seu utilitatis. Tractat utique ibid. S. D. quaestionem generalem: « An liceat administrare sacramentum poenitentiae cum iurisdictione tantum probabili ». Affert varias sententias, et deinde sententiam ipse amplectitur, quae dicit, « licitum quidem esse ministrare hoc sacramentum poenitentiae cum iurisdictione probabili, sed non nisi quando adest causa gravis necessitatis, aut magnae utilitatis, vel causa rationabilis ». Verum, quamvis ita generatim, S. D. loquatur de iurisdictione probabili, videtur tamen in mente habuisse potius probabilitatem *facti* quam *iuris,* ex allatis deinde exemplis. Mox enim subdit: « Huiusmodi causa accidit: 1°. quando poenitens indigeat auxilio sive consilio *illius confessarii.* 2°. Si complex peccati poenitentis sit notus apud *confessarium, qui certa pollet iurisdictione, et*

ignotus apud confessarium habentem solam probabilem. 3°. *Si confessarius, qui habet iurisdictionem probabilem* prudenter timeat, poenitentem non facturum confessionem integram apud eum, qui certam habet. 4°. Addit Sporer, ne poenitens incidat in aliquam aversionem, vel damnosam suspicionem *confessarii certi.* 5°. Si urgeat praeceptum confessionis, aut singularis indulgentia lucranda, vel quia diu quis non poterit confiteri ».

D'Annib. P. 1. n. 80. de iurisdictione generatim loquens ait « suppletur in re dubia, modo dubium sit non mere *negativum,* sed *positivum* et vere probabile. *Non negativum,* v. g., si dubitem, eo magis si ignorem, an mihi mandata fuerit iurisdictio; sed *positivum,* seu *iuris,* puta, an Ecclesia suppleat iurisdictionem cum solo errore communi...; seu *facti,* secus ac olim censui, ut si mihi iurisdictio mandata fuit ad certum tempus... an tempus praeterierit. Ratio est, quia ita consuetudine est introductum, et consuetudine iurisdictionem acquiri posse explorati iuris est ». Verum P. 3. num. 321., edita tamen post mortem Emi Card., absolute affirmat Ecclesiam iurisdictionem supplere cum adest opinio probabilis in dubio *iuris,* minime vero in dubio *facti.* Et sane, ut argumentatur Suaresius D. 26. S. 1. n. 7. in dubio *iuris,* seu *communis quaestionis iuris,* « ignorantia quae oritur ex sententia probabili doctorum, est communis et publica, et communi populo nocere posset, si in re ipsa ministri carerent iurisdictione. Et ideo non licet argumentari ad privatas ignorantias vel errores, qui *in particularibus factis intervenire possunt,* quia non pertinet ad bonam gubernationem, ut iis omnibus provideatur, quod fieri non posset sine aliis maioribus incommodis: providere autem communi et publicae necessitati, est valde conveniens et necessarium ». — I. M. 770. 771.

106. — IURISDICTIONIS LIMITATIO

Leonardus, sacerdos in dioecesi approbatus, multos absolvit poenitentes, etiam tempore paschali, invitis parochis. Id etiam agere pergit postquam episcopus prohibuit, ne fideles, tempore paschali, cuipiam extra parochiam confiteantur absque parochi licentia.

Quaer. *An Leonardus valide absolverit, invitis parochis? An invito dioecesis episcopo?*

R. « 1°. Leonardus valide absolvit, invitis parochis, etiam tempore paschali; quia, ex interpretatione communi, *proprius sacerdos cui fideles semel in anno confiteri debent,* intelligitur quilibet sacerdos approbatus. 2°. Non posset valide absolvere, tempore paschali, si episcopus statueret, ut solis parochis parochiani confiteantur; quia episcopus valide iurisdictionem restringere potest ». Ita Gury 540. Verum huiusmodi Statutum esset primo contra communem praxim et consuetudinem. Insuper prohibitum iam est pluribus Decretis SS. Congregationum, iisque declaratum est *tolerari non posse.* Cf. Cas. 103.

« La S. Sede ha ritenuto sempre la massima, che non si deve vincolare in alcun modo la libertà de' cristiani in un punto così delicato, quale è la sacramentale confessione, ed ha voluto sempre, che fosse lecito a ciascuno di manifestare le sue colpe a quello tra i sacri ministri approvati, che gli fosse più a grado. Non ha egualmente mai proibito

ad un confessore approvato di ascoltare nella propria Chiesa la confessione di qualunque siasi cattolico, che si presentasse al sacro tribunale. Così non è proibito ai cristiani di una diocesi passare in un' altra per ivi confessarsi. Inoltre sebbene per l'adempimento del precetto pasquale deve ogni cristiano fare la sua Communione nella propria parrocchia, non ha però alcun obligo di confessarsi in tale occasione al proprio parroco. Questa è stata sempre ed è la massima, la pratica tenuta dalla S. Sede. Non si è fatta poi mai alcuna distinzione di rito, giacchè l'amministrazione di tal sacramento non porta seco alcun cambiamento di rito; che anzi la stessa S. Sede, quante volte si è mosso alcun dubbio su tal particolare, ha dichiarato, che non devesi fare in tal genere alcuna limitazione. Quindi nel 1626. 5. di Giugno vietò severamente ad alcuni Vescovi latini d'impedire i loro sudditi di confessarsi dai sacerdoti ruteni e viceversa ». S. C. de P. F. 2. Iun. 1835. Collectan. n. 929. 932.

Postremo, ut eruitur ex Declar. S. C. 5. Apr. 1584. et ex C. *Superna* Clementis X. §. 4. 5., illa omnium confessariorum, etiam indefinite iam, praevio examine, approbatorum, iurisdictionis restrictio, pro tempore paschali, invalida esset, adeoque valide absolverent. Cf. Enchir. Moral. N. 553. — I. M. 776.-778.

107. — IURISDICTIO ORDINARIA ET DELEGATA

« 1°. Antoninus, parochus, solet semel in anno, comitante Hydulpho, vicario suo, tendere cum parochianis non paucis in piam peregrinationem extra dioecesis fines. Cum ad pium Sanctuarium pervenissent, tum ipse, tum adiutor audiendis suorum confessionibus alacriter vacant. Nonnullos alios peregrinos ad eorum tribunal accedentes, etiam excipiunt et absolvunt.

Quaer. *An Antoninus, parochus, valide absolverit suos parochianos extra parochiam, vel etiam extra dioecesim? An eius vicarius suos poenitentes? An uterque alios externos?*

R. 1°. Antoninus parochus valide absolvit suos parochianos extra parochiam et etiam extra dioecesim, absque episcopi loci delegatione; quia parochus gaudet iurisdictione *ordinaria*, et *proinde personali* in proprios subditos, eosque in omni loco absolvere potest.

2°. Hydulphus, vicarius, absolvere non potuit suos poenitentes, utpote approbatione debita, vel iurisdictione personali destitutus. Iurisdictio enim vicarii est tantum *delegata, et proinde mere localis*. Attamen, stante errore communi, reapse non invalide absolvit.

3°. Neuter, neque parochus neque vicarius peregrinos extraneos absolvere potuerunt licite *per se,* (adde et *valide*) nimirum ob deficientem episcopi loci approbationem. Attamen, stante errore communi, uterque valide absolvit ». Ita P. Gury 552.

Notandum hic est illud, quod dicitur a P. Gury et reapse communiter solet dici, iurisdictionem nempe *ordinariam* esse *personalem*, delegatam esse *localem,* per se loquendo, improprie omnino dici. Etenim omnis iurisdictio personalis est, cum non nisi in personas sit. Dicitur

vero *personalis* vel *territorialis* ad significandum territorio non esse vel esse coarctatam quoad eius exercitium. — Quod igitur iurisdictio *ordinaria* territorio non coarctetur, et in omni loco possit quis consequenter absolvere; quia *personalis* est; inefficaciter inde probatur: si illud *personalis* significat quod exercetur in personam; etiam delegata in personam exercetur, adeoque et illa in omni loco posset exerceri. Si vero significet, quod territorio non coarctetur, hoc praecise est illud quod debet probari, et idem per idem probaretur. Itemque, quod iurisdictio *delegata* territorio e contra coarctetur, quia est *localis*, evidenter petitionem continet principii, quia hoc ipsum est quod est demonstrandum. Alia ergo assignanda est ratio, cur parochus proprios parochianos extra parochiam et dioecesim potuerit absolvere absque approbatione episcopi loci, non item eius vicarius.

D'Annib. 322., aliique opinantur, etiam vicarium in casu, absolute saltem loquendo, potuisse suos poenitentes absolvere extra parochiam et dioecesim, ob generalem rationem, quia iurisdictio delegata secundum se eadem est ac ordinaria et in proprium subditum illa ut haec exercetur. Haec est tota cl. auctoris doctrina: « Iurisdictio prorogari potest, ut alias, *de tempore ad tempus, de persona in personam, de loco ad locum. De casu ad casum* prorogari non potest propter reservationes, quas vocant. Ex 1°. igitur absolvitur poenitens a confessario, a quo inabsolutus dimissus fuit mox reversurus, si redierit eo tempore, quo ille confessor esse desiit. V. S. Alph. VI. 537. q. 111. Ex 2°. absolvimus peregrinos in nostra dioecesi. Ex 3°. episcopus vel parochus absolvunt subditos suos in dioecesi aliena. S. C. C. 3. Dec. 1707., Ben. XIV. Not. 86., 7. An igitur *etiam simplex confessarius* possit absolvere suos dioecesanos extra dioecesim? Plures negant ex Pontificiis Constitutionibus, quae *Ordinarii loci* approbationem exigunt, V. S. Alph. VI. 548., et in primis ex C. Innoc. XI. 10. Apr. 1700. Quidam affirmant, Suar., Sanch., Lugo, Salm., Mazzotta. Haec sententia in puncto iuris mihi verior est, quia delegatus utitur iurisdictione delegantis. Nec obstant Const. Pontificiae, alias neque parochi id possent; et Const. Inn. XI. ex peculiaribus causis, et pro aliquibus locis edita fuit, Sal., Mazzotta. Nihilominus prior omnino tenenda est; quia ex verosimili intentione delegantis, iurisdictio delegata territorio finitur. Verum factas confessiones non puto repetendas, nisi in mortis articulo ».

Verum, si reapse *delegatus utitur iurisdictione delegantis,* si delegans nihil contra positive significet, ex verosimili intentione delegantis iurisdictio delegata e contra territorio non finitur. Ratio igitur, cur vicarius delegatus non possit suorum confessiones extra dioecesim audire, et parochus possit, repetenda est ex approbatione *Ordinarii loci,* quam, pro aliis omnibus, secluso speciali privilegio, praeter parochos Trid. S. 23. C. 15. de R. et Pontificiae Constitutiones reapse requirunt, minime vero pro parochis. Unde non sequitur, quod, si delegati non possent, sine approbatione Ordinarii loci, audire confessiones suorum poenitentium, neque parochi possent sine illa audire confessiones suorum parochianorum, in aliena dioecesi. Ac si ullum est in Iure dubium, illud profecto evanescit ex consuetudine, quae est optima legum interpres. — I. M. 774.

108. — ERROR COMMUNIS

« Sabellus sacerdos, magna poenitentium caterva circumdatus, per aliquod tempus, expleto approbationis termino, primo quidem ignorantia invincibili laborando, deinde etiam mala fide, confessiones excipere perrexit. Ab episcopo autem propterea a confessionibus suspensus, nonnullas mulierculas, suspensionis ignaras, nihilominus absolvit. Deinde, fuga arrepta, simulatisque ab episcopo litteris, in alio loco consistit, ad quem fama suspensionis nondum pervenerat, et ibi ad audiendas confessiones in magna quadam solemnitate a parocho admittitur.

Quaer. 1°. *An valide absolverit Sabellus, sive bona, sive mala fide ante suspensionem?* — 2°. *An valide absolverit mulierculas post suspensionem, et fideles post fugam?*

R. Ad 1^um^. Affirmative. Ratio est, quia adfuit error communis, ex quo fit, ut Ecclesia probabilius suppleat, etiam deficiente titulo colorato. Nec obstat, quod postea Sabellus fuerit in mala fide, quia haec mala fides errorem communem non destruit. Lig. 572.

Ad 2^um^. Sabellus invalide absolvit illas paucas mulierculas, quae eius suspensionem ignorarunt, quia tunc error privatus tantum fuit. Ecclesia autem, iuxta sententiam communem theologorum, in errore privato iurisdictionem non supplet; quia Ecclesia, ut provisor generalis, non censetur supplere, nisi ratione boni communis. Post fugam autem Sabellus valide absolvit, saltem probabiliter, quia adfuit error communis in loco, in quem sese recepit ». Ita P. Gury 545. 546.

Responsio ad 2^um^. difficultate non caret. Nam, si Sabellus ante suspensionem, ratione erroris communis, valide absolvit, cur post suspensionem, ratione eiusdem erroris communis, non valide absolvit, cum iurisdictione omnino careret, tum post suspensionem tum ante illam. Ac, si antequam suspenderetur, error erat eo in loco communis, quomodo deinde, post suspensionem ignoratam, error ibidem factus est privatus? Et sane, ut ipse P. Gury habet, quia post fugam *adfuit error communis in loco in quem sese recepit,* ideo ibidem valide, saltem probabiliter, absolvit. Ergo idem dicendum est de loco, unde Sabellus fugerat, quia error ibi communis erat; ideoque ut valide alios absolvit poenitentes, ita etiam mulierculas illas absolvit. Neque valet dicere, quod agebatur de nonnullis mulierculis. Nam secus Sabellus confessiones pergens audire, transacto approbationis termino, invalide absolvisset primos saltem poenitentes, quod neque P. Gury dicit, neque alii dicunt, neque dici potest. Etenim supponatur, quod, prima die post expletum terminum approbationis, fuisset quidem simul in Ecclesia tota illa poenitentium caterva, et postquam Sabellus audierit confessiones nonnullorum, impedimento repente exorto, non potuisset continuare in confessionibus aliorum, num illorum nonnullorum absolutiones invalidae essent? Et, si tota illa caterva ut fieri solet, non tota simul esset in Ecclesia, sed alii post alios venissent toto mane, num saltem eorum qui primi

venerunt absolutiones invalidae essent? Et quid, si postquam nonnulli iam venerint, et fuerint absoluti, et incendio, terraemotu, hostium invasione, aliaque ratione, non possint amplius alii ad Ecclesiam accedere, num illi qui fuerunt absoluti, ideo invalide absoluti essent. Tunc sane dicendum esset, quod, ut ratione erroris communis valida sit absolutio, necesse est, ut de facto absoluta iam fuisset magna illa poenitentium caterva. Quare absolutio tunc saltem primorum poenitentium remaneret suspensa usquedum verificetur factum magnae catervae poenitentium absolutorum. Quod, si hoc dici non potest, non apparet profecto, cur *illae mulierculae,* licet *nonnullae* fuerint, et non fuerint innumerae sive simul, sive successive, non fuerint in casu valide absolutae, ut alii praecedentes poenitentes Sabelli, *qui per aliquod tempus confessiones excipere perrexit* sine iurisdictione. Secus vero etiam post fugam Sabellus saltem primos non valide absolvit, si postquam eorum audierit confessiones, non potuerit deinde audire confessiones reliquorum. Scilicet ad *errorem communem* hic non requiritur *error communis de facto* quoad ipsum effectum illius erroris, factum ipsum nempe quod plures reapse decipiantur, et confiteantur non habenti iurisdictionem, sed *error communis de iure* tantum quoad praedictum effectum, talis nempe rerum status, ut error per se sequatur multorum, adeoque possint multi non habenti iurisdictionem confiteri. Et tunc ratio iurisdictionis supplendae verificatur, avertendum nempe periculum communis damni. Huiusmodi *rerum status* profecto habetur, semper ac confessarius *publice* exerceat munus confessarii, ita ut *publice* confessarius existimetur, et ideo multorum possit confessiones audire. « Error communis est, ait D'Annib. P. 1. n. 79., si eo loco, ubi aliquis iurisdictionem exercet, v. g. ubi parochum agit, ea praeditus esse publice existimetur ex L. 3. *ad S. C. Maced.;* seu *facti* error versetur seu *iuris* ex L. 41. *Mand.;* La-Croix l. 6. P. 1. n. 113.; dummodo error *iuris* sit probabilis ». Et Casimirus Gennari M. E. V. 7. P. 1. p. 84. « Ecco limpidamente, *inquit,* formolata la teorica dell'errore comune. Allorchè una persona, chiamata dal diritto canonico o civile ad esercitare una qualche giurisdizione, la esercita pubblicamente, sicchè la generalità creda, che ne abbia il titolo, quando anche il titolo non ci sia, pel bene delle persone, la giurisdizione vien supplita dalla legittima potestà ». Suppletur nempe *a iure;* non enim suppletur ab eo qui illam perperam dedit, aut dare debuisset. Quando autem lex supplet iurisdictionem perinde est, ac quis ea praeditus esset. Proinde valide, quamvis illicite, ab eo et cum eo quoque exercetur, qui non ignorat eam exercenti deesse. D'Annib. P. 1. n. 79. Et La-Croix l. 6. P. 1. n. 112.: « Quando datur prudens et communis persuasio pro iurisdictione, vel potestate alicuius, sive ordinaria sive delegata ad aliquid faciendum, quamvis ea persuasio coram Deo sit falsa; tamen certum est, quod Ecclesia si possit suppleat vel dispenset, etc. ». Sabellus igitur valide absolvit etiam paucas illas mulierculas, quia adhuc publice existimabatur esse confessarius et habere iurisdictionem. Unde, si non nonnullas tantum, sed alias etiam quam plures post ipsas absolvisset, valide absolvisset, usquedum a multitudine seu publice uti confessarius haberetur: I. M. 769.

109. — IURISDICTIO IN ARTICULO MORTIS

« Lucianus, parochus coadunato populo pro missa die festo audienda, ad celebrandum se accingit. Sed, cum vestibus sacris iam indutus esset, admonetur Titium parochianum, in pago una circiter hora distanti commorantem, esse morti proximum. Quid faciet his pressus angustiis? Haeret anceps, nesciens quid consilii sit capessendum, populus enim missam non audivit, nec tempus superest expectandi donec parochus redierit, ut eam celebret, nam meridies iam propior est. At mox, scio quid faciam, ait secum. Egregia cogitatio! Columbinus, sacerdos huius loci, qui uti capellanus in vicina parochia celebrat, iam rediit. Ecce eum mittam statim ad morientem, ego vero hic remanens celebrabo. Ille quidem non est ad confessiones approbatus; sed in mortis periculo nulla requiritur approbatio. Rogatus Columbinus annuit, et quam citissime pergit. Mox domum morientis adventat; iam scalas incipit ascendere, cum mulierum gemitus, clamores et eiulatus ad eius aures feruntur, quos inter vox flebilis auditur: *Iam miser emittit spiritum!* Tunc sacerdos alte inclamat: *Ego te absolvo a peccatis tuis,* et continuo convolans ad decumbentis cubiculum eum cernit iam mortuum.

Quaer. 1°. *An parochus alio deficiente sacerdote, qui ad moribundum pergeret, missam omittere potuisset, aut etiam debuisset?* — 2°. *An bene egerit parochus sacerdotem non approbatum ad aegrum mittendo?* — 3°. *An valida fuerit absolutio, quam Columbinus in his rerum adiunctis impertiit?* — 4°. *An capellanus potuisset etiam missam loco parochi celebrare, ut hic ad moribundum pergeret?*

R. Ad 1^{um}. Affirmative. Lucianus potuisset et debuisset missam omittere. Ratio est, quia in conflictu duorum praeceptorum, quae simul adimpleri nequeunt, praeceptum maius adimplendum est. Atqui praeceptum maius est, ut moribundi animae succurrat; praeceptum enim caritatis urgens in his circumstantiis de iure naturali maius est praecepto ecclesiastico missam audiendi. Ergo Lucianus potuisset et debuisset missam omittere.

Ad 2^{um}. Casus gravi difficultate non caret, et rationes graves pro utraque sententia, affirmativa scilicet et negativa, afferri possunt. Etenim probabiliter Lucianus Columbinum ad aegrum mittere non potuit. Ratio est, quia Columbinus non potuit absolvere moribundum tanquam a parocho delegatus ut patet; sed neque ex approbatione generali Ecclesiae pro casu mortis, quia non deficit sacerdos approbatus, scilicet parochus non absolute impeditus. Attamen sententia opposita solido fundamento carere non videtur. Urget enim gravissima ratio, ut parochus capellanum mittat ad moribundum, moraliter enim impeditus dici potest, cum tunc celebrare debeat, ut magnus populus missam audiat. Neque hoc ab intentione Ecclesiae alienum esse videtur. Igitur adductis hinc et inde oppositis rationibus in motivo gravi innixis, versamur in casu iurisdictionis dubiae. Atqui licet uti iurisdictione dubia, urgente gravi causa, prout in casu nostro gravis est. Ergo damnandus non est bonus parochus, qui in tantis rerum angustiis capellanum ad moribundum misit.

Ad 3um. Affirmative. Etenim 1°. valida fuit ex parte ministri, quia tunc solus erat praesens sacerdos, et proinde certo iurisdictione gaudebat. 2°. Valida fuit ratione praesentiae sacerdotis, quae vere moralis erat. 3°. Valida fuit ex parte formae, *Ego te absolvo a peccatis tuis.* 4°. Valida fuit etiam probabiliter ex parte moribundi bene dispositi, quippe qui sacerdotem advocaverat, et, si illum appropinquantem audivit, signum poenitentiae dare potuit; sed haec absolutio modo conditionato impertiri debuit.

Ad 4um. Negative per se. Ratio est, quia capellanus non est amplius ieiunus. Porro non est *per se* ratio sufficiens missam, non servato ieiunio celebrandi, ut populus eum audiat. Id tamen liceret, si secus timendum esset scandalum, gravis tumultus et offensio populi, etc. » — Ita P. Gury 559.-562.

In Responsione ad 2um. notandum primo est, quod, stante probabilitate utriusque sententiae, quoad quaestionem: an simplex sacerdos possit valide absolvere, praesente approbato confessario; iam non agitur proprie de casu iurisdictionis *dubiae,* sed iurisdictionis *probabilis.* Deinde *gravis* illa *difficultas,* quam affirmat P. Gury, in praesenti iam non amplius adesse videtur post Responsum S. O. 29. Iul. 1891., quod est sequentis tenoris: « 1°. An valida sit absolutio, quam in articulo mortis impetierit quivis sacerdos, etiam non approbatus, quando faciliter advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus? — 2°. An similiter valida sit absolutio, in eodem mortis articulo concessa moribundo habenti peccata reservata, sive simpliciter, sive cum censura a sacerdote non habente iurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse faciliter potuisset sacerdos habens praedictam iurisdictionem? — R. ad utrumque: Non esse inquietandos, qui affirmantem sententiam tenent ». S. O. 29. Iul. 1891. I. M. 773.

In Responsione ad 3um. difficultas adest. Nam considerando casum, ut iacet, facile quidem non intelligitur, quomodo revera Columbinus fuerit sufficienter praesens moribundo. Absolutionem enim dedit cum *scalas inceperit ascendere* domus. Columbinus utique alte absolutionem inclamavit. Verum, si moribundus iacebat in aliquo domus interiori cubiculo, si domus satis proxima non erat primis scalis, moralis praesentia difficile intelligitur. I. M. 748. Quare absolutio, in casu, sub conditione danda quidem fuisset etiam ex hoc capite.

110. — SIMPLEX SACERDOS CORAM APPROBATO IN ARTICULO MORTIS

« Naborius, subito morbo correptus, iamque ad extrema deductus, sacerdotem requirit. Cum transiret Marius capellanus, omni iurisdictione destitutus, advocatur. Exordio confessionis vix praemisso, ecce adstat Lucas vicarius, qui, Mario recedente, confessionem aegroti excipit. Sed mox peccatum reservatum inaudiens, nec facultate a reservatis absolvendi gaudens, non mediocriter intricatur; cum, sparso rumore morbi Naborii, et ipse advolat Urbanus parochus. Eo comparente, Deo gratias agit vicarius, et aegrotantem rogat, ut pastori, suo amantissimo patri, confiteri velit. Annuit ille; sed cum aperuisset aeger casum, cui annexa erat ex-

communicatio episcopo reservata, iam nescit parochus, quid sit faciendum. Ecce interea advenit vicarius generalis, Naborii familiarissimus, cui vice sua pastor libenter locum cessisset, si id facere fuisset ausus, vel si poenitens id gratum habuisset; sed timens aegroti offensionem, eum integre audivit et absolvit. Postea autem Naborius convaluit, et in perfectam sanitatem restitutus est.

Quaer. 1°. *An sacerdos non approbatus, in casu mortis confessionem audire possit? An coram approbato?* — 2°. *An confessarius simplex, in casu mortis a reservatis absolvere valeat? An a censuris, et quomodo?* — 3°. *An recte egerint varii confessarii in praesenti casu, vel quid ipsis fuisset agendum?* — 4°. *An Naborius, recuperata sanitate, confessionem iterare debuerit?*

R. Ad 1^{um}. Sacerdos approbatione carens potest absolvere in casu necessitatis, seu in articulo aut periculo mortis, ex facultate generali ab Ecclesia concessa, ne quis defectu potestatis in sacerdote pereat. At, iuxta multos, absolvere nequit, praesente alio sacerdote approbato, quia in eo casu nulla urget necessitas. Attamen, si confessio moribundi a simplici sacerdote incepta fuerit, perfici potest. Lig. 563. Verum iuxta alios, simplex sacerdos potest etiam moribundum absolvere coram confessario approbato, quia, in eo casu, iurisdictio simpliciter absque ulla restrictione ei ab Ecclesia tribuitur. Haec sententia probabilis est.

Ad 2^{um}. Confessarius simplex a casibus reservatis absolvere potest in mortis periculo, quia Ecclesia, benigna mater, voluit ut in morte nulla esset reservatio. Sed absolvere nequit a censuris, nisi *indirecte*, seu ita ut, si aeger convalescat, teneatur adire alium confessarium facultate absolvendi a censuris gaudentem. V. Comp. 579.

Ad 3^{um}. 1°. Marius, primus confessarius, male fecit, locum suum alteri cedendo; licet enim simplex sacerdos esset, confessionem inceptam prosequi debuisset, ut patet ex dictis; ideoque in casu valide absolvere poterat.

2°. Lucas, vicarius male fecit, et ipse parocho locum cedendo. Non debuisset enim a confessione perficienda cohiberi ob peccatum reservatum, cum in morte nulla sit reservatio.

3°. Quid vero de Urbano parocho? Primum male fecit, confessionem ab alio incoeptam peragendo; sed postea bene fecit, miserum aegrotum ad vicarium generalem non remittendo. Confessio enim incoepta, dum urget mortis periculum est ratio sufficiens, ut confessarius, potestate absolvendi a censuris destitutus, ab eis etiam, superveniente superiore, *indirecte* absolvat.

Ad 4^{um}. Naborius, recuperata valetudine, minime confessionem iterare debuit, sed tantum patefacere superiori, vel delegato, iuxta communem sententiam, peccatum, cui adnexa erat censura, ut ab ea *directe* absolveretur, vel per parochum ipsum facultatem postulare, ut ab eo confessio perfici valeret ». Ita P. Gury 555.-558.

. Quoad responsionem ad primum et tertium quaesitum cf. Casum praecedentem, et I. M. 773.

Quoad responsionem ad secundum quaesitum, notandum est, peccata quidem absolvi posse *indirecte*, minime vero censuras. I. M. 669. 800.

Ad censuras autem quod attinet, hae in articulo mortis, si sint reservatae, absolvuntur a non habente potestatem vel absolute, sine ullo onere comparendi deinde, si infirmus convalescat, coram superiore, vel cum huiusmodi oneri ut mox infra explicabitur. I. M. 799.

Quoad responsionem ad quartum quaesitum Naborius tunc tantum, recuperata valetudine, debuit se sistere superiori, vel absolvi ab alio potestatem habente a censura reservata, si ea cum hoc onere fuerit reservata. I. M. 799.

Ne hac occasione aliquis pereat NULLA unquam fuit nec EST RESERVATIO *in articulo (seu periculo mortis)*. Trid. S. 14. C. 7. Ac proinde in eo *articulo omnis reservatio* CESSAT. Rit. Rom. *De Sacr.* Poenit. § 17. *Omnis*, adeoque sive peccata sive censurae reservata fuerint; quae consequenter eodem iure censeri debent. Suar. de Poenit. D. 30. S. 3. n. 4., D'Annib. P. 1. n. 349. Quare omnes sacerdotes, sive approbati, sive non, qui in eo rerum discrimine a *quibusvis peccatis* absolvere possunt, absolvere etiam possunt *a quibusvis censuris*, nempe *a iure* latis; item et ab excommunicationibus et ab interdicto personali latis *ab homine*, quippe, nisi excommunicationibus prius absolutis, peccata licite absolvi non possunt; et, nisi interdicto personali absoluto, ecclesiastica sepultura dari non potest. An etiam a suspensione? Alii affirmant, nam Trid. dicit *a quibusvis censuris;* ergo nulla excipitur : alii vero negant; quia Trid. heic cavet illis tantum, quae animarum intersunt, *ne quis pereat.* Lugo de Poenit. D. 20. n. 203., D'Annib. P. 1. n. 349.

Porro absolutio ab inferiore data propter imminentis mortis articulum seu periculum, si infirmus convalescat, obligationemne secum ferat adeundi superiorem, haud quidem ut quis ei iterum confiteatur, sed ut *mandatum ipsius recipiat?* Alii absolute affirmant ex C. *Eos quis* 22. *de Sent. Exc.* in 6°. Alii vero negant ex Trid., cum nulla sit in articulo mortis reservatio, adeoque nullum reservationis onus, nisi lex nominatim id iubeat, ut pro casibus papalibus speciali modo reservatis, aut res fuerit notoria, aut fuerit ad forum contentiosum deducta. Cf. Comment. de Censur. n. 69., I. M. 799., Gury Baller. Comp. n. 576.

III. — IURISDICTIO REGULARIUM

« Angelus, regularis, a superiore suo constituitur ad confessiones confratrum audiendas, et ab episcopo pro saecularibus simpliciter approbatur. Sed ecce repente bonus pater Angelus surdus evadit, adeo ut a sacro confessionum ministerio debeat amoveri. Quamobrem, loco illius, alium confessarium pro religiosis superior subrogat, prohibendo, ne alius quivis idem munus exerceat. Elapsis autem tribus mensibus, pater Angelus, ab infirmitate sua praeter omnium expectationem sanatus, alacriter ad excipiendas fidelium confessiones incumbit. Audit etiam confessiones monialium eiusdem ordinis a iurisdictione episcopali exemptarum, et soli superiori subiectarum ».

Quaer. 1°. *An pater Angelus confessiones saecularium, recuperato auditu, valide exceperit?* — 2°. *An valide praedictas moniales absolverit?*

R. Ad 1^um^. Affirmative. Ratio est, quia ab episcopo pro eis fuit approbatus simpliciter, absque clausula *de consensu superioris;* proinde

illa approbatio minime fuit revocata. Ergo valere perrexit. Ergo non est inquietandus bonus pater Angelus, neque inquietandi sunt saeculares, ab eo auditi et absoluti. Pergat utique alacri animo et cum magno fructu uti facultate excipiendi confessiones, ipsi ab episcopo facta.

Ad 2^um^. Negative. Non potuit enim valide absolvere moniales, episcopo non subiectas, sed a solo superiore monasterii dependentes, sicut socios religiosos tunc absolvere non potuisset; quia facultas absolvendi religiosos et moniales eiusdem ordinis a superiore fuit ipsi subtracta, nec restituta ». Ita P. Gury 566. 567.

Responsio ad 2^um^. quaesitum, quoad moniales, non videtur omnino sufficiens. Pater Angelus utique invalide absolvit moniales; sed ratio propria est, quia carebat *speciali approbatione* Ordinarii loci, requisita ad monialium confessiones audiendas. Ab episcopo enim, ut ex casu eruitur, non fuit approbatus nisi pro saecularibus. I. M. 791.

112. — REGULARES QUOAD CONVICTORES

« Benitius, sacerdos regularis, in collegio quodam moderator, vacationum tempore aliquando alumnorum turmam in dissitas regiones, recreationis causa, perducit, eorumque confessiones, licet extra dioecesim, excipit ex sola licentia episcopi cui subest collegium.

Quaer. *An Benitius valide absolverit alumnos suos extra dioecesim, ex sola episcopi sui delegatione?*

R. Controvertitur. Probabilius affirmative. Ratio est 1°. quia, cum alumni seu convictores habeant actu omnimodam dependentiam a regularibus, iam eorum familiares sunt. 2°. Quia pluribus ordinibus regularibus... immo et nonnullis saecularibus Congregationibus... privilegium competit familiaritatis pro ipsorum convictoribus. Atqui ex communicatione privilegioruum ceteri ordines regulares iam tale privilegium consequuntur. Ergo, etc. Haec autem sententia plures romanos theologos, et quidem gravissimos, habet patronos ». Ita P. Gury 554.

Notandum quoad hanc resolutionem est, quod, si regulares gaudent praedicto familiaritatis privilegio quoad convictores, et ideo Benitius probabilius valide suos alumnos absolvit extra dioecesim sine approbatione Ordinarii loci, non intelligitur ad quid in Casu et in Quaesito dicatur, quod Benitius absolvit ex sola licentia seu delegatione episcopi, cui subest collegium. Si enim in dioecesi episcopi, cui collegium subest, non potest Benitius alumnorum confessiones audire sine approbatione eiusdem episcopi, neque extra eius dioecesim potest eas audire confessiones sine approbatione Ordinarii loci. Si autem praedicti alumni vere gaudent familiaritatis privilegio, tunc potest Benitius in eadem illa dioecesi, cui collegium subest, alumnorum audire confessiones sine licentia etiam, seu delegatione episcopi. I. M. 785.

113. — RESERVATIONIS IGNORANTIA

« Olivarius, peccato reservato cum censura episcopali inquinatus, sed reservationis ignarus, vere contritus et optima fide confitetur penes Sabellum, sacerdotem pro reservatis non approbatum. Confessarius vero,

sive ex ignorantia, sive ex inadvertentia eum absolvit, nec ad errorem attendit, nisi cum poenitens iam longe abierit. Quare haeret anceps, nesciens quid sibi faciendum sit.

Quaer. *Quid, reservatione post confessionem cognita, poenitenti vel confessario faciendum?*

R. 1°. *Quoad poenitentem:* si postea sciat, se a Sabello absolvi non potuisse, alium confessarium adeat maiori facultate gaudentem, et peccatum reservatum illi aperiat; vel roget confessarium ordinarium, ut petat veniam, vi cuius ab eo absolvere queat. — 2°. *Quoad confessarium:* admoneat poenitentem de errore commisso, si fieri facile possit, v. g., si hic redeat ad confitendum, ut error ille reparetur; vel melius confestim petat ab episcopo facultatem ab illo peccato reservato absolvendi, et curet, ut poenitens confitendi gratia iterum accedat, et, obtenta prudenter nova declaratione huius peccati, eum etiam de errore non monitum absolvat. Quod si poenitentem neque facile admonere, neque absolvere possit, eum in bona fide relinquat ». Ita P. Gury n. 578.

Ratio huius resolutionis est, quia, ut habet idem P. Gury num. praec. 577., licet ignorantia censurae excuset a censura, quia censura, cum sit poena, personam peccantis directe afficit; ignorantia tamen reservationis a reservatione non excusat, quia reservatio, natura sua eo spectat, ut reservata iudicium prudentioris subeant, adeoque directe inferioris iurisdictionem limitat; quae ex S. Alph. 581. *communissima* sententia est. I. M. 796.

Iam vero Olivarius in casu non apparet quod alia sit confessus peccata praeter reservatum, eius vero confessarius Sabellus videtur fuisse confessarius, qui publice iam erat notus uti talis, et munus confessarii publice gerebat. Hinc quamvis absolutio fuerit invalida, ratione reservationis peccati et defectus potestatis confessarii; valida tamen de facto fuit absolutio ratione erroris communis. Ratio: « Ex L. 3. *de Offic. Praetor.* edicitur iurisdictionem suppleri *propter utilitatem eorum, apud quos gestum est:* quod et hic valet; maxime quod titulus nec exhiberi vulgo, nec peti soleat; ut puta cum quis accipit potestatem excipiendi confessiones, vel *absolvendi a reservatis.* Sane error communis supplet ea quae status et conditionis personarum sunt, quoties iure seu civili seu canonico, his opus est, ut aliquid valide fieri possit; nec eget titulo colorato: velut in eo qui publice *liber* (L. 3. et L. 2. *de Sent. et interl.*), *civis* (L. 1. C. *de Testam.*), *paterfamilias* (L. 3. Ad S. C. Maced.), *uxor* (L. 24. *de Rit. nupt.*), *clericus* (C. 12. de S. E. in 6°.), *testis* idoneus (§ 7. *de Testam.*), *haeres* (L. 44. *de A. H.*), *patronus* beneficii (Perez de Matrim. 40. 5. 3.), *maritus* (S. Alph. III. 232.) habetur, (Toull. V. 407. Durant. IX. 109. Zach. 670. 27. Less. II. 29. 67.) ». — Ita D'Annib. P. 1. n. 79. nota 74. Et ita quoad casus solutionem Génnari M. E. V. 7. P. 1. p. 83. seqq.

Etenim clarissimus auctor l. c. hunc proponit casum: « Giulio penitente confessa a Giovenale semplice confessore solamente peccati riservati. Giovenale, non avvertendo alla riserva senz'altro l'assolve.... Si chiede: Che cosa è da dire nel caso di Giovenale?.... — Quando un sacerdote esercita il ministero delle confessioni, *e comunemente è cre-*

duto confessore, benchè non ne abbia la facoltà, o questa sia spirata, e benchè non abbia quella dei riservati, pur nondimeno validamente assolve, benchè commetta gravissimo delitto.... Opiniamo adunque, nel nostro caso, che Giovenale abbia validamente assoluto Giulio, il quale confessò soli riservati; poichè l'assoluzione, benchè nulla in sè, vien convalidata dalla Chiesa per l'errore comune. La Chiesa infatti se supplisce la giurisdizione quando manca del tutto l'approvazione alle confessioni, dee supplirla ancora quando manca la sola approvazione pei riservati: milita per questo secondo caso la ragione medesima, che pel primo. *Trattasi di assicurare la salvezza eterna al penitente* ».

Verum solutio haec, si absolute, ut iacet, sumatur difficilis mihi videtur. Etenim tunc non video, quomodo etiam, vi erroris, valide non absolveretur complex a peccato complicitatis, si poenitens nonnisi hoc peccatum confiteatur, ut in praecedenti casu. Neque vero, ubi sermo sit *de errore communi,* agitur tantum de salute aeterna poenitentis; sed de bono communi; secus enim etiam in casu privati erroris iurisdictionem Ecclesia suppleret. Attamen admittenda mihi videtur solutio, et urgens mihi videtur, in casu etiam reservatorum, ratio modo facta, si addatur, quod *error communis* reapse habeatur *de ea iurisdictione circa reservata.* Et sic, e. g., tempore iubilaei, bene haberi posset huiusmodi error communis quoad aliquem confessarium, qui existimetur approbatus, cum approbatus non sit, et qui consequenter etiam communiter existimetur posse, ut ceteri, a reservatis absolvere. Cf. D'Annib. P. 1. num. 348. nota 20., I. M. 769.

114. — RESERVATIO QUOAD PEREGRINUM

« Nigritius in dioecesi sua patravit peccatum, cui adnexa erat non solum reservatio, sed etiam episcopalis excommunicatio. Paulo post extra dioecesim iter agens, adit vicarium generalem episcopi loci, in quo consistit, ei conscientiam sincere pandit, atque ab eo absque difficultate absolvitur.

Quaer. 1°. *An peregrinus absolvi possit extra dioecesim a censuris episcopalibus, quas in sua dioecesi incurrit?* — 2°. *Quid ad Casum?*

R. Si agatur de censuris *a iure,* aut etiam *ab homine* per sententiam generalem, affirmandum videtur, stante actuali et communi consuetudine, contra quam Ordinarii non reclamant, licet antiquiores communissime negaverint. *Videtur etiam erui ex Conc. Trid.,* quo conceditur episcopis privilegium absolvendi a casibus occultis, et ubi dicitur: *in quibuscumque casibus occultis,* ETIAM *Sedi Apostolicae reservatis.* Porro ex particula *etiam* satis ostenditur comprehendi facultatem absolvendi a casibus ab aliis episcopis reservatis.

Ad 2^{um}. Nigritius probabilius valide absolutus est, stante controversia, quae in quaesito praecedenti relata est. Ergo non tenetur ad confessionem apud proprium superiorem iterandam. Proinde culpandus non est vicarius generalis, a quo absolutus est. Excipe, si sermo esset de censura *ab homine,* de qua in casu nostro minime agitur ». Ita P. Gury

585. 586. Verum, in prima responsione, argumentum desumptum ex Conc. Trid. et ex particula *etiam*, minime demonstrativum est. S. C. C. 24. Ian. 1741., 29. Nov. 1712., Bened. XIV. C. *Pias Christi* 20. Aug. 1752., de Syn. l. 5. C. 5. n. 9., I. M. 797.

115. — AN SEMPER APERIENDA RESERVATIO

« Albericus, parochus, peccato reservato obstrictus, in celebrandi necessitate versatur, propter frequentiam populi die festo missam audituri. Non adest praesens alius sacerdos, nisi Paulinus, eius vicarius, qui facultate absolvendi a reservatis destituitur. Quid faciet miser? Neglecta confessione et elicito contritionis actu, ad sacrum faciendum se accingit. Attamen scrupulo motus, vicarium adit, et sola peccata venialia, relicto mortali reservato confitetur.

Quaer. *An Albericus ad confitendum fuerit obligatus?*

R. Negative probabilius, quia ad confessionem non tenetur, neque ratione peccati reservati, quod directe remitti nequit, neque ratione venialium, quae non sunt materia necessaria confessionis. Lig. 265. Sed Albericus tenetur ad contritionem perfectam eliciendam, et si de ea dubitet, ad confessionem obligatur ». Ita P. Gury 590.

Attamen, si Albericus, papali casu fuerit obstrictus, non videtur potuisse confessionem omittere. Nam, cum ipse reperiatur in casu vere urgentiori, et in eo quivis confessarius directe absolvere potest a casu papali, profecto non apparet, quomodo possit confessionem omittere. Tenetur vero saltem infra mensem et per medium confessarii ad S. Sedem recurrere. I. M. 800. 802. Si vero Albericus obstrictus sit casu episcopali, idem dicendum videtur, secundum opinionem quod simplex confessarius possit directe ab eo absolvere, stante impedimento. Debet vero Albericus, cessante impedimento, superiori se sistere, eius mandatum recepturus. I. M. l. c. Cf. Enchir. Moral. Edit. 1. Append. Comment. Quart.

116. — ABSOLUTIO A CASIBUS PAPALIBUS

« Recadius, simplex confessarius, absolvit Titium a peccato gravis percussionis clerici, Papae reservato, quia ille ob incommoda aetatis provectae perpetuo laborat impedimento Romam personaliter eundi. Postea autem dubitat, an recte fecerit, vel quid sit faciendum.

Quaer. *An confessarius simplex absolvere possit a casibus papalibus eos, qui Romam ire nequeunt?*

R. Negative. Ratio est, quia simplex confessarius nullam habet facultatem ab illa censura absolvendi. Percussio enim gravis clerici est casus Papae reservatus; si fuisset percussio levis, episcopo reservaretur. Nec refert, quod poenitens Romam adire non possit; quamvis enim pro-

pterea eximatur a lege adeundi Sedem Apostolicam, non eximitur tamen a lege se praesentandi, eo modo quo potest, episcopo, a quo, stante praedicto impedimento, a censura sua absolutionem obtinere valet. Poterit igitur confessarius, si aliqua necessitas gravis urgeat, et facilis aditus ad episcopum non pateat, poenitentem hunc absolvere cum onere se praesentandi episcopo, eo tempore et modo quo potuerit. Lugo D. 20. S. 10. Hinc Recadius invalide absolvit poenitentem a percussione gravi clerici, sub praetextu, quod ille personaliter Romam ire non poterat, quia tunc casus episcopo reservatus manebat ». Ita P. Gury n. 600.

Resolutio haec corrigenda est ad normam variorum Decretorum S. O. et S. Poenit. circa absolutionem a peccatis et censuris S. Pontifici reservatis. Cf. I. M. 800. Quare 1°. ad propositum quaesitum, *ut iacet,* respondendum est: Negative, idque « valet etiam pro casu, quando poenitens fuerit *perpetuo* impeditus personaliter Romam proficisci ». S. O. 17. Iun. 1891. Recurrendum enim est per epistolam ad S. Sedem. S. O. 23. Iun. 1886. « At in casibus urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae.... dari potest (a simplici confessario) absolutio », cum obligatione tamen ad S. Sedem saltem infra mensem per epistolam recurrendi ». S. O. 23. Iun. 1886.

Ad propositum vero casum quod spectat, notandum est, quod ex Const. *Apostolicae Sedis* censura canonis est simpliciter Romano Pontifici reservata, ab hac autem papali reservatione ex eadem Const. excipiuntur « casus et personae de quibus iure vel privilegio permittitur, ut episcopus aut alius absolvat ». I. M. 1182. Quare, poenitente impedito superiorem adire, *ab alio* potest absolvi, C. *Eos quis* 22. *de Sent. excomm.* in 6°. Recadius igitur inquietandus non videtur. Cf. Enchir. Moral. Ed. 1. Append. Comment. Quart., D'Annib. P. 1. n. 346. 349. 368.

117. — ABSOLUTIO A CASIBUS EPISCOPALIBUS

« Samuel, religiosus, gaudens facultate absolvendi a casibus reservatis Papae, absolvit quoque a casibus episcopalibus, quin fuerit ad hoc specialiter delegatus, praesertim, quando duplex reservatio, papalis scilicet et episcopalis eidem peccato inhaereat: quia, ait, qui potest plus etiam potest minus.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Erravit admodum P. Samuel, absolvendo a casibus episcopalibus absque episcopi delegatione, ex eo quod pro casibus papalibus approbatus sit, et solvendo duplicem catenam, dum unicam solvere valebat. Falso enim applicuit principium: Qui potest plus potest minus; addere debuisset, *in eodem genere.* Hic autem non agitur de genere eodem, cum casus papales et episcopales a principio diverso originem ducant ». Ita P. Gury 598.

Nihil in resolutione Casus dicit P. Gury de duplici reservatione eidem peccato inhaerente, scilicet papali et episcopali. In tali casu non videtur errare P. Samuel. Nulla est *mixta,* i. e. pontificia simul et episcopalis, reservatio. Nec esse potest: nam quae ad superioris iudicium avocantur,

ipso iure a iurisdictione inferiorum subtrahuntur: alias data ab illo absolutio prope inutilis foret. Itaque non potest Ordinarius sibi quoque eos casus reservare, qui Rom. Pontifici sunt reservati; et, si quos sibi reservaverat, illos postea Rom. Pontifex reservet, reservatio episcopalis ipso iure evanescit. Suar. D. 31. S. 4. n. 26., Lugo D. 20. n. 149. 151. D'Annib. P. 1. n. 339. Cf. Commentar. De Censur. n. 24.

118. — ABSOLUTIO A RESERVATIS PRO IMPEDITIS

« Liborius, simplex confessarius, a reservatis etiam extra mortis casum absolvit: 1°. Germanam, quae secus per hebdomadam in statu peccati mortalis cum magna anxietate permanere deberet; 2°. Caium, cuius confessionem longam et difficilem exceperat antequam reservationem cognosceret; 3°. Geruntium, senem, qui accedit ad confitendum ultima die temporis paschalis, et valde distat ab urbe episcopali; nec proinde ad episcopum accedere personaliter potest. Hos poenitentes absolvendo, Liborius enixe profert et ingeminat haec formae sacramentalis verba: *in quantum possum, et tu indiges*. Non autem curat, ut eos moneat de obligatione haec peccata reservata postea, data occasione, superiori, vel alicui delegato confitendi.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Liborius absolvere potuit *indirecte* Germanam a peccatis reservatis, quia est magnum incommodum remanere tamdiu in statu peccati mortalis pro anima anxietate magna correpta. Absolvere potuit Caium, quia magnum ei foret incommodum, si longam confessionem apud alium iterare deberet. Potuit absolvere Geruntium, ratione necessitatis tempore paschali communicandi. Non valet autem ratio, quod personaliter ad episcopum recurrere nequeat, quia scribere posset per se vel per alium. Ligati censura papali possunt quidem adire episcopum, si Romam petere nequeant, ut a Iure conceditur; sed non ideo impediti ab adeundo episcopo personaliter a quocumque absolvi possunt. Liborius autem male fecit omittendo admonere praefatos poenitentes de obligatione casum reservatum iterum declarandi confessario, qui pro reservatis approbatus esset. Caritati consonum esset, si, eos admonendo, promisisset se licentiam pro eis rogaturum, et eos denuo absoluturum, ut sic ipsis nova accusatio vitaretur ». Ita P. Gury 595.

Circa praecedentem resolutionem notandum in primis est illud quod dicitur de *indirecta* absolutione. Stante enim impedimento, inferior *directe* probabilius absolvit, ut ex Iure Decretalium eruitur, et quoad casus papales id certo constat ex Resp. S. O. 19. Aug. 1891. et 30. Mart. 1892.

Deinde notandum est illud, quod dicitur de recursu ad episcopum per epistolam. Etenim reservatio obligat tantum ad se sistendum superiori, non ad epistolam vel nuntium mittendum. Unde si illud praestare nequit ad aliud non tenetur. Quod absque ulla controversia admittitur a S. Alph. l. 7. n. 89.; unde confirmatur etiam ex Resp. S. O. 8. Iul. 1860.: « An impediti adire Romam in persona, teneantur adire saltem per epistolam, aut procuratorem ad absolutionem a casibus Sedi Apostolicae re-

servatis impetrandam? — R. Consulat probatos auctores, *inter quos S. Alphonsum M. de Ligorio* ». Quamvis vero ex Resp. S. O. 23. Iun. 1886., stante impedimento Romam petendi, per epistolam saltem recurrere quis debet ad S. Sedem; hinc tamen eadem non sequitur obligatio quoad recursum ad episcopum etiam faciendum. Nam in praedicto Decreto agitur de casibus papalibus, et non nisi de his agitur; et cum sit strictae interpretationis ad episcopales etiam per se non extenditur. Insuper praedictum Decretum *in praxi* fundatur *S. Poenitentiariae;* minime vero in communi quadam Iuris dispositione, adeoque iterum praedictum Decretum per se episcopales casus non comprehendit. Quare non nisi ratiocinatione eadem dispositio pro casibus episcopalibus affirmari potest; ac ut reapse ad hos extendatur, seclusa alia positiva declaratione, legitima et demonstrativa, ut par est, ratiocinatione opus est. Cf. Enchir. Moral. Ed. 1. Append. Comment. Quart., Gennari Consultaz. Mor. Can. Lit. P. 1. C. 34., I. M. 800.

Ad Germanam quod attinet, si peccata reservata de quibus agebatur erant casus papales, non videtur quod Liborius recte egerit eam absolvendo. Etenim ex Decr. S. O. 23. Iun. 1886. poenitentibus recurrendum est per litteras ad S. Sedem in casu impedimenti personaliter Romam adeundi. Illis interim absolutio dari potest cum reincidentia post mensem nisi recurrant, *in casibus tamen vere urgentioribus, in quibus absolutio absque periculo gravis scandali et infamiae differri nequeat.* Huiusmodi autem non est casus Germanae. I. M. 800. Si vero agebatur de casibus episcopalibus recte egit Germanam absolvendo, sed onus ei imponere debebat sistendi se coram superiore, vel iterum absolutionem recipiendi ab habente facultatem, quam ipsemet etiam potuisset pro ea petere. I. M. 800., D'Annib. P. 1. n. 349., Lig. 585.

Ad Caium, quod spectat non videtur quod recte egerit, incommodum enim iterandi confessionem apud alium hic est intrinsecum ipsi confessioni peccatorum reservatorum. Si Liborius voluisset eximere suum poenitentem ab hoc incommodo, tunc potuisset ei interim absolutionem differre, et debitam petere a superiore facultatem. I. M. 800.

Quoad Geruntium vero idem dicendum ac quoad Germanam.

119. — ABSOLUTIO A SUPERIORE PETITA

Gregorius, confessione incoepta reservatorum peccatorum apud episcopum, habentem in ea debitam facultatem, eo derelicto, adiit per epistolam S. Sedem pro absolutione. Sed antequam responsum reciperet ad episcopum rediit, ut confessionem expleret et absolveretur.

Quaer. *An Gregorius potuerit in Casu ab episcopo absolvi?*

R. Affirmative. « Quaeri potest, ait D'Annib. P. 1. n. 77., utrum cesset iurisdictio inferioris, si quis, eo omisso adeat superiorem. Affirmat Conradus et De Iustis, si is, omisso Ordinario, adeat Romanum Pontificem, quadam nempe quasi *manuum appositione*. Negant verius ceteri fere omnes, quia id nullo iure cautum est... Sane Ordinarius absolvere potest a censuris eum, qui ad Superiorem appellavit, et delegatus gra-

tiam concedere negatam a delegante... Quis enim dixerit recurrentem ad Romanum Pontificem pro absolutione ab excommunicatione ob abortum incursa, non posse ad episcopum reverti et absolvi? Vix enim intelligi potest, quomodo quis recurrendo ad Patrem omnium fidelium conditionem suam deteriorem faciat ».

120. — OBLIGATIO POENITENTES INTERROGANDI

« Gervasius, confessarius prae celeritate, et aliqua incuria, interdum unam vel alteram quaestionem de specie vel numero peccatorum faciendam praetermittit ».

Quaer. 1°. *An vel quomodo gravis sit obligatio poenitentes interrogandi?* — 2°. *Quid de Gervasio dicendum?*

R. Ad 1^um^. *Per se* datur *obligatio gravis* in confessario interrogandi poenitentes, quia confessarius, quatenus iudex, curare debet ut, quantum satis est, causa iudicii sacramentalis instruatur. Praeterea constituitur ut poenitentem non solum audiat, sed adiuvet ad suam obligationem debite implendam. Hinc:

1°. *Graviter peccat* confessarius, si ex omissione voluntaria interrogationis alicuius debeat sequi grave damnum poenitentis vel alterius, et illud damnum saltem in confuso praeviderit. *Graviter* etiam *peccat,* si desit obligationi interrogandi quoad partem notabilem huius obligationis, in suo complexu spectatam, v. g., si plerasque interrogationes de numero et speciebus scienter et voluntarie, sine rationabili causa, omittat. Tunc enim graviter in officio suo delinquit, et irreverentiam gravem confessioni et sacramento irrogat.

2°. *Non autem graviter peccat,* si ex levi negligentia, vel ex inadvertentia plura etiam necessario petenda omittat. Billuart Diss. 6. a. 10. § 2. ubi sic loquitur: « Si ex levi negligentia, ex inadvertentia, ex memoriae labilitate, humana distractione, spiritus defatigatione, nimia attentione in confessionibus audiendis, etc., aliquid etiam necessarium inquirere omittat, nullum aut leve tantum erit peccatum: nemo enim tenetur cum tanta difficultate et morali impossibilitate alienos defectus supplere ».

3°. Maior erit difficultas, si confessarius omittat sine gravi ratione, et voluntarie seu ex gravi incuria unam tantum vel alteram necessariam interrogationem, v. g., circa numerum aut speciem. Ex una parte videtur graviter peccare, quia supplet vices poenitentis; poenitens vero, si ad obligationem adverteret, nec ei satisfaceret, graviter peccaret. Attamen ex alia parte probabilius non videtur graviter peccare. Ratio est, quia in hoc apparet parvitas materiae respectu totius obligationis in suo complexu spectatae. Insuper, si admitteretur materiae gravitas, onus maximum imponeretur confessariis, qui semper in mediis anxietatibus fluctuarent, timentes ne forte ex gravi negligentia interrogationem faciendam omiserint, et inde in oppositum excessum cum magno poenitentium gravamine impellerentur.

Praeterea, quamvis confessarius suppleat locum poenitentis, non tamen videtur esse tanto rigore obligatus ad interrogandum, sicut ille ad

se accusandum. Confessarius enim praecise supplet non tanquam cautionem pro poenitente assumens, sed potius tanquam auxiliator eiusdem. Adde etiam quod, si rigorosa comparatio inter utriusque obligationem admitteretur, millies onus confessarii debitum poenitentis excederet; cum poenitens raro confiteri teneatur, confessarius vero continuo et saepe tota die munus suum adimplere debeat.

Ad 2^um^. Gervasius excusandus videtur a peccato gravi, cum paucas interrogationes faciendas de specie et numero peccatorum ex incuria omittat, quia officium suum, quoad substantiam, adimplere censetur ». G. 666.-668. 671., I. M. 819.

Ad *numerum* peccatorum quod spectat, non oportet plus aequo sollicitum esse, et quando numerum verosimilem cognoscere perdifficile est, satius erit cognoscere statum poenitentis, maxime cum rudibus, et habituatis, et quoad actus internos. Lig. 466., Sporer 451., Lugo D. 16. n. 573. 575. 576.

Notandum item hic est, quod si confessarius aliquid non bene intellexit, poterit in fine de eo interrogare, ne poenitentem interrumpat. « Quod si ex nota sibi conscientia poenitentis possit praesumere id, quod non percepit, esse quid leve, nec possit sine turbatione, vel molestia poenitentis interrogare, potest tacere et absolvere ». La-Croix 1716.

121. — CONFESSARIUS INTERROGATIONUM OBLITUS

« Guido, sacerdos infelicis memoriae (quidquid sit de iudicio), ne poenitentes perturbet, remittere solet ad finem confessionis interrogationes faciendas, remedia praescribenda, oneraque restitutionis imponendae, occasionis derelinquendae, etc. Sed non raro, absoluta poenitentis narratione, de indagandis iniungendisve, imo et de ipsis peccatis penitus oblitus est. Quid tum miser? Rudiores adigit ad confessionem compendiario repetendam, cultiores vero in pace relinquit, ne illos offendat; et, re dissimulata, confestim absolvit, nesciens quidem quandoque quid absolvat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Male fecit Guido, remittendo ad finem confessionis omnes faciendas interrogationes, praescribendaque onera seu remedia, ob periculum oblivionis. Quivis alius ita agendo imprudens foret; quanto magis Guido, qui memoriae infelicis probe se novit esse? » Ita P. Gury 679.

Male quidem egit Guido, sed teneturne antequam absolvat exquirere a suo poenitente iteratam confessionem, ut possit ipse nunc facere interrogationes, quas omisit praesertim circa speciem et numerum peccatorum? Busemb. apud S. Alph. 499. ait: « Si finita confessione intelligas confessarium aliqua non percepisse, sive propter somnum, sive distractionem, nescias autem, quae sint illa, teneris repetere confessionem, si brevis fuerit, quia de singulis prudenter potes dubitare. Si autem longa fuerit, non teneris ob rationem contrariam; et satis esse confiteri, quod dubites, an aliquod ex tuis peccatis confessor perceperit ». Et S. Alph. mox subdit: « Sic etiam tenent Salm., etc., qui dicunt Christum Dominum non praesumi imposuisse praeceptum integritatis cum tanto onere, scilicet omnia

peccata repetendi in tali casu, et idem docet Lugo D. 16. n. 607. cum Sanch., etc. communiter ». Hinc eruitur, quod confessarius, qui sibi proposuerat poenitentem interrogare de specie et numero alicuius gravis peccati in fine confessionis, et deinde talis peccati obliviscatur; si confessio fuit unius vel alterius tantum peccati gravis, confessarius videtur teneri ad exigendam iteratam confessionem; nam tunc prudenter potest de singulis dubitare, nec aliunde inde grave onus imponitur poenitenti, praesertim, si id confessarius prudenter faciat. Et id certe sine scrupulo communiter fit a confessariis, si quando peccatum aliquod non bene audiant et intelligant, nec poenitentes ideo turbantur. Si vero confessio longa fuerit et plurium gravium peccatorum, tunc videtur confessarius abstinere posse ab exquirenda iteratam omnium confessionem, ne tantum onus poenitenti imponat. I. M. 717.

122. — IUDICIUM DE PECCATIS FACIENDUM

Robertinus, ab audiendis confessionibus, abstinet, quia ait, ex ipsa experientia sibi constare, se non posse saepe definire, an adfuerit peccatum mortale vel veniale, cum poenitentes saepe peccata explicent modo valde dubio, ita ut ipsimet nesciant, an consensum praestiterint. Insuper addit, valde capite defatigari in audiendis confessionibus, tum ut iudicium ferat de peccatorum infima specie, et determinet contra quam praecise virtutem sint; tum ut iudicet de numero, quem saepe ipsi impossibile est clare percipere, cum non possit statim memoriter additionem omnium peccatorum facere ad integrum peccatorum numerum cognoscendum.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Robertinus valde decipitur circa naturam iudicii efformandi peccatorum in administratione sacramenti poenitentiae. Etenim primo « confessarius non tenetur de singulis peccatis certum formare iudicium, sed tantum *de obviis et claris* ». Lig. 500. « Non est necessarium, ut confessarius in omnibus iudicet, quae sint peccata gravia vel levia, sufficit, si sciat hoc iudicare in iis *quae communiter occurrunt*, reliqua autem audiat et absolvat ». Lig. 627.

Insuper ad iudicium quod attinet, a confessario efformandum circa peccata, 1°. quoad *speciem* peccatorum, distinguenda est duplex peccati cognitio. Prima cognitio est explicita, reflexa et in actu signato, de natura seu specie uniuscuiusque peccati, contra quam virtutem et quod praeceptum sit; et talis est cognitio reatus in foro iudiciali exteriori, cum iudex poenam proferens explicite significat varias leges, a nocente violatas, et poenas in diversis codicis articulis, a iure iam constabilitas. Altera cognitio est implicita, directa et in actu exercito, et habetur cum confessarius apprehendit peccatum cum omnibus suis circumstantiis, speciem mutantibus, ita ut si aliqua ex eis desit, paratus sit interrogare: licet ipse actu non dicat: tale peccatum est contra tales virtutes et praecepta, in tali vel tali specie infima; optime tamen distinguit unum peccatum ab alio. Iam vero ad confessionem *valide* et *licite* audiendam suf-

ficit postrema haec peccati scientia; ea enim *sufficit* ad verum iudicium de peccato efformandum. Satis autem est, quoad peccatorum species et circumstantias necessario explicandas, ratione restitutionis bonorum et famae, reservationis, censurae, irregularitatis, etc., « si confessarius intelligat, quae frequentius accidunt, et de aliis sciat dubitare ». Lig. 627., I. M. 811. — 2°. Quoad peccatorum *numerum* non est necesse, ut in fine totius confessionis arithmeticum quemdam calculum et additionem faciat confessarius omnium peccatorum. *Ad poenitentiam* enim *imponendam* sufficit vel *confusa cognitio status poenitentis;* poenitentia autem imposita, non est necesse *ad absolutionem impertiendam* etiam confuse recordari peccatorum vel poenitentiae impositae, sed satis est recordari, poenitentem rite dispositum rite *esse confessum,* et *latum esse de eo iudicium.* Neque vero necesse est facere eumdem calculum in quavis parte confessionis, cum poenitens peccata uniuscuiusque speciei confitetur dicens, e. g., se per plures annos circum circiter decies vel duodecies fecisse tale peccatum; et deinde per plures annos in ipsum lapsum esse frequentius, puta singulis hebdomadis circum circiter vigesies, etc. Sufficit enim illa cognitio distincta numeri, quae per partes successive habetur: tunc confessarius, licet successive et per partes, iudicium vere efformat de numero peccatorum, et sufficienter inde cognoscere potest in fine totius confessionis saltem confuse statum poenitentis. Praeter quam quod iste calculus intolerabile onus esset confessario. Suarez D. 22. S. 6. in fine, Lugo D. 16. n. 636., La-Croix l. 6. P. 2. n. 1717., Reuter Neoconf. P. 1. C. 7. n. 28., L. 502., G. 678., I. M. 745. 749.

123. — ABSOLUTIO DANDA

An teneatur confessarius semper absolvere poenitentem, cuius confessionem audivit, et ad hoc amplecti opinionem probabilem benigniorem?

R. 1°. In casu gravis necessitatis, v. g., in mortis articulo tenetur. Ratio est, quia in tali casu nequit, salva charitate, relinquere poenitentem sine remedio, quod licite adhibere potest. Atqui, iuxta sententiam moraliter certam, licite uti potest probabili opinione benigniore. Ergo. 2°. Extra casum gravis necessitatis, si opinio illa probabilis se tenet ex parte poenitentis, qui in sua operatione amplecti vult opinionem probabilem sibi favorabilem, v. g., an poenitens in tali casu teneatur ad restitutionem, tenetur tunc confessarius amplecti opinionem probabilem poenitentis, et eum absolvere. Ratio est, quia, audita confessione, poenitens habet ius certum ad absolutionem, si est legitime dispositus. Atqui, licet velit amplecti opinionem probabilem benigniorem, poenitens esse potest legitime dispositus; illam enim opinionem amplectendo, potest bene detestari omnia peccata praeterita, et propositum efficax habere observandi omnia praecepta Dei. Observat enim sufficienter praeceptum divinum, qui probabilem opinionem sequendo prudenter iudicat, se ad aliquid praestandum nullo obstringi praecepto, adeoque illud omittit. Ergo. Si vero probabilis illa opinio se tenet ex parte confessarii, v. g., an in talibus circumstantiis confessarius possit negare absolutionem vel illam dare, et utraque sit probabilis, potest confessarius sententiam rigidiorem

eligere et absolutionem negare. Etenim 1°. tunc confessarius operatur iuxta opinionem vere probabilem et consequenter licite. Sicut ergo poenitens circa suam obligationem potest eligere sententiam probabilem, ita et confessarius circa suam obligationem probabilem sententiam eligere potest. 2°. Quia, si qua ratio esset, cur id confessarius non posset, ea foret quia audita confessione poenitens habet ius certum ad absolutionem. Atqui cum solum probabilis est obligatio poenitentem absolvendi, poenitens ius certum ad absolutionem non habet. Ergo. Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 26., L. l. 6. n. 604., H. A. Tr. 16. n. 118. 119., I. M. V. 1. num. 119.

124. — DE SIGILLO SACRAMENTALI

Landulphus, parochus, saepe consulitur a suis vicariis, ex poenitentium licentia, circa eosdem conscientiae casus, in confessionibus ipsi occurrentes, non iisdem tamen circumstantiis expositos. Hinc valde dubius est, quando casus iam ipso est uno modo propositus, et deinde alio modo exponitur cum aliis circumstantiis, quid ipse debeat respondere, et an uti possit in responsione cognitione, quam iam habet casus. Quin imo confessiones ipse audiens, saepe notat casum, quem sibi poenitens exponit, iam fuisse pluries ipsi a suis vicariis expositus, cum aliis bene diversis circumstantiis. Hinc magis adhuc dubius est, an possit ipse respondere secundum notitiam, quam iam habet casus, eamque poenitenti manifestare, ut poenitens possit melius casum exponere, et illum ipse resolvere.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. « Quando aliquis consultus est circa idem peccatum a duobus confessariis, quibus poenitens seorsim confessus est, debet cum singulis loqui, ac si alia via illud non sciret: nec potest uni dicere aliquam aliam circumstantiam diversam, quam ab altero didicit, sed singulis respondere debet iuxta ea, quae singuli narrant. Poterit tamen dicere sub conditione: si res non esset hoc modo, sed alio diverso cum tali circumstantia, aliter dicendum esset. Hoc vero ipsum debet caute facere, et salvo sigillo ». Lugo D. 23. n. 30. Oppositum quidem S. Alph. 648. *putat verum*, quia sicut certo creditur poenitens nolle aliud consilium nisi rectum, ita certo praesumitur velle, quod ipse doctor libere loquatur de omnibus, quae scit a primo confessario, et quae pertinent ad rectum consilium praestandum. Verum haec praesumptio est valde incerta: hac enim in re praesumptio est, ut asserit idem S. D. l. c., quod poenitens det licentiam cum omni limitatione qua potest. Et sane, res non caret gravamine pro poenitente, et odio sacramenti, si confessarius advertens, quod plus ipsi respondeatur, quam res exposita exigeret, in suspicionem inde veniret de sinceritate poenitentis sui. — An autem, si poenitens confessionem deinde peragat apud hunc doctorem, quem illius confessarius consuluerat, « possit iste loqui de illis peccatis, quae prius sciebat notitia derivata ex prima confessione? Videtur enim non esse hoc contra sigillum, cum non loquatur extra forum sacramentale; sed semper maneat

res sub eodem sigillo confessionis. Caeterum, non auderem concedere hanc licentiam: quia, licet utrumque sit sigillum confessionis; non est tamen confessionis factae eidem confessario: nam peccata prioris confessionis sciebat hic sacerdos, ut aliquid tenens se ex parte prioris confessarii, et nomine illius: quare participabat sigillum, et obligationem illius ». Lugo D. 29. n. 128. I. M. 837.

125. — SIGILLUM POST POENITENTIS REVELATIONEM

An postquam ipse poenitens manifestaverit, se confessum fuisse omnia sua peccata, quae multa et gravia erant, eaque enarraverit publice aliis, possit confessarius sua auctoritate rem confirmare, et sic eius veram conversionem manifestare?

R. Haec ad rem nostram Busemb. ap. S. Alph. 638: « Non frangitur sigillum... si utaris notitia *extra confessionem* acquisita, imo ipsum peccatum, quod aliunde tibi innotuit, aperias, *modo* nullam circumstantiam ex sola confessione notam, nec *certius* referas, quam *extra* confessionem nosti; quo in casu opus est magna cautela, et tutissimum est silere ». — Layman l. 5. Tr. 6. n. 9. haec habet: « Concessum non est confessario peccata publica, *quatenus* ex confessione accepta sunt elicere », et hanc ait esse communem doctrinam. — « Extra confessionem, inquit iterum Busemb. ap. S. Alph. 651. *cum licentia poenitentis* potest agi de auditis in confessione sive cum ipsomet, sive cum quocumque alio etsi periculosum sit... Circa quam licentiam requiritur 1°. ut sit *formalis*, et *expressa;* nam *praesumpta, tacita, interpretativa, virtualis,* etiam in bonum ipsiusmet poenitentis, non sufficit... Perinde est sive ea licentia detur *verbo* sive *facto,* quod quidem aequivaleat expresse confessioni, v. g., si poenitens extra confessionem incipiat loqui cum confessario de dictis in confessione, tunc enim posse hunc prosequi docent Avers., Tanner, etc. Bene tamen advertit Lugo, ait S. Alph. quod eo casu adhuc perseverat sigillum respectu ad alios, quia, licet poenitens extra confessionem loquatur, censetur tamen non praebere confessario aliam licentiam quam dependentem a confessione peracta ». Quare ad propositam quaestionem quod spectat, si poenitens vere et expresse confessario dat veniam, ut possit suam confessionem manifestare, eiusque conversionem ad Deum confirmare; si confessarius id faciat contra sigillum non agit, sed res valde periculosa est. Si vero poenitens hanc licentiam vere et expresse confessario non det, quamvis ipse deinde publice manifestet sua peccata, non potest confessarius uti scientia per confessionem accepta, et secundum illam loqui ad confirmanda ea quae ab aliis audit.

126. — USUS SCIENTIAE CONFESSIONIS

1°. « Exponis, missionarios nonnullos, cum noverint numerum eorum, quibus in confessione permiserint ad S. Communionem accedere, non interrogatis poenitentibus, totidem ponere particulas consecrandas; et quaeris num praxis haec sit prohibenda. Nemo non videt, missiona-

rios sic agentes uti scientia in confessione acquisita, quod est Ecclesiae legibus expresse vetitum; nec prava haec agendi ratio efficax est ad arcendos indignos: potest enim indignus accedere inter primos ad sacram synaxim, ex quo a Communione dignus pro indigno excluderetur, addito etiam periculo ulterioris scandali in sacramentalis confessionis praeiudicium: quare abusus hic est omnino tollendus ». S. C. de P. F. 29. Febr. 1836. Collectan. n. 939.

2°. In quadam parochia, ut pueri ad primam communionem rite admitterentur ad determinatos quosdam confessarios dirigebantur, qui, audita eorumdem puerorum confessione, iuxta iudicium prudenter a se formatum de cuiusque dispositionibus, libere eos admitterent seu excluderent a prima communione, schedulas admissionis eis tradentes, et parocho exhibendas.

Quaer. *An licite id fieret?*

R. Illicite omnino. Etenim satis liquet iudicium in casu de puerorum debita dispositione ad primam communionem confessario simpliciter remitti, et confessarium illud efformare ex audita confessione. Cum autem confessarius eisdem pueris ex hoc iudicio circa statum animae puerorum traderet vel non traderet eis schedulam admissionis ad primam communionem, distinguendo ita admittendos et excludendos, patet haberi inde illicitum usum scientiae per confessionem acceptae. S. Poenit. 8. Iun. 1843. Cf. Nouvelle Revue Théolog. V. 21. p. 52. seqq.

3°. Cl. D'Annib. n. 359. et 363. sequentia tradit: « 1°. Nullum scandalum est, quod praecavere, aut reparare liceat cum fractione sigilli; utputa si ex confessione didiceris Seium et Caiam, matrimonium contrahere volentes, esse patrem et filium. Nihilominus nostri doctores communiter docent, nefas esse, servandi sigilli causa, aliquid *quod suapte natura malum est*, ut fornicari, mentiri. *Nodum hunc solverint alii* ».

2°. « Si ex confessione Lucii didiceris, tibi peregre ituro parari insidias tali loco, an possis iter differre, vel alia via ire, si exinde hi qui eas parant suspicari merito possint, te id accepisse ex confessione Lucii? »

3°. « Ei qui tibi confessus est velle te occidere, ensem, huius rei causa a te reposcenti, negare te posse, sententia olim communissima fuit. Alias, si is tibi in confessione significaverit, se ea die venenum tibi ad coenam daturum, et post confessionem ad coenam invitet, tu ire debebis! Ex tua confessione didici, te meum confessarium sacerdotem non esse, non cogor ad te redire, etsi cur non redeam probe intelligas, nisi exinde aliquid damni vel dedecoris ad te redundet. Si a te in confessione acceperim, Seium fuisse baptizatum vino, quis dixerit, me non posse rebaptizare Seium, quia hoc ingratum tibi futurum est? Quin Sporer n. 870. existimat, si ex tua confessione didicerim, Osium esse beneficio indignissimum, posse me hac notitia uti, etsi tu id aegre feras, si nihil intersit tua ».

Verum in 1°. casu nulla est difficultas *in nodo illo solvendo*. Nam praefatum non praecavere scandalum peccatum in casu non est; fornicari vero et mentiri *si suapte natura malum est*, confessionis sigillum ad peccandum profecto non obligat.

Ad 2um. Negative. Nam evidenter habetur indirecta peccati revelatio, et violatio sigilli. Supponitur autem, uti patet, quod Lucius illas insidias manifestaverit in confessione, non ut rem ad confessionem non pertinentem, sed ut rem ad ipsam confessionem spectantem, accusando, e. g. suum complicitatis peccatum. Hinc neque posset confessarius a celebratione missae abstinere, quando novit in confessione ex aliquo criminis complice, venenum in urceolo vino infusum esse, si alii complices intelligerent crimen ab aliquo sociorum revelatum esse. Lig. 659.

Ad 3um. Non apparet primum quomodo haec cohaereant cum generali cl. auctoris doctrina eodem num. 363. paulo ante tradita. Docet enim cl. auctor, haberi procul dubio violationem sigilli, si ex usu notitiae confessionis gravamen poenitentis sequatur, mox subiiciens: « gravamen autem accipere debemus, quidquid poenitenti nedum noxium, sed molestum vel *ingratum* esse potest, sive iure, sive *iniuria* ». Deinde, ut habet idem cl. auctor n. 359.: « In dubiis heic semper tutiora tenenda sunt, et sigillo favorabiliora; et nedum in dubio *facti*... sed verius etiam in dubio *iuris* ». Cum igitur variae sint quoad propositos casus sententiae, quomodo quis sententiam contra sigillum poterit in praxi amplecti? Insuper, si in casu illo *ensis restituendi*, et *veneni vitandi* non habetur sigilli violatio, supposito quod revera sacramentale adsit sigillum in duplici isto casu; quomodo haec violatio habetur e contra, ut asserit ipse D'Annib. eodem num. 363., « si famulus tuus tibi confessus sit, se noctu domi amicam recipere, vel res tuas expilare, et tu noctu fores clauderes, vel rebus tuis superesses diligentius, vel in ipsa confessione ei praeciperes ut e servitio discedat: quippe herus non confessarius praeciperet ». Si *haec* redundant *in gravamen seu exprobrationem poenitentis*, cur non *illa*? Ac quoad casum alium confessarii, non sacerdotis, « communius et verius, ait S. Alph. 660., tenent oppositum Lugo, Mazzot., etc. Ratio, quia in tali omissione, quamvis non adsit revelatio sigilli, semper tamen adest *quaedam odiosa exprobratio poenitentis*. Neque tunc oportet tibi simulare sacramentum... sed potes illi ficto sacerdoti vel confessario simpliciter aliquod peccatum manifestare sine intentione absolutionis ». Ac illa *quaedam odiosa exprobratio poenitentis* facto ipso habetur in casu Seii ab eo poenitente cum vino baptizati. « Nec excusant, ait etiam idem D'Annib. l. c., alterius, nec reipublicae, vel religionis damna, v. g. ab officio confessarii removere eum, quem scis non esse sacerdotem, vel ad hoc officium, quod daturus eras, non eligere ». Quoad ultimum vero casum *odium* habetur *sacramenti;* nam si fideles hoc scirent quod ex eorum confessione damnum alii pati possent, a confessione removerentur. — G. 780. 784., I. M. 844. 845. 851. 858.

4°. « Minime audiendus auctor Additionum ad Wigandt p. 389. ad 3. dicens, quod esto ex sola scientia confessionis nequeat superior dirigi ad gubernationem externam; tamen poterit ex illa *lumen accipere*, et sumere alium exteriorem praetextum seu colorem ad negandum officium ». Lig. 657. I. M. 859.

DE EXTREMA UNCTIONE

127. — DE MATERIA EXTREMAE UNCTIONIS

Iacobus aegrotus post manuum et ante pedum ac renum unctionem, visus est omnibus adstantibus iam spiritum emisisse. Hinc Ioannes sacerdos a duabus praedictis unctionibus perficiendis abstinuit. Verum post horae quadrantem animadvertit aegrotum adhuc vivere. Hinc magna anxietate quaerit, quid sibi sit faciendum.

Quaer. *Quid ad Iacobi quaesitum?*

R. Cum unctiones essentiales iam omnes fuerint rite peractae, nihil iterandum videtur neque sub conditione, nihil etiam videtur addendum. D'Annib. 420., I. M. 864. 868.

128. — DE FORMA EXTREMAE UNCTIONIS

Augustinus, parochus, administrans extremam unctionem in casu urgentis necessitatis, cum Rituale prae manibus non haberet hanc adhibuit formam, quae eius memoriae tunc occurrit: *Ungo te oleo sancto, ut per suam misericordiam indulgeat tibi Deus,* etc.

Quaer. *An valide?*

R. S. Alph. l. 6. n. 711. D. 3. ait: « Negant Bonac., etc. Probabilius vero affirmant Suar., Laym., Fill., Henr., Reg. et ceteri communius apud Salm., qui tamen dicunt rem esse incertam. Ratio, quia his verbis iam exprimitur substantia formae ». — I. M. 865.

129. — DE VIATICO ET EXTREMA UNCTIONE

Petrus, parochus, advocatus fuit apud moribundum, ut ei viaticum et extremam unctionem ministraret. Cum mors instaret, existimavit melius se et utilius facturum, si prius extremam unctionem, deinde viaticum ministraret, tum ne infirmus ille peculiari illius sacramenti extremae unctionis gratia careret, tum quia iam mane ex devotione sacram communionem receperat, unde viaticum minus necessarium visum ei est. Re peracta, anxius quaerebat Petrus, an rite egerit, viaticum post extremam unctionem ministrando.

Quaer. *Quid ad Petri quaesitum?*

R. Petrus rite egit. Nam 1°. in Rituali Romano sic habetur: « Ex generali Ecclesiae consuetudine, si tempus et infirmi conditio permittat, ante extremam unctionem, poenitentiae, et eucharistiae sacramenta infirmis praebeantur ». Atqui, in praefato casu Petri, mors instabat. Infirmi ergo conditio prudenter suadebat, posse prius extremam unctionem ministrari, ne infirmus careret peculiari istius sacramenti gratia, quae prodest quam maxime, proximae mortis tempore. 2°. Cum infirmus iste mane communionem ex devotione receperit poterat quidem, sed non tenebatur viaticum sumere; adeoque poterat illi, instante morte, prius ministrari extrema unctio, ne isto sacramento careret; et deinde si tempus suppeteret ministrari etiam viaticum. Tempore vero deficiente, nullum inde incommodum infirmo illi redundasset. 3°. S. Alph. l. 6. n. 716. inquit aperte: « Suscipere extremam unctionem ante viaticum, aut nullum erit peccatum, aut vix veniale, ut dicunt Suarez D. 44. S. 1. n. 2. et Croix n. 2120., nec improbat Bened. XIV. de Syn. l. 8. C. 8. n. 2., quia consuetudo praemittendi viaticum non est recepta saltem sub gravi obligatione ». Stante ergo rationabili causa, inversionis a Petro factae, omni praefata culpa inversio ista vacat. — I. M. 562. 872.

130. — DE INFIRMIS VISITANDIS IN GRAVI PERICULO CONSTITUTIS

« In regno Buganda, ne nova adversus christianos excitetur persecutio, fideles religionem publice profiteri nequeunt, et quasi incogniti inter infideles vitam degunt. Hinc maxima pro missionariis infirmos visitandi difficultas; nam ex missionarii praesentia exoriretur pro infirmo periculum, et pro iis apud quos degit; quin imo pro omnibus christianis, qui non tolerantur, eorum munere a rege cognito. Quaeritur ergo, utrum ad hoc periculum praecavendum, missionarii possint ac debeant infirmos non visitare, an, spreto quolibet periculo sive privatorum, sive communitatis christianae; aegrotos in gravi moriendi periculo constitutos visitare possint aut debeant, ut illos Sacramentis Ecclesiae reficiant.

R. Ad mentem; mens autem est a missionariis fideles monendos, ut, attenta difficultate habendi missionarii adsistentiam in mortis articulo, omni studio satagant peccata vitare, et in mortis periculo mutuam sibi adsistentiam praebeant; ac insuper missionarii bene instruant catechistas, qui in expositis casibus missionarii vices aliqua ratione fungantur ». S. O. 3. Apr. 1889.

DE ORDINE

———×———

131. — DE SIMULTANEO INSTRUMENTORUM TACTU

« Titius, dum accederet ad sacerdotium accipiendum prohibitus fuit a magistro caeremoniarum, parum sui muneris perito, ne tangeret calicem et patenam, dum episcopus verba illa formae proferebat, *Accipite potestatem,* etc.; sed immediate post formam totam prolatam iussus fuit tangere. Dubitavit postea de valore et securitate suae ordinationis, et an posset, vel deberet iterum sub conditione ordinari.

.... Ego in praedicto casu dixi, Titium potuisse in prima ordinatione quiescere absque ulla reiteratione, etiam conditionata; non tamen peccaturum si ad maiorem sui animi quietem iterum sub conditione ordinaretur, quod etiam episcopus poterat licite in eius gratiam facere.... Quia sententia docens, primam ordinationem non esse validam, quamvis habeat pro se nonnullos auctores antiquos; est tamen iam adeo derelicta, ut videatur antiquata, et omni probabilitate carere.... probabile tamen videtur saltem per principia extrinseca, posse eam sub conditione reiterari. Nam valorem primae ordinationis negarunt Caiet., Scotus, Richard., Navarr., Zambran. ». Ita Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 33. n. 3.-5.

Verum, si ordinatio in casu habeatur ut *certo* valida, adeoque *tuto* non reiteranda, non intelligitur quomodo quis possit simul sententiam aliquam habere tanquam *destitutam omni intrinseca probabilitate,* eamque vero habere, ut *probabilem extrinseca probabilitate,* ita ut possit tamen, in casu, licite ordinatio reiterari. « Neque enim, ut habet ipse Lugo l. c. n. 4., *ad dubium morale ordinationis* sufficit, quod aliqui auctores dixerint illam non esse validam, si tamen constet, eos absque fundamento sufficienti id dixisse ». Quod quidem ita demonstrat idem Lugo, asserens simul uti validam de facto Titii ordinationem fuisse habitam, et nullum potuisse induci episcopum ad illam reiterandam. « Communis, ait l. c. n. 1., theologorum sententia non exigit simultatem mathematicam, sed moralem inter materiam et formam sacramenti.... Nec contraria sententia videtur probabilitatem habere, cum non sit sufficiens fundamentum ad simultatem illam mathematicam exigendam; imo in collatione diaconatus et subdiaconatus de facto id non observatur, sed prolata ab episcopo forma in numero plurali pro omnibus ordinandis, singuli successive tangunt librum vel instrumenta. Cur ergo idem in collatione sacerdotii fieri non posset, ut episcopus omnibus diceret, *Accipite potestatem,* etc., et postea singuli successive materiam tangerent, vel si numerus ordinandorum magnus fortasse esset, eandem formam episcopus ter vel quater per interruptas morulas repeteret, ne nimis distaret prolatio formae a contactu materiae? Scio aliquando episcopum

aliquem id ita fecisse, et, si bene memini, P. Luisius ab Alcazar narravit mihi, se ita de facto sacerdotem fuisse ordinatum, nec potuisse episcopum adduci, ut iterum sub conditione formam repeteret, et materiam porrigeret, constanter asseverans, id sine ullo prorsus fundamento exigi. Quare, in casu a nobis adducto, a fortiori idem dicendum esset, in quo multo maior simultas intercessit, et *ideo multi episcopi rogati ab eodem Titio,* ut sub conditione iterum eum ordinarent, *constanter id recusarunt,* non audentes, *ob levissimum illum scrupulum,* sacram ordinationem etiam sub conditione reiterare ».

Neque item intelligitur, quod Lugo etiam habet n. 3. et 5. ad suam assertionem demonstrandam, nempe quod bene esse potest quod sententia negans *valorem* ordinationis non sit probabilis, et sit simul probabilis sententia affirmans *obligationem* reiterationis: « sunt enim diversae quaestiones ». Utique diversae sunt quaestiones, sed ita connexae, ut si valor ordinationis sit revera moraliter certus, ut in casu, non possit tunc consequenter ordinatio reiterari; obligatio enim consequitur moraliter certa ordinationem non reiterandi ex eius valore moraliter certo. Ipse baptismus reiterari non potest, nisi quando *dubius* sit eius valor. — I. M. 888.

132. — DE IMMEDIATO INSTRUMENTORUM TACTU

Adulphus magna angitur anxietate, propterea quod in sua ordinatione presbyterali una quidem manu tetigit calicem et patenam cum hostia, altera vero manu tetigit etiam patenam cum hostia, sed calicem non nisi ungue medii digiti. Quare instanter petit, ut iterum saltem sub conditione ordinetur.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Adulphus quietus omnino esse debet, neque debet neque potest iterum, etiam sub conditione, ordinari. Nam omnino valide ordinatus est: siquidem non defuit certe tactus patenae et calicis, et quidem qualis a Pontificali Romano praescribitur. Quemadmodum, qui digito tangit, manu vere tangit, ita etiam, qui ungue tangit vere digito tangit; ac, si ungue tangit, profecto tangit. Praeterea, qui mediante chirotheca alium manu verberaret, et alapis impeteret, eum profecto tangeret. Ergo a fortiori vere tangit, qui mediante ungue tangit. Ceterum, cum Adulphus una manu perfecte instrumenta tetigerit, altera perfecte tetigerit hostiam cum patena et scrupulum habet tantum quoad tactum, mediante ungue, calicis altera manu, nullum dubium esse potest de eius valida ordinatione. Audiatur La-Croix n. 2155. « Si Ordinandus una tantum manu, vel uno tantum digito tangat materiam, hoc sufficere ad valorem Ordinationis, docent recte Sanch., etc., quia qui tangit una manu simpliciter dicitur tangere, immo etiamsi solo ungue manus, uti habent Lug. et Gob.; nam si solo ungue laceres vultum alterius, utique tu diceris eum tetigisse. Ratio ulterior est, quia non debemus dicere aliquid requiri ad essentiam sacramenti, quando sine illo salvatur forma sacramenti, et auctoritas Scripturae vel Ecclesiae nos non cogit ad tale quid requirendum ». Idem habet s. Alph. 743.: « Merito dicit Escob. sufficere quoad valorem,

quod materia una manu tangatur. Et pariter merito cum communi censent idem Escob., etc. sufficere tactum mediatum, nempe si contingatur calix, patena, aut liber medio aliquo velo, vel chirotheca, qui enim sic tangit, in omnium sensu vere tangere dicitur ». Cf. Coll. S. C. de P. F. n. 1205.

133. — DE LITTERIS DIMISSORIIS

« Anno 1790. ingressus est in Tunkinum iuvenis quidam Gallus ex dioecesi Nannetensi oriundus, qui idoneus videtur ad ordines suscipiendos, et intendit se devovere Missioni Tunkinensi. In dubio autem, an possint litterae dimissoriae obtineri ab eius natalis dioecesis episcopo, quaeritur, an non liceat Vicariis Apostolicis ordinare, absque litteris dimissoriis illos, quorum Ordinarii ita distant, ut ad ipsos difficillimus sit recursus, praesertim postquam ordinandi, de quibus agitur, per tres saltem annos commorati sunt sub iurisdictione Vicariorum Ap., ipsorumque expensis sustentati, tanquam de eorum familia?

R. Non licere, sed permitti posse Vicario Ap. Tunkini, in casu iuvenis galli ex dioecesi nannetensi, attentis circumstantiis, illum clericali militiae adscribere, et ad ordines promovere sine litteris dimissoriis sui Ordinarii, si nullum extiterit impedimentum, et quatenus idoneus reperiatur. — SSmus approbavit ». S. C. de P. F. 18. Ian. 1793. A. S. S. V. 25. p. 577.

134. — DE ORDINATIONE EXTRA TEMPORA

1°. Antonius, praelatus regularis, opinatur posse regulares omnes extra tempora ordinari. Hinc enixe petit ab Ordinario, ut velit suis subditis ordines extra tempora conferre. Renuit Ordinarius; sed instat Antonius asserens, hoc esse privilegium regularibus omnibus commune, quod non fuit a Concilio Tridentino abrogatum; et fuit de novo concessum Ordini Hierosolymitano per Bullam Pii IV. *Circumspecta,* absque ulla incommunicabilitatis clausula. Fuit insuper a Concilio Romano recognitum; siquidem C. 2. tit. 5. dicitur: « Decernimus Regulares, absque novo Indulto Apostolico, tuto posse extra tempora ordinari ». Tandem a S. C. EE. et RR. admissum fuit Decisione d. 25. Iun. 1730. et d. 18. Iul. 1732. Cf. Bizzarri Collect. Ed. 1885. p. 341. 343. Verum Ordinarius reponit hoc privilegium esse proprium tantum Societatis Iesu, et esse aliis Ordinibus incommunicabile ex Bulla Gregorii XIII. *Pium et utile.* Quod praeterea confirmatur ex praxi Romae vigente, ubi tantum Societatis sodales hoc privilegio fruuntur.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Bened. XIV. Notif. 23. n. 3. seqq. haec habet de praesenti quaestione: « Avendo il Sagro Concilio di Trento alla S. 23. C. 8. determinato, che le sagre ordinazioni si celebrino, *statutis a iure temporibus*, da ciò deriva aver esso derogato ai privilegi, che le Religioni po-

tevano avere antecedentemente, che i loro religiosi si fossero ordinati *extra tempora:* tanto più che il Pontefice Pio IV. nella sua Bolla 94. al t. 2. del Bollario, in cui conferma il sagro Concilio di Trento dice, che i privilegi contrari allo stabilito in esso s' intendano cessati ed annullati, e ridotti a' termini del medesimo...

E avendo avuto Noi l'onore di servire per molti anni in qualità di Segretario la S. C. del Conc. non abbiamo avuta occasione di vedere ammettersi da essa altro privilegio, che quello dei PP. della Comp. di Gesù, e non già quello conceduto ad essa da Paolo III., di cui si parla nella sua Cost. 48. § 19. t. 1. del Bollario per essere anteriore al Concilio; ma bensì quello di Gregorio XIII. posteriore al detto Concilio, ed inserito nella sua Cost. 77. al T. 2. del Bollario, il qual privilegio fu di poi confermato da Paolo V., come si vede nel Bollario della detta Religione, e ancora da Innocenzo XII., che avendo stabilite alcune regole circa gl' Indulti particolari dell'*extra tempora,* nominando i Regolari, solennemente dichiarò ad istanza dei Religiosi della Comp. non aver mai inteso di portare verun pregiudizio al privilegio conceduto loro da Gregorio XIII., conforme può vedersi in una carta, stampata in Roma nel di lui Pontificato, e ristampata appresso La-Croix l. 6. n. 2194., senza che questo particolar privilegio possa estendersi agli altri Ordini Regolari, che partecipano de' privilegi della detta Compagnia, avendo Gregorio XIII. nel § 4. della Bolla cit. determinato, che questo privilegio non passi negli altri, che partecipano, o erano per partecipare dei privilegi de' padri Gesuiti: Praesentis autem gratiae communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiose participant, et participare poterunt, quomodolibet in futurum fieri, omnino prohibemus...

E benchè nell' ultimo Conc. Rom. tenuto sotto la S. M. di Benedetto XIII. al tit. 5. C. 2. così si legga: Quo vero ad regulares, privilegia a Summis Pontificibus habentes, sive expresse, sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet ordines extra tempora suscipiendi, cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet, decernimus proinde, regulares eosdem, absque novo Indulto Apostolico tuto posse *extra tempora* ordinari. Non leggendosi però nel detto capitolo: *sive expresse, sive per viam communicationis ante Conc. Trident. concessa;* di qui deriva, non potersi dire in vigore del Conc. Rom. decisa la controversia; restando sempre nel suo vigore il motivo di sopra mentovato, essere stato dal Conc. di Trento, nel luogo accennato, derogato agli antecedenti privilegi. Nè questa ragione dee riputarsi o sottile o insussistente: poichè in sequela della medesima oggidì in Roma non si ammettono al privilegio dell'*extra tempora,* che i soli PP. della Comp., che l'ebbero dopo il Conc. di Trento... e non affacciasi ora in Roma verun altro regolare per essere ordinato *extra tempora,* senza avere spedito il suo indulto particolare ».

Ex his satis apparet, regularis praelati rationes non esse omnino demonstrativas; Ordinarii vero assertionem et rationem satis sustineri. Attamen regularis praelati sententia non omni caret probabilitate, adeoque Ordinarius, *si velit, potest ei acquiescere,* licet *non videatur teneri.* Audiatur Honorante Prax. Secr. C. 12. « An autem antiqua privilegia a Sede Apostolica Regularibus concessa, recipiendi ordines *extra tempora,*

fuerint revocata per Conc. Trid. S. 23. C. 8.; affirmant plures doctores... In contrariam sententiam plures quoque dd. devenere.... Sed utramque doctorum in diversam abeuntium assertionem esse opinionem, non vero sententiam certam asserendum est, ut bene advertit Passerinus insignis Ordinis Praedicatorum... Et quamvis in Conc. Rom. sequens extet Decretum: Quo vero ad Regulares privilegia a Summis Pontificibus habentes, sive expresse sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet ordines extra tempora suscipiendi, cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet, decernimus proinde regulares eosdem, absque novo Indulto Apostolico tuto posse extra tempora ordinari »; Tit. 5. C. 2.: Nihilominus, cum in dicto cap. non legatur, *sive expresse, sive per viam communicationem ante Concilium Tridentinum concessa,* dici non potest, quod per Conc. Rom. decisa fuerit controversia, cum semper in suo robore eadem ratio persistat, per Conc. Trid. l. c. derogatum fuisse antecedentibus privilegiis. Tandem Bened. XIV. C. *Impositi* 27. Sept. 1747. declaravit huiusmodi privilegia illis solis regularibus suffragari, quibus post Trid. nominatim atque directe, non vero per communicationem concessa fuerint...

Et de facto in Secretaria Tribunalis, etiam antequam dicta Const. emanaret, ab initio Pontificatus s. m. Clementis XII. usque ad haec tempora, nullum aliud privilegium de *extra tempora* admissum fuit, nisi solum concessum fratribus S. Pauli primi Eremitae Provinciae Hungaricae, studentibus in Urbe vigore Decreti S. C. de P. F. 26. Sept. 1718.; et privilegium concessum PP. Soc. Iesu, non illud quidem concessum a Paulo III., cum emanatum fuerit ante Concilium, sed illud Gregorii XIII. post Concilium, quod postea confirmatum fuit a Paulo V. et ab Innoc. XII.; nec extendi potest ad alios ordines regulares, qui participant de privilegiis dictae Soc.

Non est autem hic praetermittendum, quod Fratribus Minoribus de observantia in partibus Indiarum Occidentalium degentibus, fuit supradictum privilegium concessum post Conc. ab Urbano VIII. in Const. *Cum sicut.*

S. Alph. de Privil. n. 115. quaestionem tractat: « Utrum religiosi possint ordinari *extra tempora* ». Et respondet: « Negant Vasquez, Lezana, etc.; etenim aiunt, quod etsi Gregorius id concesserit Iesuitis, attamen prohibuit communicationem. Sed hodie *non amplius est in dubium revocandum,* quin possint tam ex multis privilegiis concessis aliis Religionibus, quam ex Declaratione nuper facta per Bened. XIV. in Conc. Rom. Tit. 5. C. 2., in quo statutum fuit, quod talia privilegia *in suo robore persistant, nec eis derogatum fuisse constat* ». Et l. 6. n. 797. eandem S. D. movet quaestionem et ait: « Negant Vazquez etc. Sed *verius affirmant* Laymann cum March., etc. Ratio, quia post Gregorium XIII., Clemens VIII. absolute hoc privilegium concessit omnibus mendicantibus, et Urbanus VIII. concessit Ordini Discalceatorum SS. Trinitatis. Et novissime Bened. XIII. *(apud Bened. XIV. Not. 23. n. 5.)* in Conc. Rom. Tit. 5. C. 2. hoc privilegium confirmavit ».

Dubium tamen revera hac in re adest. Unde D'Annib. n. 294. nota 2. inquit: « Religiosis e S. I. ex privilegio eis concesso a Gregorio XIII. conferri possunt ordines sacri quibusvis diebus festis de praecepto. Utrum et aliis religiosis disputatur: itaque res arbitrio episcopi permissa est, et,

eo nolente ordinare, non licet alium episcopum adire. Clem. VIII. 15. Mart. 1569., Bened. XIV. Not. 23. ». Ac reapse ipse Benedictus XIV. regularibus morem gerens, fatetur l. c., se sacros ordines eisdem *extra tempora* saepe contulisse.

Notandum vero ultimo loco est, quod quamvis Conc. Rom. l. c. expresse non dicat regularium privilegia in suo robore persistere, *sive expresse, sive per viam communicationis ante Concilium concessa,* nihilominus absolute et indefinite loquitur. Ceterum, si ea privilegia ante Concilium suppressa abrogata sunt, quaenam tandem sunt ista *privilegia, sive expresse,* SIVE PER VIAM COMMUNICATIONIS concessa, *quae in suo robore persistunt nec sunt derogata?* Loquitur praeterea Conc. de privilegiis in suo robore persistentibus *et quibus non fuisse derogatum constat,* nempe per Conc. Trid.; et sane cit. S. 23. C. 8. nulla privilegiorum derogatoria clausula reperitur.

Confirmatur autem statuta resolutio ex S. C. EE. et RR. quae d. 18. Iul. 1732. rescripsit: « episcopum *posse,* sed *non teneri* » regulares *extra tempora* ordinare; quamvis eadem S. C. aperte fateatur in sua Decisione 13. Iulii 1730. *privilegium ordinationis extra tempora in suo esse vigore.* Bizzarri Collect. 1885. p. 342. 344.

2°. « Regularis quidam, privilegio carens, ut a quocumque catholico Antistite ordinari valeat, Ordinarii, in cuius dioecesi extat conventus ubi regularis incolit, attestationes exhibet extraneo episcopo, quibus declaratur ipsum Ordinarium extra tempora statuta ordinationem non tenere. Hinc quaer. 1°. An iuxta C. Bened. XIV. *Impositi* 27. Febr. 1746., episcopus extraneus possit, extra tempora a canonibus statuta regularem praedicto privilegio carentem ordinare, in casu? Et quatenus affirmative: 2°. An sufficiat attestatio Ordinarii dioecesani, ut in casu; vel requiratur attestatio, qua declaratur episcopum loci, quo regularis degit, non tenere ordinationem temporibus statutis? — R. Ad 1^{um}. Affirmative. — Ad 2^{um}. Requiri attestationem, episcopum proximo legitimo tempore non habiturum ordinationem ». S. C. C. 18. Aug. 1888.

3°. « Decretum Synodi Midensis in Hibernia, quo edicitur, *neminem in posterum sive saecularem, sive regularem, in hac dioecesi, non servatis interstitiis, nec sine diligenti Ordinarii examine, ad sacros ordines promovendum, nisi utilitas aut necessitas Ecclesiae aliud episcopo suadeat; et hoc iudicium etiam quoad regulares non spectare ad superiores regulares, sed ad Ordinarium,* reformandum esse quoad illos, qui contrarium habent privilegium, concessum post Concilium; et in reliquis danda et servanda esse Decreta tenoris sequentis: 30. Iunii 1597., 30. Sept. 1609... remissionem interstitiorum ex causis a Concilio expressis pertinere ad episcopum ordinantem, etiam quoad regulares, ab eo ordines suscipientes, non autem ad superiores regulares; ipsum tamen episcopum de causis remissionis teneri fidem adhibere ac deferre testimonio superioris regularis ». S. C. C. 24. Aug. 1686.

DE MATRIMONIO

135. — DE TACITIS SPONSALIBUS

Severinus, praesente Amalia, petiit a Modestino fratre et tutore Amaliae, eius sororem Amaliam in sponsam. Annuit Modestinus, et tunc Severinus matrimonium solemni verborum forma, addito etiam iuramento promisit, quam promissionem acceptavit nomine Amaliae Modestinus, qui simul matrimonium repromisit Severino pari formularum solemnitate. Amalia omnia audiens prae pudore et modestia tacebat, interne tamen res ipsi valde placebat, adeoque consentiebat, et promittebat, et iuramento etiam coram Deo adstringebatur. Sed paulo post dies repentino correptus morbo moritur Severinus, et tunc eius frater Ioannes, qui audierat Severinum, saepe loquentem de virtutibus Amaliae, statim, sine praeviis sponsalibus, loco fratris matrimonium init cum Amalia.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Schmalz. l. 4. Tit. 1. n. 66. seqq. refert aliquorum sententiam, qui stant pro validitate horum sponsalium. Deinde n. 67. 68. ait: « Sed melius negativam defendunt Paludan. etc. Ratio est, quia contractus matrimonii et sponsalium de iure naturali et divino ita personalis est, ut nemo etiam pater, eo iure praestare consensum possit pro filio, nisi speciale ab eo mandatum habeat; igitur dum parentum consensus, iunctus cum taciturnitate filii, sponsalia praesumpta facit, id habetur ex dispositione et praesumptione iuris positivi tantum per C. un. *de Desp. imp.* in 6°., quae cum sit restrictiva iuris naturalis ultra casum in iure expressum extendi non debet; extenderetur autem, si procederet etiam in fratribus, cognatis, tutoribus, quia cap. cit. solorum parentum meminit; ergo etc.

Ex quo sequitur, licet fortasse pupillus, aut soror reipsa complacentiam, et internum consensum sponsalia contrahendi, seque obligandi habeat, dum tutor, vel frater eius nomine contrahit, inde tamen sponsalitiam obligationem neque pro foro interno et conscientiae ullam exurgere. Ratio est, quia ex iuris dispositione verba solorum parentum, non vero tutoris, vel alterius quomodocumque coniuncti consensum internum in sponsalitiam obligationem significant; igitur etsi pupillus vel soror ad promissionis tutoris vel fratris tacuerit, non tamen censebitur hoc ipso promisisse matrimonium; vel si illud interne promisit; haec tamen promissio, quia signo idoneo ab ipso promittente expressa non est, et ideo ab altera parte acceptari non potuit, obligatoria nullatenus erit ».

Quare cum in Casu nulla adfuerint sponsalia, haberi non potest impedimentum ex ipsis publicae honestatis; adeoque Amaliae matrimonium validum est.

Notandum autem hic est, quod si non agatur de aliis extraneis, aut de aliis cognatis, sed de *parentibus* eadem iuris positiva dispositio est, sive sit *pater* sive sit *mater,* quae pro filiis sponsalia contrahat; sive pro filiis *puberibus* sive pro *impuberibus* contrahat; et « ex eis oritur iustitia publicae honestatis ». C. un. cit., Schmalz. n. 62. — I. M. 919.

136. — SPONSALIA PER VERBA DE PRAESENTI

« Fuit contractum matrimonium in civitate Messanae, post publicationem Decretorum Conc. Trid. per verba *de praesenti,* et mutuum consensum, non factis publicationibus, nec praesente parocho, nisi tantummodo notario et testibus. Petitur declarari, si supradictus contractus matrimonii, cum sit factus contra formam traditam per decretum eiusdem Concilii de contrahendo matrimonio, est adeo nullus, quod neque transeat in sponsalia de futuro. — S. C. C. a. 1573. censuit non transire ». Bened. XIV. Not. 46. n. 24., I. M. 923.

137. — PROMISSIO ALIAM NON DUCENDI

« Binas sponsaliorum syngraphas exaravit de anno 1697. Antonius Levame erga Benedictam Genam, ab utroque subscriptas: alteram sub d. 9. Nov. in hunc tenorem: *Io infrascritto dico e prometto di non sposare altra figlia, che la Signora Benedetta Gena, come anche promette lei di non sposare altro giovane, che me. — Antonio Levame, Benedetta Gena.* Alteram vero sub die 12. eiusdem mensis, eiusmodi: *Io infrascritto dico e prometto di non sposare altra figlia, che la Signora Benedetta Gena, come anche promette lei e giura. — Antonio Levame, Benedetta Gena.*

1°. An constet de validitate sponsalium inter Antonium Levame, et Benedictam Genam? Et quatenus affirmative: 2°. An Antonius Levame, sit cogendus, vel possit ab eis recedere, contrahendo cum altera, in casu?

S. C. C. 1. Iun. 1709. respondit: Ad 1^{um}. ex hactenus deductis *non constare* de sponsalibus absolutis. — Ad 2^{um}. Quoad coactionem contrahendi cum Gena *negative.* An vero valeat contrahere cum alia *dilata.* Die vero 28. Sept. 1709. ad quaesitum: An possit Antonius contrahere cum alia muliere in casu? respondit: *Affirmative* ». De Iust. De Dispens. Matr. Cas. 13.

Enimvero promittens se aliam non ducturum in uxorem, nisi talem mulierem, absolute non promittit se matrimonium cum illa contracturum; sed tantum se obligat ad illam ducendum in uxorem in hypothesi quod statum coniugalem velit eligere. Quod declaratur exemplo illius, qui promittit, se fundum non venditurum nisi Titio; ille quidem simpliciter non obligatur ad fundum Titio vendendum, sed in casu tantum quod fundum velit vendere. Bened. XIV. Quaest. Can. CCCCXXXIV., L. 842., G. 835., I. M. 919.

138. — SPONSALIA CUM IMPEDIMENTO

« Antonius de Christophoro postquam iniisset sponsalia de futuro cum Catharina Carusio, sibi coniuncta in tertio et quarto consanguinitatis gradu, eamque carnaliter cognovisset, et suscepisset prolem, alia deinde iniit sponsalia de futuro cum Catharina Pascharelli; sed tandem mutato animo contraxit matrimonium per verba de praesenti cum Catharina Carusio, obtenta apostolica dispensatione super impedimento consanguinitatis. Cum vero frater dicti Antonii intendat matrimonium contrahere cum altera Catharina, dubitatum fuit, an illi obstet impedimentum publicae honestatis, proveniens ex sponsalibus cum altero fratre prius initis quatenus ea sint valida. Quare proponitur dubium:

An constet de impedimento publicae honestatis inter Alexandrum et Catharinam de Pascharello, ita ut indigeant dispensatione in casu? — R. Affirmative ». S. C. C. 31. Mart. 1708. De Iustis De Dispens. Matr. Cas. 11. 12. I. M. 919.

139. — DE SPONSALIUM OBLIGATIONE

Dominicus post inita sponsalia cum Agnete eam cogitat derelinquere ut aliam ducat in uxorem. Quare petit a suo confessario, an id licite efficere possit. Ipse enim paratus est Agnetem sufficienter dotare, imo etiam conspicuam dotem ei constituere, ut alteri facile nubere possit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Cum sponsalia sub gravi ex oneroso contractu obligent ad matrimonium, ac non nisi ad matrimonium, non potest Dominicus Agnetem, ea invita, derelinquere, licet eam velit abundanter dotare. Agnetem enim deserendo, quamvis eandem dotet, iam non stat promissis. Cf. Bened. XIV. Quaest. Can. CCLXXIX. I. M. 926.

140. — MATRIMONII NATURA

Augustinus, Iurisconsultus tenet, in fidelium matrimonio bene distingui posse *contractum* et *sacramentum*. Quare causae matrimoniales, ait, sunt *mixtae,* et sub ratione *contractus* pertinent ad civilem potestatem, sub ratione *sacramenti* ad Ecclesiam.

Quaer. *Quid de Augustini doctrina sentiendum?*

R. Augustinus egregie decipitur. Nam sacramentum matrimonii non est quid superadditum ipsi contractui vel contractui extrinsecum, vel a contractu separabile, vel a contractu ipso realiter distinctum; sed sacramentum ipse contractus est. Adeoque, si ad Ecclesiam pertinent, iure suo, causae matrimoniales *sub ratione sacramenti,* pertinent etiam *sub ratione contractus*. Quare Ecclesia, eaque sola, et iure suo, potestatem

habet impedimenta dirimentia constituendi, et impedimenta etiam per se impedientia directe constituendi, eaque dispensandi, per se itemque parem potestatem consequenter habet iudicandi de valore, de consistentia, de duratione matrimonii.

Praeterea ex Augustini sententia consequeretur, « ut evangelicae legis matrimonium, gratia a Iesu Christo per suam Passionem acquisita sanctificatum, perfectum, atque ad magni sacramenti Ecclesiae dignitatem erectum, eodem simul tempore, divina dispositione, contradictoriis legum lationibus obiiceretur, atque perpetuo inter duas diversas potestates bello conflictaretur, dum id altera tuetur, quod ab altera irritum redditur; illa contemptui habet ac punit id, cui ista benedicit atque sanctificationem adhibet; illa *civiles concedit effectus ei,* quem ista *ad civiles atque spirituales effectus inhabilem reddit* ». S. O. 6. Iul. 1817., Collect. S. C. de P. F. n. 1289., I. M. 971.

Confirmantur ea quae praecedunt ex iis, quae habet Bened. XIV. Litt. 17. Sept. 1746. *Redditae sunt Nobis.* Ait enim, loquens de locis, ubi Decretum Conc. Trid. est promulgatum, « perspicuum est, matrimonium initum coram civili magistratu aut acatholico ministello, et non item coram proprio alterutrius contrahentium parocho et duobus testibus, *neque in ratione sacramenti, neque in ratione contractus sustineri, aut ullo pacto validum reputari posse* ». Ergo sub utraque omnino ratione *et sacramenti et contractus* christianorum matrimonium non nisi Ecclesiae subiacet potestati. Et mox subdit: « Sciat catholici vestrae curae concrediti, cum civili magistratui aut haeretico ministello matrimonii celebrandi causa se sistunt, *actum mere civilem* se exercere, quo suum erga leges, et instituta Principum obsequium ostendunt: caeterum tunc *nullum a se contrahi matrimonium.* Sciant, nisi coram ministro catholico et duobus testibus nuptias celebraverint, *nunquam se neque coram Deo, neque coram Ecclesia,* VEROS ET LEGITIMOS CONIUGES FORE: nec, si interim coniugalem inter se consuetudinem habuerint, eam gravi culpa carituram. Sciant denique, si qua ex huiusmodi coniunctione orietur soboles, eam, utpote EX NON LEGITIMA UXORE NATAM, IN OCULIS DEI FORE ILLEGITIMAM, et, nisi coniuges consensum ex Ecclesiae praescripto renovaverint, ILLEGITIMAM PERPETUO FUTURAM ETIAM IN ECCLESIAE FORO ». Ex quibus elucet, quaenam sit civilis matrimonii natura, quaenam et quanta sit matrimonii sacramenti vis. Ea nempe tanta est, ut *vero matrimonio sublato,* veri matrimonii effectus desiderentur *coram Deo,* hoc est in obiectiva rerum veritate, et in foro conscientiae.

Hinc Leo XIII. Litt. Enc. 10. Februarii 1880. haec diserte docet: « Omnibus exploratum esse debet, si qua coniunctio viri et mulieris inter Christifideles citra sacramentum contrahitur, eam vi ac ratione iusti matrimonii carere, et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse, quam ritum aut morem iure civili introductum; more autem civili *res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efferunt ex sese in genere civili,* ET QUAS GIGNI NON POSSE MANIFESTUM EST, NISI VERA ET LEGITIMA ILLARUM CAUSA, SCILICET NUPTIALE VINCULUM, EXISTAT ». Cf. Vol. 1. Cas. 131., I. M. 959. 969. 970. 973.

141. — DE CONSENSU AD MATRIMONIUM REQUISITO

« ... In tre classi si possono dividere, quegli armeni, i quali si presentano avanti il giudice turco per contrarre il matrimonio. — *Alcuni* vi vanno a prendere una concubina, e questi non possono intendere di celebrare il contratto del matrimonio, ma di paliare in tal guisa la loro libidine. — *Altri* si presentano al ministro turco per fare una semplice dichiarazione del matrimonio già contratto, oppure da contrarsi in breve, ma non intendono di contrarre allora un vero matrimonio, benchè usino *verba de praesenti.* — *Altri* finalmente compariscono pure innanzi al medesimo giudice, per prendere una donna per vera moglie, quale non è stata talvolta loro accordata dalla Chiesa per motivo di qualche impedimento impediente, ma non sapendo questi tali, che il loro matrimonio, celebrato in tal guisa avanti il ministro turco, possa essere un vero e valido matrimonio, sebbene illecito, non possono intendere di contrarlo, sebbene ne abbiano la volontà, e si credono piuttosto di contrarre un concubinaggio; ma se sapessero la sufficienza di questo loro atto a contrarre il matrimonio vero intenderebbero senz'altro di contrarlo.

R. Questa è la sostanza de' dubbî, a cui la S. C. ha risposto, che i matrimonii, contratti *da quei della prima classe* avanti il giudice turco, sono *nulli* ed *irriti,* perchè la volontà dei contraenti, ed il loro consenso è diretto al solo concubinato; e in tanto esternamente dicono di celebrare il matrimonio, in quanto che vogliono con questo colore ricoprire la loro incontinenza. Ma se per avventura questa intenzione fosse stata occulta nella mente di un solo dei contraenti, il quale si fosse diportato in tutti gli atti esterni, come se avesse voluto celebrare un vero matrimonio, e in tal guisa avesse con astuzia e con frode ingannato l'altro coniuge, in questo caso, se della frode e dell'inganno non può aversi legittima prova, quantunque il matrimonio possa esser nullo nel foro interno, non si dovrà però formare l'istesso giudizio nel foro esterno. Sarà pertanto obbligato il Vic. Ap. quando avvenga il caso di dover decidere sopra uno di tali matrimonii contratti con finta intenzione, e con animo di prendere una concubina, e non una moglie, sarà obbligato, dissi, di bene esaminare le circostanze del fatto, e di non prestar fede alle sole assertive del coniuge ingannatore, specialmente se la donna era affatto ignara dell'inganno; e dovrà obligarlo a perseverare nel matrimonio, e rinnovare l'interno necessario consenso; imperocchè *sub mortali de novo consentire, et verum matrimonium efficere, tenetur,* come ne insegnano tutti i teologi, e come richiede il dovere.

Per gli altri della seconda classe, che si presentano innanzi al giudice turco, ma non vogliono contrarre allora vero matrimonio, benchè usino *verba de praesenti,* intendendo di contrarlo dopo, se non l'hanno contratto prima, si dovrà dal Vic. Ap. verificare la circostanza, se il matrimonio sia stato contratto validamente prima di presentarsi avanti il giudice turco, oppure si debba contrarre in appresso. Nel caso che il matrimonio fosse già stato contratto validamente prima, la comparsa avanti il giudice turco, quando si faccia per un atto veramente civile, e per ubbidire alle leggi del Principato, non è proibita, come insegna Bened. XIV. nella sua Cost. 139. T. 1. Bull. § 10., e niente nuoce alla

validità del matrimonio già celebrato; se poi il matrimonio o non fosse stato contratto, o non lo fosse validamente, siccome, quando costoro si presentano innanzi al giudice turco, non hanno intenzione di contrarre allora un vero matrimonio, così, mancando in essi il vero ed interno consenso, e trovandosi soltanto disposti a prestarlo allora quando celebreranno il matrimonio, non possono riputarsi per legittimi sposi, nè può dirsi valido il loro matrimonio. Ma dovrà anche per questi star bene avveduto il Vic. Ap. a non prestar così facilmente fede alle intenzioni occulte dei contraenti, quando per gli atti esteriori risulti il contrario di quel che asseriscono.

Per gli altri finalmente *della terza classe, i quali hanno la volontà di prendere una vera moglie,* ma sono nell'errore, che non sia sufficiente al valore del matrimonio di presentarsi innanzi al giudice turco, ma *se sapessero la sufficienza di questo loro atto a contrarre il matrimonio vero, intenderebbero senz'altro di contrarlo,* la S. C.... ha deciso che questi matrimonii siano validi, quando non v'intervenga qualche altro canonico impedimento. Imperocchè secondo le circostanze del caso proposto non può dubitarsi del vero, legittimo, interno e reciproco consenso dei contraenti. Il loro errore di non potersi contrarre validamente il matrimonio avanti il giudice turco non può renderlo nullo; imperocchè non concerne, nè appartiene alla sostanza del matrimonio, e non toglie la precedente volontà di chi voleva celebrarlo, ma cade solamente nella sua forma e solennità, e così non può renderlo invalido, giacchè sì nel matrimonio come negli altri contratti quando l'errore è concomitante e non influisce sull'essenza della cosa che si vuole, ma sulle sue qualità accidentali rimane il contratto valido. E neppure osta alla validità di tali matrimonii l'opinione invalsa presso la nazione Armena, che non possa un matrimonio contrarsi avanti il ministro turco, ma faccia di mestieri di celebrarlo avanti la Chiesa, e con la benedizione sacerdotale. *Questa opinione non è costante, non è nè tampoco comune presso tutta la nazione, e gli ecclesiastici, che hanno studiato teologia, sanno pensare diversamente... Inoltre non è questa opinione corredata da verun canone sinodale Armeno, non è approvata dalla Sede Apostolica,* ma piuttosto deriva dalla ignoranza degli Armeni, i quali non distinguono il matrimonio invalido dall'illecito.

.... La necessità dell'assistenza del parroco ai matrimonii è introdotta soltanto nella Chiesa Latina dal Decreto del S. Conc. di Trento, e gli Armeni, i quali come scriveva Bened. XIV. nella nota Istruz. del 1754. non hanno mai sentito parlare di questo Decreto, non possono essere per conseguenza a quello soggetti. E quindi quando celebrano il loro matrimonio alla presenza di due o tre probi ed onorati testimoni, oppure innanzi al giudice turco, *siccome non può dubitarsi allora del legittimo consenso reciprocamente manifestato, per contrarre il matrimonio, così non può rivocarsi in questione la sua validità* ». Instr. S. C. de P. F. 1. Oct. 1785., I. M. 959.-962. 967. 969.

142. — DE MATRIMONIO PER PROCURATOREM

Titius mandatum dedit Caio, ut suo nomine matrimonium contraheret cum Sempronia. Dum Caius matrimonium contrahebat, Titius gravis-

sima febri typhoide correptus in furiosam incidit amentiam. Verum, multis adhibitis remediis, post annum omnino convaluit.

Quaer. *An valeat praedictum matrimonium?*

R. Affirmative. Nam intermedio tempore voluntas Titii non fuit retractata; licet tunc, cum Caius pro ipso contrahebat, Titius usum amiserit rationis. Sanchez l. 2. D. 11. n. 12. I. M. 963.

143. — DE CAEREMONIIS MATRIMONII MIXTI

« Quo ritu assistet sacerdos matrimoniis, in quibus pars una est acatholica? Licetne proferre formam, dicere preces, benedicere annulum sponsae haereticae?

R. Negative ». S. O. 1. Aug. 1821. Collect. S. C. de P. F. 1543. 1427. 1443., Enchir. Moral. N. 826. 827. 829. 830., I. M. 1016.

144. — DE CAEREMONIIS MATRIMONII HAERETICORUM

« Multi protestantes, absque ulla intentione religionem catholicam amplectendi, saepe sollicitant, ut vel coram uno e suis sacerdotibus, vel coram episcopo ipso consensum ad matrimonium contrahendum praestent. Notandum est, quod in talibus circumstantiis, non tanquam sacerdotes, sed sicut magistratus civiles agerent episcopus et sacerdotes, quod legibus reipublicae licitum est. Nunc quaerit (episcopus), utrum ipsi, missionariisque suis liceat talibus praeesse matrimoniis?

R. Si agatur de matrimonio inter duas partes haereticas, licet huiusmodi interventus non ita reprobetur, ut nunquam licitus esse possit, communiter tamen esse dissuadendum. Si vero altera pars sit catholica, obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis, et servatis solitis clausulis et conditionibus, licere ». S. O. 20. Dec. 1837. Cf. Enchir. Moral. N. 826. seqq.

145. — INDISSOLUBILITAS MATRIMONII

Paulus infidelis, conversus ad fidem, nupsit Paulinae catholicae. Post tres matrimonii annos, Paulus a fide apostata redit ad infidelitatem. Potestne Paulina 1°. alteri catholico nubere? 2°. a Paulo saltem per divortium a thoro et a cohabitatione separari?

R. Ad 1^{um}. Negative. « Coniuges fideles non posse ob alterius coniugis reditum ad infidelitatem aliud matrimonium contrahere cum alio fideli ». S. C. de P. F. 7. Dec. 1626. — Ad 2^{um}. Exponendae et perpendendae sunt aliae casus particulares circumstantiae, quae adsint. « Coniuges catholici possunt permanere cum infideli apostata, vel se ab ipso separare, prout periculum perversionis, et contumelia Creatoris, iudicio prudentis confessarii exegerint, et his possunt sacramenta administrari ». S. O. 19. Sept. 1671. Cf. Collect. S. C. de P. F. n. 1257. 1280.-1282. 1284. 1287. 1288., I. M. 978.

146. — INTERPELLATIO REITERANDA

Franciscus, conversus ad fidem, facta semel interpellatione, et negativo habito responso, non nisi post notabile tempus ad alias nuptias transire statuit.

Quaer. *An iteranda interpellatio?*

R. Si coniux in infidelitate permaneat, iterum interpellatio facienda non est. Si vero coniux fidem amplexa fuerit, vel nunc amplectatur, eam Franciscus recipere tenetur. S. C. de P. F. 26. Iun. 1820. Enchir. Moral. N. 759., Innoc. III. C. *Gaudemus*.

147. — INTERPELLATIONIS DISPENSATIO

Francisca, recens conversa ad fidem, dispensatione Apostolica obtenta ab interpellatione facienda, matrimonium init cum Caio Christiano. Post tres menses apparet eius prior maritus, eam reclamans, et qui iam ab integro anno baptismum receperat.

Quaer. *An Francisca ad priorem maritum redire debeat?*

R. Negative. Ratio, quia ex Apostolica dispensatione solutum fuit prius illud matrimonium. Quidquid sit de quaestione, quo iure Summus Pontifex solvit vinculum matrimonii in infidelitate consummati, Cf. Ballerini apud Gury 759., certum omnino est quod affirmat Benedictus XIV. de Synodo Dioec. l. 13. cap. 21. n. 5.: « Primum matrimonium *eo ipso momento*, et quidem irrevocabiliter solutum remanet, *quo coniux conversus ad alias nuptias* cum fideli transivit, sive quia in hanc libertatem vindicatus fuerit iure divino, propterea quod infidelis coniux iudicialiter interpellatus, evangelicae veritati, aut innocuae cohabitationi se denegaverit, sive quia peculiares rerum circumstantiae viam aperuerint indulto Apostolico, quod quidem indultum, cum nulli conditioni sit alligatum, secundi matrimonii validitatem et firmitatem perpetuo asserit, et reditum intercludit ad prima connubia, etiamsi probare quis contenderet, primo coniugi interpellato non fuisse liberum respondere, vel eum iam tunc Christianae Religioni amplectendae paratum fuisse, imo ante illum diem, quo secundum matrimonium a coniuge converso celebratum fuit, ipsum quoque Christo nomen dedisse et Baptismum suscepisse ». — Enchir. Moral. 759., I. M. 980.

148. — INTERPELLATIONIS OMISSIO

Ubaldus, missionarius, praeditus facultate *dispensandi cum gentilibus et infidelibus, plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti,* hac eadem utens facultate, cum gentili quadam conversa ad fidem simul cum ultimo suo marito, ad fidem pariter

converso, dispensavit, ut hunc retineret prae primo eius legitimo viro, qui in alia erat regione, et in infidelitate persistebat, quin is interpellaretur, an vellet pacifice cohabitare et ad fidem converti.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. 1°. Quod Ubaldus praedicta usus fuerit facultate, non cum viro gentili ad fidem converso, sed cum muliere gentili ad fidem conversa, nihil culpandus videtur. Nam, in praedicta facultate, quod dicitur de viro relate ad plures uxores valet etiam quoad mulierem relate ad plures maritos. S. C. de P. F. 14. Ian. 1793. Collect. n. 1317. Haec Declaratio fuit iterum data a S. O. 12. Iun. 1850. Collect. S. C. de P. F. n. 1339. Attamen posterior adest S. O. Decisio 5. Sept. 1855., Collect. S. C. de P. F. n. 1345., quae supponere videtur praefatam facultatem quoad polygamiam non comprehendere etiam facultatem quoad polyandriam. Quare, in Casu, tutius certe esset, recurrere ad S. Sedem pro extensione praedictae facultatis.

2°. Neque vero Ubaldus peccavit in hoc, quod ea facultate usus sit cum muliere, quae non plures simul ac coniunctim, sed plures successive habuit maritos, quae nempe, primo marito dimisso, alterum duxit, et hoc pariter dimisso alteri adhaesit. Illud enim *plures* in praedicta facultate utroque modo intelligi potest, tum simul ac coniunctim, tum etiam successive, sive cohabitantibus sive relictis. S. C. de P. F. 14. Ian. 1806. Collect. n. 1321.

3°. Quaestio vero est, an Ubaldus recte egerit dispensando *ab interpellatione*. Secundum Instr. S. O. 11. Iun. 1760. ad Super. Miss. Peguan., Collect. S. C. de P. F. n. 1313., Ubaldus poterat quidem ab interpellatione dispensare, sed stante tantum vera impossibilitate et urgente necessitate, de qua nihil dicitur in Casu; et summario confecto processu, de quo pariter nulla mentio fit in Casu. Sic enim praedicta facultas in ea Instr. explicatur: « Benchè nel foglio delle facoltà, che si concedono dalla S. Sede... leggasi la seguente, *Dispensandi cum gentilibus,* etc... contuttociò... non si dispensi dall'interpellazione del coniuge infedele, se non quando la parte infedele *sia assente,* ed o *non si sappia ove essa si trovi, o per la lontananza si renda troppo difficile la interpellazione,* ed anche *per urgenti motivi* ed *in caso di necessità* e *rare volte*. Osservi però diligentemente, e con tutta la possibile cautela il P. Sup. della Miss., che in ognuno di questi casi, nei quali crederà necessario di dispensare dall'interpellazione, non basterà, che egli ne sia internamente persuaso, ma dovrà fare un processetto sommario, da cui per ogni futuro tempo apparisca questa necessità, o perchè l'interpellato non risponde, o perchè non si sa ove egli sia, o perchè ha dato prove col fatto del suo aperto dissenso; e sarà bene in tal caso, che per non mancare di cautela, si facciano anche le citazioni *ad valvas et per edictum,* coll'assegnamento di congruo tempo *ad comparendum et denuntiandum,* etc. Questo previo processetto sommario nasce dalla lettera e dallo spirito del Breve Gregoriano: *dummodo constet etiam summarie et extraiudicialiter* etc. ». Cf. Enchir. Mor. N. 759.

Extra praedictum casum impossibilitatis et urgentis necessitatis, secundum recentem Instruct. eiusdem S. O. 28. Mart. 1860., Collectan.

cit. n. 1297. partialis interpellatio omnino facienda est: ibi enim dicitur: « Infidelis, si frui velit paulino privilegio post baptisma, si unam tantum eamque legitimam habuerit uxorem, eam interpellare tenetur: 1°. *An velit converti;* 2°. *An saltem cohabitare pacifice absque iniuria Creatoris.* Utrique aut alteri assentientem accipiet, prout iura statuunt. Idipsum dicendum de muliere, quae converti vellet; et in hoc ad paria iudicantur coniuges infideles. — Sed pro polygamis infidelibus specialis concessio facta fuit in favorem fidei, nimirum, quod illa interpellatio fieri debet *quoad primam partem,* scilicet, *An velit converti* tantum. Renuente prima uxore, poterit quamlibet ex aliis eligere, dummodo et illa fidelis fiat, renovato consensu. Hisce enim verbis exprimitur praefata facultas missionariis elargita, *dispensandi cum gentilibus,* etc. Itaque huic priori uxori tribuitur plenum ius nuptiale, quae idcirco, si convertatur remanere poterit in legitimo coniugio, dummodo absque iniuria Creatoris: at, si velit frui paulino indulto, interpellationem faciet prout supra notatur, nec ab hac regula possunt missionarii pro lubito deflectere, sed si quid notatu in contrarium dignum repererint S. Congregationi fidelissime referent ». Ac « quoties coniugem infidelem nec Christi fidem amplecti, nec sine contumelia Creatoris cum coniuge converso velle cohabitare certo constet, episcopi, tanquam Apostolicae Sedis delegati, et vicarii apostolici dispensare poterunt super interpellatione, dummodo urgeat necessitas, nec tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem ». S. O. 11. Augusti 1859., Collect. S. C. de P. F. n. 1351.

Et in alia posteriori Instr. S. O. 20. Iun. 1866., Collectan. cit. n. 1354. haec notatu digna quoad praesentem Casum habentur: « Exploratissimum principium est, *matrimonium,* infidelitatis tempore, a viro cum foemina *celebratum,* vivente alia, cum qua *anteriori se coniugio* obstrinxerat, nullum et irritum esse, tum lege divina, tum naturali. Hinc, ubi constet virum infidelem voluisse *verum matrimonium non simplex contubernium inire cum prima,* quam accepit mulierem, nec ullum huic matrimonio obstitisse iuris naturalis impedimentum, prima illa mulier habenda est pro iusta ac legitima uxore; omnes autem aliae, quibus, illa non adhuc morte sublata, vir postea nupserit pro adulteris et concubinis. Debet igitur polygamus uxorem tempore priorem, quae sola iusta ac legitima uxor est, retinere; ceterasque tanquam adulteras et concubinas dimittere.... Uno tantum casu cessat haec obligatio, et liberum fit polygamo, ad christianam religionem converso, vinculum coniugale dissolvere prioris solius legitimae uxoris, et alias contrahere nuptias cum femina, quam ipse maluerit, quando nimirum locus esse potest privilegio in favorem fidei a Christo Domino concesso, et a Paulo Apostolo promulgato.... Ea est privilegii Paulini vis, ut matrimonium ab infidelibus in statu infidelitatis initum et consummatum solvatur, cum, altero coniugum ad fidem converso, alter neque converti vult, neque sine contumelia Creatoris cohabitare consentit. Patet proinde 1°. hoc privilegium competere dumtaxat vero legitimoque marito erga veram legitimamque uxorem, et viceversa. Patet 2°. non posse coniugem conversum hoc privilegio frui, nisi post susceptum baptisma, et post interpellationem alteri coniugi rite factam de evangelica veritate ampleclenda, et pacifica cohabitatione permittenda. Patet 3°., nullum huic privilegio esse posse locum, si ambo simul legitimi coniuges ad fidem convertentur.

Quod autem pertinet ad interpellationem duo praeterea adnotanda sunt. *Primum,* polygamis infidelibus, christianam religionem amplectentibus simul cum una ex concubinis suis, concedi ab Apostolica Sede, ut tantummodo circa conversionis propositum interpellare teneatur. *Alterum,* cum infidelibus quibuscumque ad fidem conversis posse ex eiusdem Apostolicae Sedis auctoritate dispensari, ut interpellationem utramque omittant, quoties haec aut fieri reipsa nequeat, aut, si fieret, nullius utilitatis fore reputetur, iuxta ea quae a Bened. XIV. l. 13. C. 21. De Syn. dioec. traduntur ».

Notatu dignum etiam est, quoad praesentem Casum, recens Responsio S. O. 22. Nov. 1871., Collect. S. C. de P. F. n. 1356. « An potestate a S. Pio V. *universe concessa* per Br. quod incipit *Romani Pontificis* (2. Aug. 1571.) uti possint missionarii in tota sua latitudine (Cf. Enchir. Moral. N. 759.). — R. Breve s. m. Pii V. spectare ad casum, in quo prima uxor legitima *nota* non sit, simulque sit *difficillimum eam reperire;* in eius vero usu servandam esse regulam ab eiusdem successore Gregorio XIII. praescriptam, hoc est, ut antequam neophytus cum alia muliere, quae simul cum eo baptizata est matrimonio iungatur, per summarium et extraiudicialem processum constare debeat difficillimum reapse esse primam uxorem reperire ».

Ex hisce omnibus apparet Ubaldum non recte egisse. Non enim agebatur de casu verae impossibilitatis, et urgentis necessitatis. Neque profecto, in Casu, *difficillimum erat primum coniugem reperire.* Br. cit. S. Pii V. — Cf. S. C. de P. F. 20. Mart. 1836., 26. Sept. 1837., S. O. 8. Iun. 1836., 4. Iul. 1855., 6. Aug. 1856., 11. Aug. 1859., 28. Mart. 1860., 3. Iun. 1874., 29. Nov. 1882., Collect. n. 1331. 1332. 1333. 1344. 1348. 1351. 1352. 2185., ubi haec particularibus casibus confirmantur, et adhuc magis declarantur. — I. M. 980., Collectan. oper. apost. ad usum Soc. miss. ad ext. n. 31. 11°., Compend. Privil. Soc. Iesu n. 388.

149. — DE OCCULTIS IMPEDIMENTIS MATRIMONII

« 1°. An matrimonia possint in foro externo declarari nulla atque invalida, quando eorum nullitas in foro conscientiae cognoscitur, sed non potest in foro externo probari? — 2°. An praefati coniuges ad aliud possint admitti matrimonium, quamdiu impedimentum sui prioris matrimonii manet occultum, atque nullitas praedicti sui matrimonii non est probata in foro externo? — 3°. Quomodo agendum sit cum iis, qui ad alias nuptias transiere, quamvis impedimentum prioris sui matrimonii occultum maneat, neque probari possit in foro externo? — 4°. An liceat huiusmodi coniugibus, si nullum adsit neque timeatur scandalum, in posteriori suo matrimonio remanere, quamvis nullitas prioris in foro externo probata non sit?

R. Ad 1^{um}. Negative. — Ad 2^{um}. Negative. — Ad 3^{um}. In foro externo secundum matrimonium, nullum esse habendum. — Ad 4^{um}. In foro externo non licere; monendi tamen coniuges, ut impedimentum notum faciant, et Vic. Ap. utatur facultate dispensandi ». S. C. de P. F. 11. Febr. 1804.

150. — DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS

1°. Mulier quaedam cum frustra per duos vel tres annos reditum viri praestolata fuisset, matrimonio unita est alteri viro, non obstantibus admonitionibus, quas Missionarius utrisque fecit; nunc secundus maritus huius mulieris facti poenitens vellet eam relinquere, et ad alia vota transire.

2°. Altera mulier cum et ipsa frustra reditum mariti expectasset, post tres annos existimans, ipsum iam mortuum esse, bona fide alii viro in matrimonio se coniunxit, et cum impossibile nunc sit investigare, utrum primus maritus vivat adhuc, aut reapse mortuus sit, quaeritur utrum relinqui ipsa possit in usu secundi matrimonii contracti, donec certitudo habeatur de vita primi mariti? »

R. S. O. 22. Mart. 1865. respondit: « Quoad primum separandos esse coniuges, et virum non posse secundas inire nuptias, usque dum moraliter sit certum, quo tempore ipse matrimonium iniit cum muliere, de qua agitur, iam primum virum eiusdem mulieris non obiisse. Ad secundum relinquendos esse in bona fide ». Cf. E. M. N. 833.

3°. Maritus est, qui post 14. annos, nondum potuit notitiam habere suae uxoris. Potestne alias inire nuptias?

R. Negative. « Cuiuscumque temporis lapsum non sufficere, ut coniugibus liceat novas inire nuptias, nisi prius constiterit morali certitudine priorem coniugem obiisse, prout ex C. *In praesentia* 19. *de Sponsalibus* ». S. C. de P. F. 21. Apr. 1788. Collect. n. 1365. 1366. 1368. I. M. 996.

151. — IMPEDIMENTUM CONSANGUINITATIS

Aloisius filius est Caii et Caiae ex illegitimo commercio. Aloisia filia est Sempronii et Semproniae ex illegitimo etiam commercio. Caius et Sempronia, Sempronius et Caia post natos praedictos filios matrimonium inter se inierunt ob exhortationem parochi, qui eos saepe monuit, ut cessarent a peccato, et rectam instituerent vitam. Hisce autem celebratis matrimoniis, Aloisius ducere vult uxorem Aloisiam. Sed renuit parochus propter impedimentum consanguinitatis.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Dñus parochus decipitur in casu proposito. Nulla enim adest consanguinitas inter Aloisium et Aloisiam. Ac primo nulla esse potest quaestio de *affinitate,* cum Aloisius nullum habuerit carnale commercium cum consanguineis Aloisiae, nec viceversa Aloisia carnale habuit commercium cum consanguineis Aloisii; de eo enim nihil dicitur in expositione Casus. Porro ad consanguinitatem quod attinet, hanc abesse patet ex eo quod Aloisius et Aloisia non habeant communem stipitem. Nam Aloisius est filius *Caii* et *Caiae;* et Aloisia est filia *Sempronii* et *Semproniae.* — I. M. 997. 1002.

152. — MATRIMONIUM FRATRIS ET SORORIS

Franciscus et Dominica matrimonium inierunt civile; et nunc plures habent filios. Publice autem habentur ut vere coniugati. Ad Deum con-

versi parochum adeunt, ut rite matrimonii sacramento coniungantur; sed occulte, ne infamia et scandalum exoriatur. Dum debitae fiunt investigationes ad praedictum effectum, grave nascitur dubium, an Franciscus et Dominica sint inter se frater et soror ex illegitimo commercio Titii et Caiae, quorum filii Franciscus et Dominica affirmantur a duabus personis, quas parochus interrogavit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Parochi officium est quoad matrimonia contrahenda, investigare utrum aliquod impedimentum obsistat, C. 3. *de Cland. Desp.*, illudque episcopo renunciare debet, et interim a denunciationibus abstinere. Res enim est, quae ad forum externum pertinet. Quare parochus, in Casu, definitivum iudicium ferre non potest, sed negotium episcopo remittere debet, datis testibus, documentis, indiciis.

Porro Ordinarii munus est iudicare ex actis et probatis, an revera impedimentum extet. Admittitur hic etiam unicus testis, si sit fide dignus, Lig. 996. 997. 998., et fama. Testis necesse est, ut deponat de impedimento iuratus et ex propria scientia, exceptis cognationum impedimentis, in quibus testes quoque de auditu admittuntur. Lig. 997. Fama vero eius loci esse debet, et non rumor tantum, dummodo haec non infirmetur iuramento consanguineorum vel contrahentium. Lig. 999.

Duae ergo illae personae, quae de impedimento deponunt rite sunt examinandae, et si sint fide dignae nec viles personae, quamvis alioquin non sint omni exceptiones maiores, praedictum matrimonium omnino impediendum est. Ac quamvis impedimentum dubium seu probabile tantum appareat, matrimonium permitti non potest propter periculum scandali quod subest. Si vero nullam illae personae fidem mereantur, matrimonium e contra impediri ideo non potest. Lig. 902. I. M. 1031.

Atque hic notandum est, quod missionarii apostolici, quibus per Indultum conceditur facultas dispensandi in gradibus consanguinitatis iure divino non prohibitis, nullatenus dispensare possunt cum infideli ad fidem converso super impedimento primi gradus consanguinitatis lineae transversae, ut ducere possit germanam, cum qua inierat sponsalia in infidelitate; neque enim praesumere licet Summos Pontifices auctoritatem delegasse, qua ipsi numquam usi sunt. Zitelli De Dispens. Matr. Romae 1887. pag. 55.

153. — IMPEDIMENTUM AFFINITATIS

« Dubium 2. Paulus viduus christianus, Balbinam infidelem duxit in uxorem, quae in numerum christianorum cooptari cupit, ut cum ipso matrimonium christiano more contrahat. Interim Demetrius Pauli filius, ex priore uxore proveniens, declarat se rem habuisse cum Balbina. Quaeritur an per huiusmodi copulam cum muliere infideli resultet impedimentum affinitatis in primo gradu.

Dubium 4. Vir fidelis in matrimonium duxit mulierem infidelem, cuius consanguineam in secundo gradu, infidelem quoque, antea cognoverat. Quaeritur, an postquam uxor eius christianam fidem amplexa fuerit, indigeat dispensatione super secundo affinitatis gradu, ut cum ipso sacramentaliter contrahere possit.

R. Ad 2. Duo sunt distinguenda: 1°. vel Paulus duxit uxorem Balbinam infidelem, praevia dispensatione Apostolica super cultus disparitate, vel absque Apostolica dispensatione; 2°. vel Demetrius rem habuit cum Balbina antequam Paulus eam sibi acciperet in uxorem, vel post. Si praevia Apostolica dispensatione Paulus Balbinam duxit, etiamsi praecessisset Demetrii copula cum eadem Balbina, iam pro valido habendum est matrimonium; quippe impedimentum affinitatis praesertim ex copula illicita, ut in casu, cum non habeatur ut iuris divini aut naturalis, sed tantum ecclesiastici, infideles ex mente Ecclesiae non afficit, quia Ecclesiae non subditos, et Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus, ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis a quibus exempta est pars infidelis, ut inde huius exemptio, propter contractus individuitatem, communicata remaneat et alteri. Fit inde consequens huiusmodi matrimonium reiterari non posse post Balbinae conversionem ad fidem. Semel enim validum semper in sua perseverat validitate: neque infirmaretur per subsequentem copulam quam Demetrius cum Balbina habuisset, quia non inde solveretur vinculum coniugale, quod est indissolubile. In hoc ergo primo casu animadvertant missionarii, ne huiusmodi coniuges christiano more contrahere postulantes admittant ad novam consensus praestationem; imo eos admoneant de validitate praecedentis matrimonii, ut sciant per sacras nuptialis benedictionis caeremonias, non novum se inire matrimonium, sed tantummodo quod iam inierunt firmumque consistit, sanctificari.

Contrarium autem dicendum est in secundo casu, nempe si Paulus contraxit cum Balbina absque Apostolica dispensatione super disparitate cultus. Tunc enim cum nullum et irritum fuerit matrimonium ac si contractum non fuisset, et ipsa Balbina post baptismum impedimento ligaretur affinitatis. Nec refert quod Balbina cum carnaliter cognita fuerit a Demetrio adhuc in infidelitate versaretur, atque idcirco ecclesiastico non subiiceretur impedimento. Distingui namque debet affinitas in se ac physice spectata ab impedimento affinitatis. Porro affinitas etiam ab infidelibus contrahitur, quia etiam inter infideles verum est, quod vir et mulier per carnalem copulam una caro efficiuntur. Itaque, ut habetur in cap. *Fraternitatis* 35. quaest. 10.: « Si una caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri? » Igitur quia Paulus pater pertinet ad Demetrium filium, pertinere dicendus est et ad Balbinam, ac Balbina, quia una caro effecta cum Demetrio pertinere Paulo. Id tantum est discriminis, quod affinitas ecclesiasticum non parit infidelibus impedimentum, fidelibus autem parit. Quapropter cum per Baptismum non tollatur a Balbina eius iam physice contracta cum Paulo affinitas, haec ipsa affinitas radicaliter in ea inhaerens, quae eidem infideli impedimento non erat ad contrahendum, impedimentum evadit post Baptismum, quo subdita fit Ecclesiae, eiusque proinde legibus subiecta; impedimentum autem utique in primo gradu, et quidem in linea recta, quia in tali se gradu et linea contingunt Paulus pater et Demetrius filius, et affinitatis gradus ex gradibus desumuntur consanguinitatis.

Ad 4. Ex his, quae dicta sunt in responsione ad 2. dubium, patet responsio ad 4. In utroque enim agitur de impedimento affinitatis ex copula illicita, nisi quod ibi sermo erat de affinitate quodammodo passiva Pauli fidelis, quam nempe contraxerat cum Balbina non ex proprio,

sed ex facto alterius, scilicet Demetrii, hic autem de affinitate agitur activa, cuius videlicet auctor est ipse vir catholicus, qui contrahere vult, mulierem cuius consanguineam in secundo gradu carnaliter cognovit. Eo ergo magis resultare dicendum est ex parte viri impedimentum, et quidem in secundo, quia consanguinitas et affinitas pari procedunt et computantur gradu, eodemque similiter detineri etiam mulierem, quum catholicam amplexata fuerit fidem. Itaque, si matrimonium a viro fideli cum infideli contractum Apostolica praecesserit dispensatio super cultus disparitate, pro valido habendum est, ideoque non iterandum, post mulieris baptismum, novi consensus praestatione; si vero absque huiusmodi dispensatione initum fuerit, quia nullum tunc fuisset et irritum, praeexistentis affinitatis impedimentum afficeret, post baptismi susceptionem, etiam mulierem, ut ipsa quoque indigeret dispensatione ad valide et sacramentaliter contrahendum ». S. O. 16. Sept. 1824. Enchir. Mor. N. 813., I. M. 1002.

154. — COGNATIO SPIRITUALIS COMPATERNITATIS

1°. « Quidam christianus patrinus fuit cuiusdam infantis propter periculum mortis domi baptizati, cuius matrem postea accepit in uxorem. Propter diversas theologorum sententias circa impedimentum cognationis spiritualis; quid de isto matrimonio censendum?

R. Consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii, *quatenus opus sit,* super impedimento cognationis spiritualis, et etiam pro sanatione in radice ». S. C. de P. F. 18. Mart. 1817. Collect. n. 1250. I. M. 459.

2°. Laurianus patrinum egit in baptismate omnium filiorum Iacobi. Mortuo Iacobo, Laurianus ducere cogitat in uxorem eius viduam.

Quaer. *An Laurianus multiplici cognatione spirituali, vel unica tantum cognatione devinciatur cum praedicta vidua.*

R. Cognatio spiritualis multiplex quidem esse potest, et haec multiplicitas exprimenda est in supplici libello, ut dispensatio valeat. Verum, in casu, non habetur multiplex spiritualis cognatio. Etenim non multiplicatur, quando quis plurium alicuius filiorum in eodem sacramento patrinum agit; sed quando alter alterius prolem invicem suscipit vel tenet, et quando quis eundem, quod illicitum est, vel alterum eiusdem personae filium, et suscipit in baptismo et tenet in confirmatione. — I. M. 1009.

155. — SPIRITUALIS MATERNITAS

Amandus infidelis nuptias promiserat Amaliae catholicae. Expectabatur, ut matrimonium celebraretur, dispensatio ab impedimento disparitatis cultus. Graviter interius Amandus infirmatur, et proximus iam morti ab Amalia ad fidem convertitur. Quadam die, imminente mortis periculo, cum missionarius longe abesset, neque alius catholicus praesens esset, ipsa Amalia Amando baptismum ministravit. Recepto baptismate Amandus convaluit, et communi omnium laetitia, cum nulla amplius opus esset dispensatione, matrimonium coram missionario et testibus celebrat.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Amandi et Amaliae matrimonium nullum est ob impedimentum cognationis spiritualis. Difficillimum autem est, quod dispensatio, in Casu, possit obtineri.

Etenim *primo,* indubium omnino est, contrahi spiritualem cognationem etiam a laico baptizante privatim, et in necessitate, extraneum qui non est ipsius filius, ut constat ex Trid. S. 24. C. 2. de R. M., ubi affirmatur cognationem oriri ex vero baptismo, inter baptizantem et baptizatum, neque distinguitur inter baptismum collatum solemniter et non solemniter, a laico vel presbytero. Schmalz. l. 4. t. 11. n. 50. 51., L. 149.

Huiusmodi autem impedimentum spiritualis cognationis inter spiritualem patrem et spiritualem filium tale est, ut Apostolica Sedes non soleat in eo dispensare. Antiqui et recentiores theologi et canonistae vix unum referunt exemplum, quod tamen refertur ad patrinum et filiolam. Cf. De Iustis De Dispens. Matr. l. 2. C. 5. n. 72., Sanchez l. 8. D. 24. n. 15., Pont. l. 8. C. 17. § 5. n. 28. Ratio est, quia regeneratio spiritualis, ex qua haec cognatio oritur assimilatur generationi carnali, quae dispensationem in linea recta omnino non admittit. Ac Sacri Canones definiunt, magis abstinendum esse a coniugio eorum, qui sunt nobis spirituales cognati, quam eorum qui sunt nobis carnales consanguinei. C. 1. 2. 3. q. 3. c. 30., Schmalzgr. l. c. n. 57.

Secundo, attenta Casus expositione, desideratur omnino in dispensatione obtinenda talis impedimenti iusta et proportionata causa. Nam « gravissima et urgentissima causa requiritur, qualis foret, periculum vitae oratoribus ob carnalem eorum commixtionem imminens; aut alia causa publica, uti docet Sanch. l. 8. D. 24. n. 15., Fagnanus in Cap. *Ex litteris, De Cognat. Spirit.* n. 18., et cl. P. Schmalgr. V. 9. tit. 16. n. 144. Et hic subiungit de Iustis lib. 2. cap. 5. n. 79., quod ubi Dispensatio huiusmodi in forma pauperum impetranda sit, orator tenetur quoque accedere ad Urbem, ut operam suam Fabricae conferat, quamvis claudus et debilis sit ». Giovine De Dispens. Matrim. Consultat. Canonic. Tom. 1. P. 2. § 217. pag. 391. seq.

Tertio, quod caput est, theologi et canonistae, qui maximam asserunt difficultatem dispensationis obtinendae super spirituali paternitate et filiatione, qui gravissimam et urgentissimam ad eam requirunt causam, quique affirmant matrimonium huiusmodi esse indecentissimum, adeoque Sanctam Sedem non solere in eo dispensare, et unum afferunt dispensationis exemplum, revera non loquuntur nisi de spirituali paternitate et filiatione quae adest inter patrinum et filiolam: minime vero de paternitate et filiatione, quae adest inter baptizantem et baptizatum. Scilicet supponere videntur praefati doctores talem dispensationem omnino numquam de facto esse concessam, et nunquam esse concedendam. Enimvero indecentia illa adhuc longe maior est in matrimonio baptizantis et baptizati, et si baptizans sit foemina, ut in Casu, baptizatus vir, adhuc gravior apparet irreverentia matrimonii inter spiritualem matrem et spiritualem filium. Cf. Sanchez l. 8. D. 19. n. 7., D. 24. n. 15., De Iustis l. 2. C. 5. n. 80., Reiffenstuel Append. n. 136., Corrad. l. 8. C. 8. n. 15.

156. — IMPEDIMENTUM LEGALIS COGNATIONIS

« An adoptio habenda sit pro impedimento canonico matrimonium dirimente in Regno Tunkini, quando iuxta leges et consuetudines eiusdem regni, persona, nondum sui iuris, adoptare potest, neque requiritur ut adoptans maior sit 25. annis, sicuti parum curatur, utrum sit masculus an femina; ipsi quoque eunuchi adoptare valent, neque habetur ratio aetatis adoptantis relative ad personam adoptatam, neque etiam requiritur personae adoptatae praesentia, vel eiusdem in adoptione consensus, ita ut etiam parvuli et puellae absentes, ac veri consensus incapaces in filios et filias adoptari possint?

R. Negative ». S. C. de P. F. 14. Ian. 1802. I. M. 1011.

157. — IMPEDIM. PUBLICAE HONESTATIS

Titius paganus Maeviam paganam duxit, et cum ea matrimonium non consummavit. Post Maeviae mortem Titius fit christianus potestne ducere Bertham sororem Maeviae e pagana factam christianam?

R. Affirmative. Impedimentum enim publicae honestatis ex matrimonio non consummato non subsistit in Casu. Idemque esset, si inter Titium et Maeviam sponsalia tantum intercessissent. S. O. 26. Sept. 1837. I. M. 1014.

158. — IMPEDIMENTUM VOTI

Titius coniux, venia a coniuge obtenta proficiscendi ad tempus in Americam, ibi in Religionem ingressus est, et solemnia emisit vota. Titia coniux, rem noscens, Titium coniugem ad se revocavit, cum plures haberet filios et ipsa gravi laboraret morbo. Rediit Titius, et reperiens coniugem mortuam, et filios adhuc aetate minores, novum init matrimonium cum Caia.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Titii religiosa professio, uxore invita seu non consentiente, ut in casu, invalida fuit. Titia autem uxor iure omnino maritum repetiit et revocavit, qui rediens uxori debitum reddere tenebatur. C. *Quidam* 3., C. *Placet* 12. *de Convers. coniug.*, Schmalzgr. l. 3. tit. 32. num. 24. Verum, cum Titius religiosam emittens professionem praesumatur, vi iuris, se obligare quantum potest, hinc censetur emittere votum continentiae, adeoque, vivente uxore, petere debitum non potuisset, uxore vero mortua, aliud non potest matrimonium inire. C. *Quidam* 3. *de Convers. coniug.* Verum, si Titius religiosam professionem emittens, noluisset omnino continentiam vovere nisi dependenter a professione religiosa, continentiae voto tunc non teneretur, et potuisset tunc debitum petere, et nunc posset alterum contrahere matrimonium; praesumptio enim cedit veritati; et hoc valet tum in foro conscientiae, tum etiam in foro externo, si rite probetur. Schmalz. l. c. n. 24.-26. Si vero Titius voluisset revera, se obligare quantum poterat, iniens deinde, mortua uxore, matrimonium, sine dispensatione, hoc quidem illicitum fuisset, sed non invalidum. C. *Quidam* cit. — G. 913., I. M. 899. 990. 1015.

159. — MATRIMONIUM HEBRAEI CUM PROTESTANTE

Ioannes hebraeus matrimonium iniit cum Petronilla protestante. Ambo ad catholicam fidem convertuntur, et quaeritur, utrum renovandum sit inter eos matrimonium?

R. Bened. XIV. C. *Singulari nobis* 9. Febr. 1749. § 1. diserte affirmat: « ambos, postquam catholicae fidei nomen dederint, per baptismum alter, altera per haeresis detestationem, rursus esse matrimonii vinculo coniungendos. Nam, *quod ante inierant irritum omnino fuit propter impedimentum dirimens, quod vocatur disparitatis cultus* ». — I. M. 1016.

160. — HEBRAEA CONVERSA AD PROTESTANTISMUM

Mulier hebraea fuerat repudiata a viro iudaeo, qui mox aliam uxorem duxerat. Repudiata porro, eiurato iudaismo, protestantium sectam amplexa est, et dein nupsit viro catholico, qui uxoris huius pertaesus contendit, has nuptias invalidas esse, quippe uxor adhuc ligata sit priori viro iudaeo.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Duae sunt distinguendae quaestiones, altera de Paulino privilegio, altera de omissa interpellatione. Et quoad hanc posteriorem, si casus sit talis, ut morali certitudine constet infidelem coniugem nolle converti nec pacifice habitare, tunc, saltem secundum valde probabilem sententiam, nulla opus fuit monitione aut interpellatione. Quod, si res adeo manifesta non erat, illicite initum fuit secundum matrimonium, sed quoad validitatem, secundum eandem sententiam, perinde est ac si quis coniux, antequam certo resciat quidpiam de morte alterius coniugis, novum ineat matrimonium; validum enim vel invalidum erit secundum, prout veritas est a parte rei, seu prout coniux reapse mortuus, vel e contra vivus sit. — Quoad priorem quaestionem, ex Patrum doctrina in textu Apostoli 1. ad Cor. 7., 15. comprehenduntur etiam christiani baptizati, licet a catholica unitate divisi. Cf. Baller. Op. Mor. V. 6. n. 719. seqq. Hinc patet, praedictum matrimonium mulieris hebraeae cum viro catholico ex hoc capite fuisse validum; primum enim fuit per subsequens matrimonium dissolutum, si revera vir ille iudaeus discessit, nolens ad fidem converti nec pacifice cohabitare. Quare vir ille catholicus ad alias nuptias transire non potest. — Baller. l. c., I. M. 979. 980.

161. — MATRIMONIUM HEBRAEI CUM CHRISTIANA

Sempronia christiana, nubere volens in Galliis Titio hebraeo, dispensationem obtinuit ab impedimento disparitatis cultus. At Titius nondum excessit annum 18^{um}., quae est aetas a Iure Gallico, Cod. Civ. art. 144. requisita, pro valore matrimonii; nubunt tamen. Eadem est lex Cod. It. art. 55., adeoque eadem difficultas.

Quaer. *An valeant, in Casu, nuptiae?*

R. Cl. Palmieri in Op. Theol. Ant. Baller. V. 6. n. 1341. 1342. ita hunc casum resolvit: « *Supponitur lex gallica vim habere irritantem.* Negat Gasparri, Tr. Can. de Matr. V. 1. n. 297., quia vir est inhabilis propter legem, cui subest, postulantem annum 18[um]. completum, neque hanc inhabilitatem tollit Ecclesia, cuius leges et dispensationes nequeunt directe, ut heic oporteret, attingere infidelem. Et citatur etiam D'Annib. V. 3. n. 294. qui, postquam tanquam verius affirmavit matrimonia infidelium regi potestate et iurisdictione Principum, sive fidelium sive infidelium, subdit: *Quocirca, si infidelis cum fideli coeat nuptias, hae, ceteris paribus, si non utriusque iure coierint irritae sunt.* — At qui negant principibus potestatem statuendi impedimenta pro matrimoniis etiam infidelium, in alia certe erunt sententia. Ipsa autem potestate admissa, nondum videtur admodum probabilis doctrina negans valere matrimonium contractum, ex dispensatione Ecclesiae, a fideli cum infideli, qui affectus sit impedimento irritante sui Principis. Habes sane potestates duas, alteram Ecclesiae ex parte fidelis, alteram Principis ex parte infidelis, potestates tamen concurrentes in rem unam, h. e. matrimonium. Atqui cum inaequales sunt potestates de una re disponentes aequum est, ut res regatur lege potestatis superioris, quae heic est Ecclesia: porro Ecclesia dicit, hoc matrimonium valere, si legibus a se statutis non adversatur ». Verum suppositio illa non videtur satis solida, nam tum Cod. Gall. tum Cod. It. in sensu obvio videntur potius significare meram prohibitionem, quam irritationem. Si autem supponatur legem eam habere vim irritantem, matrimonium valere, stante super impedimento disparitatis cultus apostolica dispensatione, indubium videtur ex illa ipsa Responsione S. O. 20. Sept. 1854., Collect. S. C. de P. F. n. 1239. 1449., quae affertur ad probandum posse Principes infideles constituere impedimenta dirimentia. Cf. etiam Ench. Mor. N. 813. Ac D'Annib., quamvis in 3[a]. edit. n. 425. eandem secutus sit sententiam quoad potestatem Principum respectu infidelium, omisit tamen illud ultimum consectarium, *Quocirca, si infidelis,* etc. unde videtur implicite illud retractasse.

Confirmari haec omnia possunt ex illis, quae habet Bened. XIV. C. *Singulari nobis* 9. Febr. 1749. Agit in hac Const. Summus Pontifex de matrimonii validitate inter virum iudaeum et mulierem haereticam, et expendit varias leges primum haebraeorum, deinde imperiales, et tandem ecclesiasticas, *vi quarum tantum* nullum declarat praedictum coniugium. Et § 7. de civili lege haec habet, quae faciunt ad rem nostram. « Lex unica, quae ad hanc rem pertineat, Theodosii est, quae incipit, *Ne quis,* sub tit. Codicis *de Iudaeis,* cuius haec sunt verba: *Ne quis christianorum mulierem in matrimonium Iudaeus accipiat; neque Iudaeae Christianus coniugium sortiatur: Nam, si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterii vice commissi huiusmodi crimen obtinebit.* Verum duae huc occurrunt difficultates: (Nota) Prima, quod haec lex, utpote a laico Principe condita, nullam habere vim in matrimoniis debet..... (Nota) Gravior altera est. Nam Theodosii lege Hebraei cum Christiano matrimonium, ob sceleris indignitatem, non quidem ut *irritum,* sed ut adulterium severissime damnabatur.... »

Ad eam autem sententiam quod attinet, quae affirmat Principum potestatem in matrimonium infidelium, abs re non erit notare, quod praecipuum argumentum, desumptum ex Resol. S. O. 20. Sept. 1854. et S. C. de P. F. 26. Iun. 1820., non videtur omnino demonstrativum. Nam in quaesito ad S. O. agitur *de matrimonio omnino a lege civili prohibito, etiam sub poena mortis.* Porro inde non sequitur fuisse impedimentum *dirimens* ex lege civili, sequitur tantum fuisse impedimentum *prohibens.* Unde etiam in quaesito non affirmabatur absolute matrimonium fuisse invalidum, propter tale impedimentum, SED VIDERI INVALIDUM. Quare ipse Vic. Ap., casum proponens, certo non cognoscebat vim illius impedimenti, et ideo sub opinione affirmabat invaliditatem. Responsio vero S. O. dat tantum normam practice tenendam in casu particulari exposito, et nihil habet de quaestione potestatis Principum infidelium. In alia vero Responsione S. C. de P. F. agitur de matrimonio, communi iam opinione nullo, ex omissione alicuius praescriptae caeremoniae. Quare inde necessario non sequitur matrimonium fuisse nullum, ut habetur in Responso S. C., vi impedimenti dirimentis; potuit enim bene esse nullum propter defectum consensus, cum *communi consuetudine* illud matrimonium ut nullum haberetur. Ac cum expresse peteretur, utrum *impedimentum dirimens, a Principe infideli sancitum, redderet irrita et invalida matrimonia,* S. C. huic quaesito non respondit; sed contenta fuit declarare tantum *nullum matrimonium* in particulari casu proposito. Quod quidem S. C. bene potuisset facere in casu, quia existimavit veram generalem doctrinam de potestate Principis infidelis, et verum adfuisse impedimentum dirimens in eo casu. Sed potuit etiam bene eam edere Declarationem, quia cum praedictum matrimonium, omissione praescriptae caeremoniae, non haberet iam publice formam et figuram matrimonii, sed meri contubernii, et communi praevalente etiam opinione de nullitate talis nuptialis contractus, desiderabatur *consensus in matrimonium.* Verum quidem est, quod in fine Responsionis S. C. dicatur, *et detur Instructio,* et in Instructione aperte affirmetur: « Principes saeculares, sive fideles sive infideles *plenissimam potestatem* retinere in matrimonia subditorum infidelium, ut, scilicet, appositis impedimentis, quae iuri naturali ac divino adversa non sint, eadem non solum quod ad civiles effectus, sed etiam quod ad coniugale vinculum penitus rescindant. Qui enim *ob reipublicae bonum suis legibus ad legitimitatem, validitatemque ceterorum contractuum* formam quandam et solemnitatem praescribere possunt, cur id in matrimoniali infidelium subditorum contractu efficere nequeant, ratio non est ».

Verum ex hac praecise Instructione gravis exoritur difficultas contra oppositam sententiam. Etenim, dum in Decreto dicebatur, *et detur instructio,* et Instructio iussu S. C. concinnata fuit, et in Particulari Congregatione exhibita PP. ut approbaretur, Patrum tamen approbatio in ea omnino desideratur, cum in Actis S. C. non reperiatur. Cf. Collect. S. C. de P. F. n. 1447., unde in eadem Collectanea haec Instructio cum aliis Decretis et Instructionibus non recensetur, sed in nota separata a textu affertur, et notatur defectus approbationis in Actis.

Insuper argumentum illud desumptum ex ratione *contractus* et paritate *cum aliis contractibus,* validum revera non est. Nam matrimonium *contractus* utique est, sed contractus omnino diversae naturae;

contractus enim *mere civilis* non est, ut asserit etiam Schmalzgr. l. 4. tit. 1. n. 367., sed contractus, *naturali et divino iure* consistens. Hinc Pius VI. in Epistol. ad Carolum episcopum Agriensem, 11. Iul. 1789., expresse ait: « *Fallitur* quisquis existimat.... matrimonium *dummodo absit ab eo ratio sacramenti,* non esse nisi contractum *mere civilem,* ATQUE ADEO CIVILI POTESTATE SOLUBILEM. *Quod secus est;* nam... matrimonium *non est contractus mere civilis,* sed *est contractus naturalis divino iure, ante omnem societatem institutus et firmatus;* qui etiam hoc insigni discrimine differt ab alio quocumque *mere civili contractu,* quod in eo genere civili consensus certis de causis interdum per legem suppleatur: in matrimonio vero nulla humana potestate suppleri consensus valeat ».

Ac, si civilis Princeps posset *irritare* matrimonia contrahenda, quia matrimonium est *contractus,* ut irritare potest alios contractus; cur non posset tunc etiam *rescindere* matrimonia iam contracta, saltem nondum consummata, ut alios contractus rescindere potest? Ac si ex S. Thoma filiifamilias quoad matrimonium sui iuris sunt, et non dependent ab ipsis parentibus, qui filiorum matrimonia irritare non possunt, quomodo dependerent hac in re a Principe civili, matrimonium irritante? Hinc idem S. Th. Quodl. 5. a. 15. ait, quod *solum auctoritate Summi Pontificis* Statutum constitui potest, « secundum quod personae aliquae reddantur *illegitimae ad contrahendum,* ita quod, si etiam contrahunt, *matrimonium dirimitur* ».

Matrimonium igitur, cum non sit contractus mere civilis, a civili auctoritate regi non potest quoad sui intrinsecam naturam, seu quoad ipsum matrimoniale vinculum. Sed cum sit *sua vi, sua natura, sua sponte sacrum,* Cf. Enchir. Moral. N. 786., consentaneum est, ut regatur non principum civilium imperio, sed religiosa auctoritate, quae nomine Dei sacrum ac religiosum matrimonii contractum moderari unice potest. Id sane praestat, *iure suo Ecclesia,* quae hac praedita est potestate, *quoad christianos,* quia christianorum matrimonium res *sacra* est, et *sacramentum praeterea est.* Verum *Principes saeculares, quoad infideles,* haud certe quatenus Principes civiles, sed quatenus in ipsis etiam residere dicatur religiosa auctoritas, hancne et ipsi a Deo receperunt potestatem? Hoc sane illud est, quod a SS. CC. adhuc est declarandum, vel a S. Pontifice definiendum, et consequenter adhuc est a theologis demonstrandum, re sub opinione interim permanente.

162. — IMPEDIMENTUM CRIMINIS

1°. Franciscus, coniugatus, matrimonium contrahere attentat cum sua adultera, Francisca. Mortua eius uxore, iterum matrimonium legitime cum Francisca vult contrahere.

Quaer. *An valide matrimonium hoc contrahere possit?*

R. Negative ex C. *Cum haberet* Clementis III. I. M. 1018.

2°. Sempronius coniugatus et fidelis matrimonium attentat contrahere cum sua adultera Sylvia infideli. Sempronii uxore mortua, matrimonium legitime iam contrahere vult cum Sylvia ad fidem conversa.

Quaer. *An valide?*

R. Negative ex C. *Laudabilem de Conv. infid.* — I. M. 1021.

3°. « 1°. Vir infidelis, qui ante baptismum copulam habuit cum infideli uxore alterius, cui, annuente muliere, fidem de futuro matrimonio acceptante, mortem intulit, potestne, post utriusque baptismum, matrimonium inire cum dicta muliere? — 2°. Possuntne hoc matrimonium contrahere, si, quando patrarunt ista crimina, una pars fuerit christiana?

R. Ad 1^{um}. Affirmative. — Ad 2^{um}. Negative ». S. C. de P. F. 23. Aug. 1852., I. M. 1021.

163. — IMPEDIMENTUM RAPTUS

1°. Pantaleo sponsalia iniit in Hispania cum Leocadia, ipsa ipsiusque parentibus consentientibus. Verum, cum deinde Leocadiae parentes matrimonio obsisterent, Pantaleo Leocadiam noctu rapit, in Angliam ducit, ibique cum ea matrimonium contrahit.

Quaer. *An adfuerit in Casu impedimentum raptus?*

R. Resolutio casus pendet a quaestione, an incurrat impedimentum raptus, qui puellam rapiat antea sibi rite desponsatam? Respondendum videtur: 1°. Affirmative, si sponsa iustam habeat causam a sponsalibus resiliendi. Nam in tali casu vera fit iniuria sponsae, et idem est ac si sponsalia non praecessissent. — 2°. Si vero sponsa nullam habeat causam iustam a sponsalibus resiliendi controvertitur. Sanchez de Matr. l. 7. D. 13. n. 15., aliique affirmant ex C. pen. *de Rapt.*, ubi dicitur: « Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum; et prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent ». Ergo « nullum est Matrimonium, si foemina invita abducatur, secus si volens, etsi invitis parentibus: et in principio textus non ideo dicitur raptus non intercedere, quia sponsalia praecesserint, sed quia mulier consentiens rapta fuit ». S. Alph. l. 6. n. 1109. La-Croix l. 6. p. 3. n. 636., aliique negant, quia sponsa cogitur ad hoc quod facere tenebatur; et ita dicitur cit. C. 6. *de Raptoribus:* « Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, *et prius eam desponsaverit* ». — Schmalzgr. l. 5. Tit. 17. § 1. n. 37. seqq., Lessium de Iust. et Iur. l. 4. C. 3. dub. 8. — Ad excommunicationem vero quod spectat Cf. hic. Tr. de Censur.

2°. Celerinus rapuit Lauram, eamque vi deduxit in domum Paterni. Postquam Laura in ea domo diu manserit, et in matrimonium sponte ipsa iam consentiat, ei nubere volunt tum Celerinus tum Paternus.

Quaer. *Quis in Casu Lauram ducere possit?*

R. Si Celerinus ex propria voluntate, nullo accepto mandato, Lauram rapuit, ut Paterno nuberet, uterque eam ducere potest, licet sit in utriusque potestate. Etenim Paternus tunc eam non rapuit, et Celerinus eam non rapuit matrimonii cum ea contrahendi causa. Si vero Celerinus eam rapuit ad hunc finem, matrimonii cum ea contrahendi, eam ducere non potest, quamdiu in ipsius manserit potestate, etsi ultro et libentissime nunc Laura matrimonium ineat. Ut Celerinus possit ei nubere opus est, ut loco tuto prius reddatur, extra ipsius potestatem. Tandem, si Celerinus Lauram rapuit ex mandato Paterni, tunc iste raptor intelligitur, et Lauram consequenter ducere non potest in Casu. Quod enim quis per alium facit, per seipsum facere reputatur. Sed Lauram tunc ducere potest Celerinus. Etenim impedimentum raptus non habetur inter raptam et raptorem, qui foeminam rapit *pro alio,* non *pro se,* ut nempe illa matrimonio coniungatur cum alio, non cum ipso *raptore.* Ratio, « quia poena illius Decreti est, ut inter raptorem et raptam non possit consistere matrimonium, quamdiu rapta sub potestate raptoris fuerit; ac proinde supponit raptum eo destinatum esse, ut raptor raptam ducat; non ergo locus erit iis poenis, quando raptus fit gratia ineundi matrimonium cum alio ». Sanchez de Matr. l. 7. D. 13. n. 6. I. M. 1024.

164. — PAROCHI ASSISTENTIA

Gertrudis, vidua, sub paroecia S. Mariae hucusque habuit domicilium apud fratrem defuncti mariti. Volens ad secunda vota transire, relictis ibidem propriis supellectibilibus, ad paternam domum se confert sub paroecia S. Nicolai; ubi ut rem gratam faciat patri, intendit permanere; ita ut post quindecim dies, factis interea denuntiationibus, matrimonio valeat copulari.

Quaer. *Cuinam parocho competat, in Casu, ius matrimonium celebrandi?*

R. Gertrudis vidua, dum se confert ad paternam domum, aut sincerum habet animum ibidem permanendi, novumque domicilium contrahendi, aut non habet. *Si primum;* eius matrimonium celebratio competit parocho Ecclesiae S. Nicolai, sub qua paterna domus sita est. Probatur resolutione S. C. C. 20. Febr. 1723., quae validum censuit matrimonium a duobus Caesenae incolis contractum, qui, ut parentum molestias declinarent, clam Forolivium aufugerant, ibique matrimonium coram parocho S. Blasii, inopinate circumvento, celebraverant. Eo siquidem principio censuit S. C. eiusmodi matrimonium, esto de iure clandestinum, fuisse validum, quia mulier iuramento iam firmaverat, se Forolivium venisse, ut ibi sincero animo permaneret, suumque domicilium eligeret apud aviam maternam, quae sub eadem paroecia S. Blasii degebat, et quam suam esse tutricem seu curatricem asserebat. Ex qua facti specie aperte evincitur, pro validitate matrimonii parochum proprium illum esse censendum, in cuius parochia tempore contractus con-

trahentes habitant, et illuc se contulerant, ut ibi sincero animo permanerent. — Si *secundum;* si nempe Gertrudis paternam domum petivit non animo quidem domicilium ibidem contrahendi, sed solo animo illic matrimonium celebrandi, ut ita nimirum rem gratam faceret patri, tunc eiusdem Gertrudis matrimonii celebratio ita competit parocho S. Mariae, ut, si secus celebraretur, matrimonium non valeret, quemadmodum expresse habetur ex S. C. C. 22. Febr. 1631. Cas. Consc. Bonon. Dioec. a. 1768. mense Iulio Cas. 2., I. M. 1026.

165. — PAROCHUS ORIGINIS

Duo *oriundi* ex loco *Spezzano,* sed *habitantes* in loco dicto *Maranello,* in dispensatione a denuntiationibus obtenta ab episcopo, deleverunt vocem *Maranello* et substituerunt *Spezzano.* Parochus *Maranello* idcirco, inspecto diplomate, misit eos ad *Spezzano.* Vir autem, post susceptos duos filios, mulierem reliquit, et alibi aliam duxit.

Quaer. *An primum matrimonium fuerit validum?*

R. Negative, quia nempe celebratum fuerat coram utique parocho *originis,* et non coram parocho *domicilii.* S. C. C. 18. Nov. 1702. I. M. 1026.

166. — PAROCHI DELEGATIO

1°. In quadam dioecesi praxis viget, uti saepe sponsi ab una in aliam transeant paroeciam eiusdem civitatis, et matrimonium contrahant coram parocho non proprio, novae nempe paroeciae, in qua suum collocant domicilium. Ad evitanda gravia damna, quae inde possunt exoriri, parochi mutuo, sine ullo tamen scripto, facultatem sibi delegarunt assistendi matrimoniis novorum parochianorum, idque fecerunt approbante Ordinario loci.

Quaer. *An matrimonia, in Casu, sint valida?*

R. Affirmative. Etenim ex Conc. Trid. S. 24. C. 1. de R. M. ad matrimonium valide contrahendum coram parocho, non proprio, requiritur licentia proprii parochi, vel Ordinarii. Atqui in casu habetur huiusmodi licentia; siquidem licentia *generalis,* vera licentia est; neque Tridentinum requirit licentiam *particularem.* Licentia item *habitualis* vera licentia est, neque Tridentinum requirit licentiam *actualem.* Insuper licentia, *viva* tantum *voce* data, vera licentia est; neque pariter Tridentinum licentiam *scripto* consignatam exigit. Confirmatur ex Resolutione S. C. C. 18. Mart. 1893. Cf. Reiffenst. l. 4. Tit. 3. *de Clandest. Despons.* § II. n. 18. Hinc sufficit etiam licentia a parocho in scriptis data matrimonium contrahendi coram sacerdote, ad contrahentium arbitrium eligendo. S. C. C. 15. Iun. 1586. Verum quamvis *valida* sint huiusmodi matrimonia, *illicita* tamen et improbanda est licentia generatim data, sed specialis et expressa licentia danda est in casibus occurrentibus, seclusa gravi ratione aliter agendi in peculiari quodam loco, Ordinarii iudicio. Ratio est, quia secus magna ex parte frustratur scopus Decreti Conc. Trid., et confirmatur Responso S. C. C. 22. Dec. 1891.

2°. Paschalis sacerdos, ex parochi licentia, matrimonio adfuit Lucii et Luciae. Verum, praecedenti nocte, parochus gravi correptus morbo mortuus erat. Hinc, re cognita post matrimonium iam contractum, coeptum est dubitari de validitate talis matrimonii.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Si mors parochi communiter ignorabatur, quando matrimonium contractum fuit, matrimonium validum fuit. Si vero communiter non ignorabatur, tunc matrimonium fuit invalidum. Ratio, quia generalis regula est, quod, mortuo delegante, *re integra*, perit potestas delegati ad unum *actum specialem* et *determinatum* in favorem alicuius *determinatae personae*. Excipitur vero casus, in quo mors delegantis *communiter* ignoratur; ob communem enim utilitatem tunc iuxta regulam communiter traditam communis error sustinet valorem eorum, quae geruntur per delegatum. Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 20 et 35., Sanchez de Matrim. l. 3. D. 22. n. 55.-59., l. 8. D. 28. n. 72. 73. 89., Baller. de Matr. Op. Mor. n. 1231.

Hinc valet etiam matrimonium, si parochus licentiam assistendi matrimonio, legitime concessam, occulte revocasset, stante communi revocationis ignorantia, quia retinetur adhuc licentia ob titulum initio habitum, et communem errorem. Ita Sanch. l. c., Lugo l. c. Sed revera hic difficilis omnino est applicatio doctrinae *erroris communis*, nam error, in casu non est nisi privatus et particularis. Forte melius diceretur valere matrimonium, quia illa *occulta* revocatio, uti etiam mere *interna* revocatio, nullum potest gignere effectum donec sufficienter parti manifestetur et innotescat. — Diaconus, qui *publice sacerdos existimatur*, delegatus a parocho valide interest matrimonio. Sanch. l. 3. D. 22. n. 61., De Iust. l. 2. C. 19. n. 72. Quin immo valide etiam assisteret laicus, qui communi errore haberetur uti sacerdos, et a parocho assistendi facultatem obtineret. De Iust. l. c., Bonacina De Matr. q. 2. p. 8. n. 30. Itemque valide assisteret ipse parochus, cuius iurisdictio occulte cessavit, e. g., post renunciatam paroeciam.

167. — QUASI DOMICILIUM

Eligius et Vibiana ex Gallia in Hispaniam profecti sunt, ut ibi permanerent per mensem, et ita acquirerent quasi domicilium, et possent deinde matrimonium celebrare. Mense integro transacto, matrimonium coram parocho loci et testibus celebrarunt, et in Galliam sequenti die reversi sunt.

Quaer. *An validum fuerit, in Casu, matrimonium?*

R. Quaestionis resolutio pendet in casu a tempore requisito ad quasi domicilium acquirendum. Schmalz. l. 2. tit. 2. n. 19. quaestionem movet: « ad quantum tempus hoc manendi propositum se extendere debeat, ut quis acquirat quasi domicilium, et non *hospes*, sed *habitator* et *incola* censeatur? » Et respondet: Sylv., Sanch., et alii putant opus esse, ut maiore anni parte habitare ibidem velit. Conformius Iuri videntur sen-

tire, qui dicunt sufficere propositum habitandi per aliquot menses, praecipue si domus, conclave, taberna etc. fuerunt conducta. Ita Navarr., Suar., Laym., et novissime P. Friderich ». Ita tenet etiam P. Baller., Comp. P. Gur. n. 839., et P. Gury n. 846. uno etiam mense contentus est. Verum ex S. I. C. 7. Iun. 1867. habitatio requiritur *per maiorem anni partem.* Unus tantum mensis sufficeret, si ageretur de statibus Foederatis Americae, ex speciali Decreto eiusdem S. I. C. 6. Maii 1886. a Leone XIII. approbato et confirmato. Hinc patet Eligii et Vibianae matrimonium ut validum haberi non posse. Cf. Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 37. Enchir. Moral. N. 846., I. M. 1026.

168. — IMPEDIMENTORUM DISPENSATIO PER TELEGRAPHUM

1°. « In vista degli inconvenienti, che sonosi verificati, e che facilmente possono rinnovarsi nel ricevere domande di grazia per mezzo di telegrammi, il S. Padre ha prescritto, che da ora in poi, per regola ordinaria, tutte le Sagre Congregazioni, ed altri dicasteri ecclesiastici romani non ammettano siffatte domande col mezzo indicato. — Valendo poi le stesse ragioni anche per le Curie vescovili, Sua Santità vuole, che anche i Pastori delle diocesi si uniformino a tale prescrizione ». Litt. enc. Secret. Stat. 10. Dec. 1891.

2°. « Se sia valida una dispensa matrimoniale eseguita dall'Ordinario dietro l'avviso telegrafico, prima di avere ricevuto il documento autentico della grazia concessa?

R. Negative, nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio, auctoritate S. Sedis ». S. O. 14. Aug. 1892.

169. — FACULTAS DISPENSANDI IN CONSANGUINITATE ET AFFINITATE

1°. An facultas dispensandi in 3°. et 4°. consanguinitatis et affinitatis simplici et mixto tantum, et in 2°. 3°. et 4°. mixtis, non tamen in 2°. solo quoad futura matrimonia, etc. (haec alia sequuntur in praedicta facultate num. 6. Formulae: *quo vero ad praeterita, etiam in 2°. solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum iis qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam; et in praedictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam*), quaeritur, an ista facultas dispensandi in gradibus affinitatis includat affinitatem illicite contractam necne. Et si responsio affirmative se habeat, quomodo a dictis missionariis dispensari possit, si semper attingit primum gradum; et: An ista facultas dispensandi in gradibus consanguinitatis et affinitatis intelligatur etiam pro catholicis cum dicat privilegium: *cum iis, qui ab haeresi, vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam?*

R. Quoad primum dubium, in quo quaeritur: *an facultas dispensandi in gradibus affinitatis includat affinitatem illicite contractam, necne*, respondendum esse: Affirmative. In reliquis vero respondendum esse: Negative ». S. O. 19. Oct. 1712. Cf. Collect. ad usum op. ap. Soc. miss. ad ext. n. 31. 6°., Compend. Privil. Soc. Iesu n. 390.

2°. Doversi rispondere per istruzione di Monsignor Arcivescovo di Corfù, che in virtù delle parole (Form. II. n. 6.), *dispensandi in 3°. et in 4°. consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in 2°. 3°. et 4°. mixtis, non tamen in 2°. solo quoad futura matrimonia*, può esso dispensare con tutti i suoi diocesani. Quanto poi all'altra parte del detto § 6. contenuta in quelle parole, *quo vero ad praeterita* (i. e. *matrimonia*) *etiam in 2°. solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum*, può il suddetto Monsig. Arcivescovo dispensare solamente con quelli, che dall'eresia o infedeltà si convertono alla fede cattolica, avvertendo inoltre il soprannominato Mons. Arcivescovo, che in pratica lo scisma è congiunto all' eresia ». S. O. 13. Mart. 1736. Cf. Collect. ad usum oper. ap. Soc. miss. ad ext. n. 31. 6°., Comp. Priv. Soc. Iesu n. 390.

170. — EADEM FACULTAS DISPENSANDI CUM CONVERSIS

1°. « Circa facultatem dispensandi in 2°. gradu cum haereticis conversis, quaeritur: An hoc liceat in casu, quod una pars contrahentium sit talis, et instet pro gratia, an vero ambo debeant esse conversi?

R. Vel res est de duobus haereticis, quorum unus tantum conversus sit ad fidem catholicam, altero remanente in statu haeresis, vel de duobus, quorum unus sit tantum haereticus, alter vero catholicus natus. In primo casu requiri, quod ambo sint ad fidem catholicam conversi; at in secundo satis esse, quod unus tantum sit conversus ». S. O. 26. Sept. 1709. Cf. sequentem et recentiorem Decisionem quoad praedictam facultatem num. 6. Formulae.

2°. In art. 6°. Formulae facultatum I. et II. dicitur: *Dispensandi quoad matrimonia praeterita etiam in secundo solo (gradu affinitatis et consanguinitatis), dummodo nullo modo attingat primum, cum iis, qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam.* Porro « *per matrimonia praeterita....* intelliguntur non coniunctiones quaecumque etiam fornicariae, sed eae tantummodo, quae iuxta mores regionum vel infidelium vel haereticorum formam habent et figuram matrimonii, habenturque pro legitimis matrimoniis.... Intelliguntur autem matrimonia 1°. fidelium cum infidelibus inita, absque Apostolica dispensatione super cultus disparitate; 2°. catholicorum cum haereticis; 3°. haereticorum cum infidelibus, vel inter se... quando nempe in 1°. et 2°. casu altera pars convertitur ad fidem catholicam; et in 3°. casu tam si una tantum, quam si utraque pars convertatur ad fidem ». S. O. 16. Sept. 1824.

Potestas autem datur etiam quoad matrimonia post unius conversionem invalide ob praedicta impedimenta contracta; et quoad matrimonia mixta olim invalide contracta, licet pars haeretica nunc sit conversa. Insuper datur facultas dispensandi cum infideli converso, qui ante conversionem cum parte acatholica baptizata in praefatis gradibus contraxit. — Quoad illam vero particulam *et,* num copulative an disiunctive intelligenda sit? « Verba Formulae ita accipienda esse, ut facultas concessa intelligatur dispensandi tam ab impedimento consanguinitatis, quam ab impedimento affinitatis, seiunctim tamen; non vero quando utrumque impedimentum

in uno eodemque casu concurrunt ». S. O. 2. Iul. 1884. Collect. S. C. de P. F. n. 1235. 1245. Cf. Collect. ad usum oper. apost. Soc. miss. ad ext. n. 31., Comp. Priv. Soc. I. n. 330.

171. — DISPENS. QUOAD MATR. SCIENTER CUM IMPED. CONTRACTA

« Relata instantia, a S. C. de P. F. ad S. O. remissa, Vicariorum Capitularium dioecesis Tuamensis in Irlandia, qui dubium proposuerunt, an cum habeant facultatem dispensandi in 3°. gradu, illa uti possint ad favorem illorum, qui matrimonium iam contraxissent scienter inter gradus prohibitos, et in fraudem legis contra expressam prohibitionem Conc. Trid., vel requiratur nova particularis dispensatio huius S. O.; Emi Dñi decreverunt: Rescribendum, quod in Formula facultatum distinguitur facultas dispensandi ab impedimentis pro contrahendis matrimoniis, et pro contractis, quae restringitur ad conversos ab haeresi, et pro contractis scienter cum impedimento specialis facultas requiritur ». S. O. 22. Decembris 1723.

172 — NOTANDA QUOAD EANDEM FACULTATEM

Indultum relaxandi impedimentum affinitatis, absque limitatione concessum, extenditur ad relaxandum tum illud, quod oritur ex copula licita, tum illud, quod ex illicita exurgit.

Indultum relaxandi impedimentum affinitatis ex copula coniugali, extenditur etiam ad impedimentum publicae honestatis, quod cum illa necessario connexum est.

Facultas generaliter delegata dispensandi quoad aliquem consanguinitatis seu affinitatis gradum extenditur ad gradum eundem duplicatum vel multiplicatum, ex utroque parente provenientem.

Vox *simplex* et *mixtus* quoad *gradum* consanguinitatis vel affinitatis, *simplicem* vel *mixtum*, tripliciter intelligi potest. 1°. *Simplex* excludit solam graduum inaequalium ex utraque parte mixtionem; *mixtum* e contra graduum inaequalitatem ex utraque parte includit. 2°. *Simplex* dicitur, quod excludit multiplicationem consanguinitatis vel affinitatis; *mixtum* e contra quod eam includit. 3°. *Simplex* dicitur quod aliud specie diversum impedimentum excludit, *mixtum* quod illud includit, e. g. consanguinitatis mixtae cum affinitate, cum cognatione spirituali, etc. — Porro in praecedenti Indulto n. 6. Formulae facultatum vox *gradus simplex* et *mixtus* intelligitur, primo sensu, *de graduum inaequalitate*, et sic illae voces, *gradus mixtus*, intellectae comprehendunt non eundem gradum mixtum cum aliquo propinquiori, nisi id expressis verbis dicatur, sed cum aliquo remotiori tantum. Hinc facultas dispensandi in tertio simplici et mixto non tribuit potestatem dispensandi in tertio, quando e. g. ex parte unius contrahentium attingit secundum, sed solummodo quando vel ambo contrahentes se contingunt in tertio, vel unus distat a communi stipite tertio gradu, alter quarto. Ea item vox, gradus *simplex* et *mixtus*, intelligitur etiam altero sensu de multiplici consanguinitate et affinitate. Quare S. O. 15. Iun. 1875. declaravit Ordinarios,

qui facultate gaudent, *dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in secundo, tertio et quarto, non tamen in secundo . solo quoad futura matrimonia,* posse dispensare in tertio et tertio, in quarto et quarto, in tertio mixto cum quarto, nec non in tertio et quarto cum secundo mixtis, sive gradus oriatur ex uno sive ex multiplici stipite. Collectan. S. C. de P. F. n. 1243. 1244.

173. — FACULTAS DISPENSANDI QUOAD IUS PETENDI DEBITUM

1°. « An liceat Vicariis Ap. in Anglia, uti facultate restituendi ius petendi debitum coniugale, quando ex aliqua causa amissum fuerit, si altera pars fuerit haeretica?

R. Posse Vicarium Ap., vi facultatum, quae a S. Sede eidem concessae sunt sub Form. 2ª. n. 8., nimirum, *dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, ac restituendi ius petendi debitum amissum,* coniugem catholicum, qui cum haeretico valide nupserit, ad ius petendi debitum restituere ». S. C. de P. F. 19. Iul. 1782., Collect. n. 1564., Collect. oper. apost. ad usum Soc. miss. ad ext. n. 31. 8°., Compend. Privileg. Soc. Iesu n. 390.

2°. « Saepius contingit, quod confessarii petunt ab oratore (Vic. Ap.) facultatem dispensandi super restituendo ius petendi debitum amissum; nescit autem, quomodo connectat ultimum membrum facultatis octavae *(ac restituendi ius petendi debitum amissum),* cum num. 10°. in clausula sic sonante: *et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae,* cum in scriptis nihil detur.

R. Detur dispensatio oretenus, dummodo in dispensante non expiraverint facultates ». S. O. 3. Dec. 1765. Collect. ad usum oper. apost. Soc. miss. ad ext. n. 31. 8°. 10°., Comp. Priv. Soc. Iesu n. 390.

174. — FACULTAS DISPENSANDI IN COGNATIONE SPIRITUALI

« An n. 9. Formulae I., *Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum* de cognatione spirituali orta ex baptismo tantum intelligendus, an vero etiam de eadem cognatione orta ex confirmatione?

R. Oriri (sic) tum ex baptismo, tum ex confirmatione ». S. O. 2. Iul. 1884. Collect. S. C. de P. F. n. 1252. Cf. Collect. ad usum oper. apost. Soc. miss. ad ext. n. 31. 9°., Compend. Privil. Soc. Iesu n. 390.

175. — DE DISPENSATIONE QUOAD MATRIMONIUM CIVILE

Anastasia, obtenta a Mauritio promissione matrimonii in Ecclesia quam primum ineundi, matrimonium cum eo init civile. Quo inito, differt Mauritius impletionem factae promissionis; ac quando iam videbatur determinatus ad matrimonium contrahendum in Ecclesia, quaestionem habet cum Domino parocho, ratione alicuius contractus conficiendi, ita ut iratus Mauritius neque amplius ad Ecclesiam, neque faciem alicuius

sacerdotis vult amplius videre. Prudenter et caute Anastasia hortatione, moerore, aliisque industriis conatur Mauritium flectere et reducere ad christianos sensus, sed omnia in irritum cedunt. Quapropter, pluribus iam in hoc infelici statu, transactis annis, et cum in alia nunc degant regione, Anastasia a confessario petit, ut tanto malo velit ipse remedium afferre, dispensationem a S. Sede petendo, quin tamen maritus advertat; periculum enim est, ut si rem sciat a matrimonio recedat, et eam cum filiis relinquat non sine gravi scandalo; cum omnes in eo loco ipsos existiment legitimo coniunctos matrimonio.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Dispensatio, in Casu, non alia adhiberi potest nisi in radice. Haec autem quamvis raro, et nonnisi admodum gravi urgente causa, in casu etiam matrimonii civili conceditur. Difficultas in tali casu matrimonii civilis est tantum ex parte consensus, utrum nempe pars, quae non consentit in matrimonium ecclesiasticum, vere in matrimonium consentiat, et non potius in merum concubinatum. Absolute loquendo, dubium non est, quod in tali matrimonio civili adesse possit consensus sufficiens, ita ut deinde accedente Pontificia Dispensatione verum matrimonium esse possit. Cum enim ad matrimonium per se nihil aliud requiratur nisi naturalis consensus in indissolubile coniugium ad finem matrimonii proprium prolis procreandae, huiusmodi consensus bene locum habere potest in matrimonio civili, quod verum matrimonium esse non potest tantum ob extrinsecum impedimentum clandestinatis. Hoc ergo per dispensationem remoto, verum exoritur matrimonium. Si igitur constet de vero consensu in matrimonium, et iusta ac proportionata adsit causa, peti quidem potest dispensatio in radice. Porro, in casu ut videtur, cum nullum timendum sit scandalum, si dispensatio concedatur, cum una pars renuat consensum renovare, vel saltem grave periculum est, ne iterum in matrimonium consentiat, cum vitium clandestinitatis et civile tantum matrimonium initum occultum sit, et causa vere et admodum gravis non desideretur, videtur quod confessarius petere possit praedictam dispensationem, circumstantias omnes casus exponendo, et commendationem prius ab Ordinario obtinendo. S. Poenit. 12. Aug. 1882., Zitelli De Dispens. Matr. pag. 105., I. M. 1050.

176. — DISPENSATIONIS VALOR

1°. Didacus et Aloisia petierunt a S. Sede dispensationem super impedimento consanguinitatis. Ratio adducta fuit, quia Aloisia erat indotata, et Didacus eam sic indotatam ducere intendebat, et simul sufficienter dotare. Obtenta dispensatione, et, inito matrimonio, post iurgia exorta cum Aloisia, praetendebat Didacus ad alias convolare nuptias, propter nullitatem prioris matrimonii, stante invaliditate praedictae dispensationis. Etenim, inadvertenter reticitum fuerat, quod Aloisia habebat quandam parvam dotem; et Didacus revera ante matrimonium insufficienter Aloisiam dotaverat, cum assignaverit tantum summam 500. ducatorum pro filiis nascituris ex nuptiis mox contrahendis.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Dispensatio fuit valida, in Casu; adeoque matrimonium rite contractum. Quapropter Didacus alteri nubere non potest. Etenim primo dos Aloysiae, attenta eius conditione, insufficiens erat, et eiusdem reticentia, facta in simplicitate sine dolo, non fuit concessionis causa, ac proinde concessio irrita non fuit. Idem est, quod mulier sit indotata ac quod sit insufficienter indotata. De Iust. De Disp. Matr. l. 3. C. 3. n. 20. Summus Pontifex movetur ad succurrendum pauperi oratrici, quae cum non habeat dotem vel habeat insufficientem, periculum est, ut vel innupta remaneat cum periculo animae, vel nubere cogatur indigno vel inaequali. Remoto ergo omni dolo, ex parte oratricis, Summus Pontifex aeque movetur ad dispensandum, sive oratrix nullam habeat dotem, sive non nisi parvam et insufficientem habeat. Quod autem Didacus non dotaverit Aloisiam in competenti quantitate, nihil officit validitati dispensationis; siquidem quando plures causae exponuntur, sufficit quod sit vera causa *motiva*, cui Dispensatio innititur. Porro causa motiva, in Casu, erat, Aloysiam fuisse indotatam. Alia causa, quod Didacus volebat eam etiam dotare, non nisi causa *impulsiva* erat, quae dispensationem nullam non reddit, quam ceteroquin Didacus etiam bona fide tunc exposuit. S. C. C. 4. Iul. 1722., Giovine De Dispens. Matr. Consult. Canon. V. 1. § 121., I. M. 1036. 1037.

2°. « Se la non osservanza della clausola solita apporsi nelle dispense: *erogata aliqua eleemosyna iudicio Ordinarii*, importi la nullità delle dispense ?

R. Negative ». S. Poenit. 10. Iun. 1876.

3°. « Rescripta S. Poenitentiariae in causis matrimonialibus, cum adfuit incestus publicus, clausulam sequentem in praesenti continent: *Remoto, quatenus adsit, scandalo; praesertim per separationem, si fieri potest.* Hisce miserrimis temporibus non raro evenit, ut separatio oratorum obtineri nequeat, aut quia plures iam habent liberos simul educandos, aut quia nusquam alibi habitare possunt; et tunc vix intelligi potest, quaenam alia reparatio scandali exigi debeat, antequam dispensatio concedatur. Rogamus igitur, ut S. Poenit. benigne velit declarare, num haec clausula, *remoto scandalo*, ita necessario debeat adimpleri, ut, illa omissa, dispensatio fuerit nulliter concessa.

R. Separationem praeferri aliis modis reparationis scandali; si haec fieri nequeat, scandalum esse reparandum, sed modum scandali reparandi remitti prudenti arbitrio et conscientiae Ordinarii, iuxta cuiusque casus exigentias. Casu, quo omissa sit separatio, et scandalum alio modo reparatum, acquiescat; secus, si aliquo in casu scandali reparationem omiserit, sileat, et in posterum cautius se gerat ». S. Poenit. 12. Apr. 1889. Collect. S. C. de P. F. n. 1496. 1498., I. M. 1046.

4°. « In folio facultatum, quas S. Sedes Vicariis Apostolicis concedit, sic habetur: n. 10°. *Hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet 6ª. 7ª. 8ª. 9ª. non concedantur nisi cum clausula*, dummodo mulier

rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, *et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae.* Porro, tempore persecutionum, quae aliquot in locis grassatae fuerunt, dispensationes matrimoniales ne scripto quidem tradebantur, sed verbo tenus. Posterioribus vero temporibus, in huiusmodi dispensationibus, insertum quidem est, quod conceduntur ex facultate a S. Sede obtenta, sed a quibusdam neque expressum est tempus, ad quod Vicariis Ap. praedicta facultas fuerat concessa, neque exposita est clausula, *dummodo mulier rapta non fuerit.* Dubium autem facessit hoc, quod reperitur in Bullar. Bened. XIV. T. 2. pag. 223. Quaeritur igitur, utrum huiusmodi praefatae dispensationes sint licitae, an saltem validae?

R. Omissionem clausularum concessionum validitati non officere, dummodo reapse mulier rapta non fuerit, vel, si rapta, in potestate raptoris non existat ». S. C. de P. F. 11. Febr. 1804. Collect. n. 1484. 1486. 1487. 1491. 1492. 1494. Collect. ad usum oper. apost. Soc. miss. ad ext. n. 31. 10°., Comp. Priv. Soc. Iesu n. 390.

5°. Iulius desiderans contrahere matrimonium cum Iulia, eius consanguinea in quarto gradu, dispensationem petit et obtinet, inscia Iulia desiderii Iulii eiusque petitionis dispensationis, cum inscia etiam esset existentis impedimenti.

Quaer. *An valida sit in Casu dispensatio.*

R. Quando impedimentum necessario afficit utrumque contrahentem, ut est consanguinitas et affinitas, quae alterum solum afficere nequit, satis est dispensationem ab altero obtineri vel acceptari, ut prosit etiam alteri ignoranti. Dispensatio enim ad necessario connexa extenditur. At dispensatio viri ad contrahendum cum femina est annexa dispensationi feminae ad contrahendum cum viro. Et eo ipso quod alter ex his dispensationem petit vel acceptat, fit habilis ad contrahendum cum altera. Hoc autem fieri nequit, nisi uterque fiat habilis. Proderit ergo dispensatio illa alteri ignoranti. Et confirmatur, nam quando matrimonium fuit irritum ob huiusmodi impedimentum ab altero ignoratum potest coniux, impedimenti conscius, impetrata illius occulta dispensatione, nec alteri coniugi manifestata, nec impedimento manifestato, simulate petere renovationem consensus in matrimonium.

Si vero impedimentum alterius tantum esset, quod alter solus, e. g., castitatem voverit; vel ita commune, ut sit prorsus in utroque diversum, ut si uterque castitatem voverit, tunc necesse est, ut ille, qui impedimento affectus est, et si sit uterque, ut uterque dispensationem acceptet, quamvis absque eius mandato possit peti et impetrari. Ratio est, quia dispensatio directe impetratur habenti impedimentum, nec impetrata uni, impetratur per quandam necessariam consequentiam alteri, sicut contingit in priori casu. Ergo is, qui illa eget, debet eam nosse et acceptare, et si uterque egeat, uterque eam debet nosse et acceptare, de ordinario dispensationis modo loquendo.

Cum itaque, in Casu proposito, sermo sit de impedimento, utramque partem afficiente, nempe de consanguinitate; licet dispensatio, inscia Iulia, petita et impetrata fuerit, ipsi tamen etiam prodest. Quare, si Iulius deinde ei manifestet desiderium matrimonii, poterit cum Iulio matrimonium valide contrahere, quamvis ei neque praeexistens impedimentum neque obtenta dispensatio manifestetur, multoque magis si, manifestato ei impedimento manifestetur etiam obtenta dispensatio, et ab ipsa acceptetur. Sanchez l. 8. D. 26., I. M. V. 1. n. 249., V. 2. 1044. 1050.

6°. Flaminius, captus amore Flaviae consanguineae in tertio gradu, dispensationem ab hoc impedimento petiit et obtinuit. Sed deinde, Flavia relicta, ducere volens Flaminiam consanguineam etiam, sed in quarto gradu, aliam petiit dispensationem et obtinuit, nulla facta mentione prioris dispensationis. Matrimonio inito, post duos menses Flaminia moritur. Tunc Flaminius, sine nova dispensatione, Flaviam ducit.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Matrimonium Flaminii cum Flaminia valet. Dispensatio enim obtenta valida erat. Nam ad validitatem huius dispensationis nullo modo necessarium erat exprimere dispensationem aliam prius obtentam. Etenim prior dispensatio obtenta in triplici casu manifestanda est. Primus est, quando casus est a Iure expressus. Nullo autem iure cautum est, ut mentio fiat prioris dispensationis in casu exposito. Alter casus est, quando, tacita priori disputatione, non posset Pontifex totum cognoscere impedimentum, super quo petitur dispensatio. Atqui hoc, in Casu, non verificatur. Nam secunda dispensatio non respicit idem impedimentum, neque tendit ad idem matrimonium, Sanchez l. 8. D. 21. Insuper prior dispensatio, cum non habuerit effectum initi matrimonii, perinde est ac si neque petita neque concessa unquam fuisset. Tertius casus est, quando per secundam dispensationem maior alia gratia petitur gratia iam concessa in eo super quo iam fuit quis dispensatus. Si quis v. g., obtenta dispensatione a voto castitatis, ducat uxorem; et deinde, hac mortua, aliam velit ducere, tenetur tunc mentionem facere prioris obtentae dispensationis. Cum, in Casu, secunda dispensatio non fuerit in eadem re, a qua iam Flaminius fuerat prius iam dispensatus, sed super diversa, diverso scilicet consanguinitatis impedimento et diverso matrimonio, necessaria non est mentio prioris dispensationis, scilicet ut S. Pontifex intelligat quantam super hoc secundo matrimonio relaxationem faciat. Valet ergo secunda dispensatio, nulla facta prioris mentione; adeoque matrimonium valet. De Iustis l. 1. C. 4. n. 10. seqq. n. 31. seqq., n. 205. seqq.

Verum, dissoluto per mortem priori matrimonio, non amplius valet prior dispensatio, adeoque Flaminius Flaviam ducere non potest, sine nova dispensatione. Etenim duplex dispensatio, in Casu, quae effectum matrimonii reapse habeat est contra mentem Pontificis. Praesumi enim non potest quod S. Pontifex voluerit duplicem dispensationem a consanguinitatis impedimento valituram concedere, nisi utramque ex certa scientia concesserit. Valida utique fuit prior dispensatio. Verum cum executioni data fuerit secunda dispensatio, iam prior tunc infirmata est et

concidit. Executio enim utriusque illius dispensationis iam est gratia nimis exorbitans a iure communi, nimis vulnerans legem. Quare, si S. Pontifex novisset priorem dispensationem quando secundam concessit, primam revocasset, vel alias conditiones apposuisset, quibus tanta coarctaretur concessionis amplitudo. Ratio insuper est, « quia licet per secundum matrimonium, ad quod non inservit dispensatio, non videatur renunciari dispensationi, at secus credo per impetrationem posterioris dispensationis.... Quia, cum dispensationes hae simul stare nequeant, sed repugnent quoad executionem, per impetrationem posterioris visus est impetrans renunciare priori in manus Pontificis, a quo posteriorem impetravit..... Et ita amplius ea uti nequibit, sed sola posteriori dispensatione.... Tandem, quia esto animus impetrantis fuerit, nolle renuntiare priori dispensationi, at Pontifex noluit concedere duplicem dispensationem, *ut utraque staret, et ad libitum posset utravis uti impetrans.* Et, si id peteretur, denegaret utique, tanquam rationi valde dissonans. » Sanchez l. 8. D. 22. n. 19., I. M. 1038.

7°. Aloisius voto castitatis obstrictus, nubendi causa dispensationem obtinuit. Postmodum vero conscientiae scrupulis agitatus renuntiavit dispensationi, cum animo perseverandi in voto.

Quaer. *An, facta voti renuntiatione, liceat Aloisio nubere?*

R. Si mandatum Pontificis de dispensando voto executioni a delegato datum fuit, et post hanc executionem Aloisius renuntiet dispensationi, cum animo perseverandi in voto, non potest amplius nubere. Ratio est, quia per huiusmodi renuntiationem reassumit ipse votum iam dispensatum, et denuo se obligat; et cum dispensatio iam fuerit executioni data, non valet ad iterum Aloisium a voto dispensandum. Enimvero dispensationi voti renuntiare nihil aliud importat nisi redire ad prius votum, seu illo voto, quod per dispensationem extinctum fuit, denuo obligari. Dispensatio vero non fuit concessa nisi ad dirimendum primum votum ante illam emissum, minime vero ad irritandum etiam votum emissum iterum post ipsam. Sanchez l. 8. D. 22., I. M. 1038.

DE CENSURIS

177. — CATHOLICUS ASSISTENS HAERETICORUM OFFICIIS

Frigerius, curiositatis gratia, haereticorum templa frequentat, et assistit eorumdem conventibus et officiis, simul cum aliis protestantibus. Ipse tamen interne omnino catholicus est.

Quaer. *An Frigerius excommunicationem incurrat?*

R. Frigerius recte primum non agit et peccat. Nam, quamvis adire protestantium templa, mera curiositatis gratia, sine ulla communicatione in sacris, sit actus per se indifferens, et Frigerius haeresi interne non adhaereat; frequenter tamen adire protestantium templa scandalo non caret, neque est sine aliquo haeresis et haereticorum *favore*. Praeterea, cum frequenter etiam templa haereticorum adeundo eorum conventibus et officiis adsit, nullum dubium practice esse potest, quod communicatio in sacris habeatur, neque sine scandalo, cum Frigerius catholicus sit, et ut talis certe habeatur, et haberi velit, eo ipse quod interne haereseos erroribus non adhaereat. Hinc certe ab excommunicatione excusari non potest propter *favorem*. Quod aperte confirmatur ex Instruct. Emi Card. Vicarii pro parochis et confessariis Romae. Cf. Enchir. Moral. N. 192., et Commentar. in Const. *Apostolicae Sedis* n. 9.

178. — DE EPHEMERIDUM LECTIONE

Cornelius, catholicus, plures recipit haereticas ephemerides, quibus subscriptus est, easque aliquando tantum legit.

Quaer. *An Cornelius excommunicationem incurrat?*

R. Dubium non est, per se loquendo, grave esse peccatum legere huiusmodi ephemerides ex ipso naturali iure, propter grave periculum deficiendi a fide. Earum autem lectio positive prohibita est generalibus Indicis regulis. Cf. Decr. de libr. prohib. nec in Ind. nomin. express. § 1. Ad excommunicationem vero quod spectat sequens Decisio habetur S. O. 21. Apr. 1880.: « An scienter legentes ephemerides, propugnantes haeresim, incurrant excommunicationem articuli secundi Const. *Apostolicae Sedis*, Summo Pontifici speciali modo reservatam? — R. Negative ». Verum, quamvis Cornelius propter lectionem et propter retentionem harum ephemeridum praedictam excommunicationem non incurrat; eam quidem incurrit propter *favorem*.

179. — DE IMMUNITATE PERSONARUM ECCLESIASTICARUM

Lambertus sacerdos debebat Iovino sacerdoti 1000. libellas, et semper differebat earum solutionem. Lambertum Iovinus citavit coram episcopo, sed nihil profecit. Lambertus enim debitum confessus est, promisit solutionem, sed promissis non stetit. Hinc Iovinus Lambertum citat coram iudice laico. Testes advocantur duo sacerdotes consodales. Et sic Iovinus solutionem tandem debiti obtinuit. Lambertus vero ubique dicebat, Iovinum aliosque duos sacerdotes esse excommunicatos.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Citari potest sacerdos sive tanquam reus, sive tanquam testis, tum in causa civili, tum in causa criminali, coram iudice laico, obtenta tamen prius venia ab episcopo, qui permittere debet, ut in foro saeculari examinetur, propter publicae et privatae iustitiae bonum. S. C. EE. et RR. 14. Apr. 1616., 19. Iul. 1619. Quare Iovinus, cum frustra iam citaverit Lambertum coram iudice ecclesiastico, inquietandus non est si eum nunc citat coram iudice laico, obtenta prius venia episcopi. Itemque inquietandi non sunt duo illi sacerdotes testes in iudicio laico, si episcopi veniam prius obtinuerint. Ceterum quamvis Iovinus omiserit petere veniam ab episcopo non ideo excommunicationem incurrisset; et idem de duobus sacerdotibus testibus dicendum est. Neque vero eam excommunicationem incurrit ipse iudex, qui in Lambertum sententiam tulit. Id sane constat ex tenore art. VII. primae seriei excommunicationum in C. *Apostolicae Sedis,* et ex variis S. O. Declarationibus. Cf. Commentar. in cit. Const. n. 34., I. M. 1170.

180. — DE COMPLICIS ABSOLUTIONE

1°. Fabia accedit ad Caium, cum quo recenter peccavit, sacramentalem confessionem apud ipsum peragendi gratia. Caius non audet eam a Sacro Tribunali repellere, nec audet absolvere. « Non possum, ait, te absolvere ab hoc peccato; non habeo iurisdictionem, eas necesse est ad alium ». Attamen valde perturbatus absolvit eam ab aliis peccatis. Id Caius sincere poenitens manifestat suo confessario, qui anxius dubitat, utrum Caius excommunicationem incurrerit; et resolutionem suspendens, antequam Caium absolvat, vel aliud faciat, consilium statuit petere hac super re ab amico pio et docto.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Notandum hic primo est illud, quod habet Card. De Lugo De Poenit. D. 20. n. 77.: De absolutione sacramentali dicendum « non posse dividi aut dimidiari, sicut neque ipsam confessionem sine necessitate, et causa urgente, cum confessionis integritas sit de iure divino. Unde addit Suarez, etiamsi superior vellet, audita tota confessione, absolvere directe a solis reservatis non posse id valide facere; sed vel absolvere ab omnibus peccatis auditis, vel a nullo; quia Christus non dedit talem pote-

statem. Hoc tamen difficultate non caret, nec facile probabitur, non posse valide, quamvis non licite, sacerdotem velle absolvere ab his, et non applicare directe absolutionem ad alia, sed se habere sicut, si ea non audivisset ». Sed quidquid sit de hoc, non est dubium, quod in casu Caius non poterat absolvere a peccatis complicitatis, cum in illa omni careret iurisdictione. Quoad alia peccata, Caius iurisdictione non carebat, sed, non videtur, quod, in Casu, Fabia ab aliis peccatis fuerit revera absoluta. Etenim, cum Caius dixerit illi, se non habere iurisdictionem ad ipsam absolvendam, Fabia absolutionem de facto in mala fide recepit, adeoque sacrilege. Ad excommunicationem vero quod attinet, dubium non est, quod Caius, in Casu, eam incurrerit. Nam primum, quamvis *valde perturbatus* fuerit, cum tamen absolverit, et absolverit *ab aliis peccatis,* bene igitur advertebat, quod faciebat, et tam bene, ut ita agendo voluerit profecto excommunicationem vitare. Excommunicationem autem non vitavit, nam vere complicem absolvit. Ac, si excommunicationem incurrit ille, qui etiam fingit et simulat absolvere, quanto magis ille, qui simpliciter complicem absolvit.

2°. « Titianus sacerdos, data lubrica occasione, in peccatum grave contra sextum Decalogi praeceptum cum Anna infelici casu lapsus est. Mox utrumque complicem huius turpis noxae poenituit. Cum non esset ibi praesens alius sacerdos, Titianus statim alium locum adiit confitendi gratia. Anna vero, aliqua infirmitate detenta, alium confessarium adire nequivit. Igitur tristis et moerens Titianum enixe rogat, ut suam confessionem excipiat. Hic dubius et anceps primum haeret; ex una parte cohibetur lege Ecclesiae complicem absolvere prohibentis; sed ex alia parte opitulari vellet miserae mulieri, quae secus diu confessario carebit. Tandem, misericordia motus, Annam in confessione audit et absolvit, ratus prohibitionem Ecclesiae in hoc arduo casu non urgere.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Titianus, invalide prorsus Annam complicem absolvit, quippe qui iurisdictione in eam totaliter carebat. Neque cessavit lex in eo casu, quia lex irritans non cessat ob incommodum quodcumque particulare. Ex ipso iure solus extremae necessitatis casus excipitur. Proinde Titianus incurrit excommunicationem, nisi bona fide ab ea excusatus fuerit. Annam vero monere debet absolutionem, a se impertitam, nullam ac irritam esse, ut illa apud alium confessionem iteret ». Ita P. Gury 614.

Quod Titiani absolutio prorsus irrita fuerit non immerito negatur. Quamvis enim in C. *Sacramentum Poenitentiae* dicatur *omnino* irrita; in eadem tamen Const. iurisdictio adimitur confessario quoad *peccatum huiusmodi*. Quare, si poenitens sit in bona fide, ut in Casu videtur, ea quidem omnino irrita est quoad peccata complicitatis, minime vero quoad alia. S. Poenit. 16. Maii 1877. I. M. 1291. 1293., Comment. in Const. *Sacram. Poenit.* n. 70. 72.

Verissimum autem est, quod lex irritans, ut est lex Benedicti XIV. in casu, non cesset ob quodcumque particulare incommodum. Etenim « est veluti contra naturam inhabilitatis absolutae et sine restrictione in-

ductae, et contra morem legum inhabilitatem simpliciter inducentium, quae interpretationem ex aequo et bono non suscipiunt; quia lex irritans actus non attendit ad casus et rationes particulares, sed praecise ad rationem communem et uniformitatem, ad bonum et utilitatem communem et necessariam ». Suarez De Leg. l. 5. C. 23. n. 3.

Quod vero dicitur in resolutione casus, Titianum nempe excommunicationem incurrisse, *nisi bona fide ab ea excusatus fuerit,* illud praecise est, quod est resolvendum, ex proposito casu, utpote quod saepe occurrens in praxi. Neque profecto convenienter casus practice resolveretur, si poenitenti interroganti, in casu exposito, an incurrerit excommunicationem confessarius ita conditionate responderet: *affirmative, nisi bona egeris fide.* Porro dubium non videtur, quod Titianus non possit bona fide excusari. Nam videtur omnino crasso et supino errore hac in re laborare, qui a censura hac incurrenda non excusat. S. O. 13. Ian. 1892.

3°. Fulberius et Arcontius sacerdotes, de rebus turpibus inter se colloquuntur cum mutua et scandalosa complacentia. Quare ambo opere peccant, sed sine ulla complicitate. Post haec commissa peccata, confessionem sibi invicem instituunt et se invicem absolvunt. Dubium deinde habent, utrum excommunicationem incurrerint. Ipsi enim putabant turpiloquium non certo comprehendi sub prohibitione absolvendi complicem in peccato commisso contra sextum Decalogi praeceptum. Dubitabant quidem, sed si certo scivissent turpiloquium etiam comprehendi, abstinuissent a mutua illa confessione et absolutione. Ignorabant autem Decretum S. O. 28. Maii 1873., quod cum deinde cognoverint, Institutiones Morales consulendo, gravius adhuc ceperunt in anxietate versari.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Dicendum videtur Fulberium et Arcontium excommunicationem incurrisse. Nam ecclesiasticam *legem* et *censuram* non ignorabant. Dubium etiam habuerunt in casu particulari, et mala fide, ac omnino vincibili et crassa ignorantia profecto egerunt sese invicem absolventes. Stante enim tali dubio, debuissent saltem antea alios interrogare. Neque vero opus erat habere notitiam illius Decreti. Agitur enim non de nova lege, sed de simplici legis praeexistentis, et iam ipsis notae, Declaratione. Ceterum ignorantia in Casu, si qua est, non est profecto ignorantia *facti,* sed *iuris.* Verum ignorantia *iuris* vix admittitur in foro externo, et censurae potissimum poenae externi fori sunt. Quare non est dubium, quod re, in casu, ad iudicem delata, excommunicati Fulberius et Arcontius declararentur. Cf. Commentar. in C. *Sacramentum Poenitentiae,* n. 68., I. M. 1289.

181. — DE IMMUNITATE ASYLI ECCLESIASTICI

Anarchicus quidam tentabat collocare in occulto quodam Ecclesiae angulo pilam explosivam. Eum vidit Arcadius parochus, et statim milites publici ordinis custodes advocavit, qui ecclesiam ingredientes, alii accensam pilam extinguunt, alii anarchicum deprehendunt, et, bene manibus ligatis, deferunt ad Quaestorem.

Quaer. *An Arcadius et milites immunitatem asyli ecclesiastici violaverint et excommunicationem incurrerint?*

R. Negative. Non agitur in casu de reo confugiente ad ecclesiam, ne ibi vi capiatur. Sed agitur de homine nefario, qui Ecclesiam tentat profanare cum magno eius damno et forte etiam cum magno damno personarum. Quare Arcadius parochus, advocans statim milites, ad scelestum hominem deprehendendum, et ad impediendum tantum damnum recte omnino agit. Cf. Commentar. in C. *Apostolicae Sedis* n. 55., I. M. 1187.

182. — EXCOMMUNICATIO OB VIOLATIONEM CLAUSURAE

Cum monialis quaedam clausuram *ad malum finem* violaverit, et casus sit occultus, episcopus loci petit, an possit praedictam monialem absolvere vi Tridentinae facultatis Cap. *Liceat.*

R. Difficultas in casu est ex Declaratione quadam Gregorii XIII., qua decrevit, episcopum non posse absolvere monialem, frangentem clausuram ab excommunicatione occulta, reservata Pontifici ob Bullam S. Pii V. S. Alph. l. 6. n. 594. Difficultas item est ex Responsis S. Off. 18. Iul. 1860. ubi etiam affirmatur, casum reservatum clausurae monialium non comprehendi in praedicta Tridentina facultate. G. 645. 646. Verum hisce non obstantibus, videtur in praesenti posse episcopum absolvere etiam ab isto casu occulto, vi Tridentinae facultatis. Haec enim vi Const. *Apostolicae Sedis* immota persistit, quoad omnes casus Romano Pontifici simpliciter reservatos in eadem Const., exceptis illis tantum, qui in praedicta Const. speciali modo Summo Pontifici reservantur. Atqui violatio clausurae monialium, est in ea Const. simpliciter tantum reservata. Dicendum ergo est posse episcopum, in Casu, monialem absolvere. Cf. Bertagna De Casuum reservatione pag. 100. seqq. et auctores ibid. citt., Thesaurum de Poenis P. 1. C. 23. *Dico* VI., Commentar. de C. *Apostolicae Sedis* n. 7. 56. seqq., I. M. 801. 1101. 1188.

183. — USURPATIO BONORUM ECCLESIASTICORUM

Euphemius parochialis Ecclesiae fabricae debet 10,000. libellas ex contractu quodam venditionis ipsi legitime factae a parocho. Mortuo statim parocho, debitum non solvit. Nunc vero post decem annos praedictum debitum solvere constituit, excommunicatum se existimans.

Quaer. *An Euphemius excommunicationem incurrerit?*

R. Negative. Nam Euphemius *usurpator* non est bonorum ecclesiasticorum. Unde S. C. C. 27. Febr. 1569. decrevit: « Neque incurrere excommunicationem Concilii (Tridentini), qui debita non solvunt, licet possint ». Neque vero ulla esse potest, in Casu, difficultas ex eo quod Euphemius putaverit se in excommunicationem incurrisse. Falsa enim nostra opinio rei veritatem non mutat. Non agitur hic *de culpa*, quae a propria pendeat conscientia, sed *de poena*, quae a legislatoris dependet voluntate. Commentar. in C. *Apostolicae Sedis*, n. 76. I. M. 1202.

184. — EMPTIO BONORUM ECCLESIASTICORUM

Robertinus ab usurpatore gubernio emit Conventum Religiosorum. Illum deinde vendit.

Quaer. *An Robertinus incurrerit duas excommunicationes?*

R. Robertinus excommunicationem tantum Tridentinam incurrit ob emptionem a demanio praedicti Conventus; nullam vero excommunicationem ob eius alienationem. Etenim Tridentinam excommunicationem incurrunt illi, ad quos ecclesiastica bona ab usurpatoribus emptione proveniunt. Excommunicationem vero ob alienationem nonnisi illi incurrunt, qui ecclesiasticorum bonorum legitimi administratores sunt. Cf. Comment. in C. *Apostoticae Sedis* n. 76. 83., I. M. 1202. 1209.

185. — COOPERATIO QUOAD USURPAT. BONOR. ECCLES.

1°. Fructuosus ecclesiae rusticum fundum emit a gubernio, quod illum usurpavit. Fundum excolit, et fructus vendit.

Quaer. 1°. *An coloni fundum excolentes excommunicationem incurrant?* — 2°. *An excommunicationem incurrant emptores praedictorum fructuum?*

R. Ad 1^um^. Negative. Nam coloni non sunt usurpatores fundi, neque sunt cooperatores quoad usurpationem, neque fiunt ullo modo participes rei usurpatae. Quin imo coloni fundum excolentes a cooperationis etiam peccato excusandi videntur, eorum enim cooperatio formalis et proxima non est. — Ad 2^um^. excommunicationem Tridentinam incurrunt emptores praedictorum fructuum, si eos emant in propria specie seu natura, et si eos notabili emant quantitate, et non ea tantum, quae gravem materiam constituit in furto. Agitur enim de excommunicationis censura, quae non nisi ob graviora et atrocia delicta fertur. Trid. S. 25. C. 3. de R. Si vero fundi fructus convertantur in novam speciem, e. g., ex tritico fit panis, qui vendatur, ex lana gregis fit pannus, qui item vendatur etc., cum per specificationem emptor fundi in casu, secundum recentiores leges non acquirat dominium novae speciei, sed nova species cedat alienae materiae, idem dicendum esset ac in praecedenti hypothesi. Verum, cum agatur de bonis Ecclesiae, quae regitur adhuc Iure communi, quo per specificationem dominium acquiritur rei specificatae, *si nova species non possit reduci ad priorem et rudem materiam,* Instit. l. 2. tit. 1. *De Rerum Divisione* § 25., Fructuosus tunc usurpans et destruens fructus fundi peccat et excommunicationem, novo hoc peccato, incurrit; sed cum rem suam vendat, emptores neque peccant, neque excommunicationem incurrunt. Cf. Comment. in C. *Apostolicae Sedis* n. 76., I. M. V. 1. 906., V. 2. n. 1202.

2°. Cum bona quaedam ecclesiastica sub hasta publice venderentur, tres fratres Lucius, Lucillus et Lucinus presbyter, qui indivisum patrimonium habebant, consilium inter se inierunt de huiusmodi bonis emendis.

Lucius primogenitus mandatum dedit Lucillo, ut illa bona emeret. Lucinus vero, scrupulum hac in re habens, consentit quidem in emptionem, sed declaravit, se nullo modo velle habere partem in dominio horum bonorum. Hinc Lucillus, consilio prius petito a Luciano advocato, pecunia communis patrimonii, praedicta emit bona, quorum proprietatem indivisim retinent tantum Lucius et Lucillus, cum obligatione solvendi interesse Lucino tertiae partis totius summae pecuniae, quae necessaria fuit ad ea bona emenda, et quae ex communi patrimonio fuerat desumpta. Administrationem autem horum bonorum, emptione perfecta, assumit Lucretius oeconomus trium praedictorum fratrum.

Quaer. *Quid ad Casum?*

R. Lucius et Lucillus Tridentinam incurrunt excommunicationem, *tanquam acquirentes usurpata Ecclesiae bona.* Excommunicationem vero incurrit Lucretius siquidem vere ad ipsum *ius pervenit in usurpata bona Ecclesiae,* ius nempe administrationis ex praedictorum fratrum cessione et procuratione ipsi facta. Etenim Conc. Trid. S. 22. C. 11. de R. excommunicationem fert in *praesumentes per se* vel *per alios in proprios usus convertere et usurpare* ecclesiastica bona, adeoque in *usurpantes* et *mandantes usurpare;* item in eos, ad quos praedicta bona *quomodocumque pervenerint,* adeoque in eadem bona acquirentes et retinentes quovis modo, et a quibusvis ea acquisiverint; ac non tantum in eos, ad quos ipsa *bona pervenerint,* sed etiam in eos ad quos *ius aliquod* in bona Ecclesiae *pervenerit,* uti est ius administrationis eorumdem bonorum. Tandem *in clericos, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricatores seu consentientes fuerint.* Hinc patet etiam Lucinum presbyterum excommunicationem non incurrisse, siquidem bona non acquisivit; neque vero fuit *fabricator* seu *consentiens in nefandam usurpationis fraudem,* in Casu, non enim agitur de usurpatoribus et de *usurpatione,* sed de acquisitoribus et de mera *acquisitione;* et quoad meram *acquisitionem* non nisi acquirentes excommunicationem incurrunt, ex textu obvio Concilii Tridentini. Advocatus, merum consilium dans, excommunicationem etiam minime incurrit, siquidem nulla de dante consilium fit mentio, sed tantum de mandante *usurpationem,* et de clerico *fabricatore* huiusmodi fraudis, seu *consentiente,* positivo et efficaci consensu, in eandem *fraudem* seu usurpationem. I. M. 1202.

186. — SOLLICITATIO AD TURPIA

« Cornelia cum lacrymis et suspiriis in confessione fatetur Sulpitio parocho, se confessionis praetextu cum Evraldo, confessario, quem perditissimo prosequebatur amore turpe facinus commisisse. Prudenter eam interrogat Sulpitius, et rescit Corneliam se graviter aegrotantem simulasse et confessarium, pravi illius affectus prorsus ignarum, confessionis praetextu advocasse, eumque licet primo reluctantem ad crimen patrandum tandem induxisse. His auditis, haeret anceps Sulpitius, nesciens utrum denuntiationem huius confessarii urgere debeat, necne.

Quaer. *An Cornelia obliganda sit ad denuntiandum Evraldum, quem ipsa sollicitavit, et in peccatum induxit?*

R. Negat S. Lig. cum aliis... Sed obstat Decisio S. O. 11. Febr. 1661... et recens eiusdem S. C. Instructio 20. Febr. 1867., qua id etiam § 2. expresse declaratur ». Ita P. Gury 653.

Verum in cit. Dec. et Instr. nihil habetur, quod ad rem faciat, ibi enim agitur de vera sollicitatione ex parte confessarii *in confessione*. In praedicto vero casu nullo modo *de confessione* agitur. Habetur utique confessionis praetextus; verum, ut *praetextu confessionis*, confessarius sit denuntiandus, opus est, ut confessarius praetexat confessionem ad sollicitandum poenitentem; et non sufficit, quod poenitens praetexat confessionem, ut possit confessarium sollicitare, et cum eo peccare. In casu nullus apparet praetextus ex parte confessarii. Praetextus enim est omne illud quod obtegit interiorem intentionem, exteriore aliquo facto sive vero, sive tantum apparenti. Porro nulla ex parte confessarii intentio sollicitationis, in Casu, erat. Nihil confessarius fecit ad hanc intentionem obtegendam. Neque vero ex Casu apparet, quod instituerit confessarius veram confessionem audire, vel simulaverit confessionem audire. Sed poenitens tantum est, quae fingit se aegrotam, et confessionem praetexens, confessarium advocat, ut eum sollicitet. Confessarius advocatus, pergit in domum Corneliae, a qua sollicitatus, primum resistit et deinde consentit, ubinam est hic *sollicitatio confessarii, praetextu confessionis*, h. e. provocatio ad turpia facta a sacerdote, tanquam a confessario, praetexente in Casu confessionem, seu invitante ad confessionem, ut ad turpia provocaret? Cf. Commentar. in C. *Sacramentum Poenitentiae* n. 17., I. M. 1255.

187. — EXCOMMUNICATIO OB RAPTUM

« An qui puellas a parentibus gentili viro desponsatas, invitas rapiunt, et traducunt ad domum sponsi, in excommunicationis poenam incurrant?

R. Aut sponsalia inita sunt a parentibus priusquam puellae rationis usu potirentur, nec constat post rationis usum illa confirmasse ac rata habuisse; cum haec sponsalia irrita omnino sint, profecto, qui raptui harum virginum consilium, auxilium aut favorem praebent, sunt ipso iure excommunicati iuxta caput 6. Sess. 24. de Ref. Matr. Conc. Trid. Secus vero, si sponsalia cum earum consensu vel primum inita, aut deinde confirmata sunt, ac proinde firma ac valida reputantur; non enim raptorum poenis subiiciuntur, qui sponsam ad sponsum vi pertrahunt, quamvis invitam et renuentem ». S. C. de P. F. 17. Apr. 1784. Collect. n. 1418. I. M. 1024., 1212. Cf. Cas. 163.

DE INDULGENTIIS

188. — DE OFFICIO PARVO B. MARIAE V.

1°. Moniales quaedam, quae recitant quotidie, secundum earum Constitutiones, parvum officium B. Mariae V., addere vellent in fine eiusdem officii commemorationes S. Iosephi, S. Francisci, et S. Antonii de Padua. Possuntne ? — R. Addere quidem possunt commemorationes S. Iosephi, sed quoad alias commemorationes opus est speciali Indulto. M. E. V. 6. P. 1. p. 68. Verum secundum Ephemerides liturgicas Iulio 1892. p. 115., Indultum, quod permittit addere commemorationem S. Iosephi, *generale* non est, sed pro particulari casu propter praeexistentem praxim.

2°. Veronica quaerit, an ad lucrandas indulgentias parvi officii B. Mariae V., et privilegium sabbatinum adnexum scapulari eiusdem B. Mariae V. de Monte Carmelo, necesse sit praedictum officium recitare in lingua latina. — R. Affirmative. S. C. Indulg. 18. Aug. 1868., 6. Maii 1887., 13. Sept. 1888. Acta S. Sedis V. X. 21. p. 191.

189. — SCAPULARIUM IMPOSITIO

1°. Humbertus, parochus, cum plures adsunt personae quae petunt, ut ipsis varia scapularia imponantur, ne populo taedio sit, et ipse nimium non defatigetur, omnibus rite peractis, dicit semel, numero plurali, formulam, *accipite fratres* vel *sorores,* etc., imponendo successive et sine interruptione scapulare omnibus praesentibus, quin praedictam formulam numero singulari pro singulis repetat. An licite et valide ? — R. Affirmative. Ita ex S. C. Indulg. 18. Apr. 1891.

2°. Idem Humbertus cum saepe fere difficile sit scapularia imponere modo ordinario *circa collum* mulieribus et monialibus, ea tunc *uni tantum humero imponit.* Est ne valida talis impositio ? — R. Affirmative. S. C. Indulg. 26. Sept. 1892. Acta S. Sed. V. 25. p. 319.

3°. Tecla petit a suo confessario, ut velit ei in aliud pium opus commutare opera iniuncta ad lucrandas indulgentias scapularis B. Mariae V.

de Monte Carmelo, et privilegium sabbatinum. Verum Lucas eius confessarius nescit, an hanc ipse habeat potestatem. — R. Confessarius praedictam commutationem facere non potest, nisi expresse specialem habeat facultatem praedictam commutationem faciendi. Haec autem facultas ordinarie datur simul cum facultate benedicendi et imponendi scapulare, confessario approbato. Necessarium tamen non est, ut commutatio in confessione fiat. S. Alph. l. 6. n. 534. XV.

APPENDIX

1°. Il Sac. NN. dubitando positivamente, se nella sua ordinazione *abbia toccato fisicamente la patena,* sebbene sia certo di aver toccata l'ostia, domandò per sua quiete, *quid in hoc casu faciendum sit*. — R. *Acquiescat.* S. O. 2. Iul. 1892. Collect. S. C. de P. F. n. 2178. I. M. 887,

2°. « An facultates Formularum, quibus datur potestas dispensandi in impedimentis matrimonialibus, veleant etiam quando agitur de matrimonio nulliter contracto, utraque parte, dum contrahebatur, nullitatis conscia?...

R. Facultates, de quibus agitur, valere etiam quando utraque pars conscia est nullitatis matrimonii iam initi ». S. O. 2. Iul. 1834. Collect. S. C. de P. F. n. 2187. Cf. Cas. 171., Collect. ad usum oper. apost. Soc. miss. ad ext. n. 31. 6°. — 9°., Compend. Privil. Soc. Iesu n. 390.

3°. Rufinus, Superior *Religiosae Domus,* in qua scholae habentur pro externis discipulis et pro internis convictoribus, nulla difficultate mulieres admittit in omnibus interioribus locis totius domus, et in suo ipso cubiculo; quod et alii Domus Patres faciunt. Quin imo culinae et vestiario mulieres praeficit, et si quando convictores infirmantur, permittit matribus, sororibus, ancillis diu noctuque commorari in infirmaria, quae communis est religiosis et alumnis. Ait enim, canonica clausura non obligari nisi *Monachos, Fratres,* et *Canonicos Regulares,* eorumque *Monasteria, Coenobia* et *Conventus,* non *Clericos Regulares,* quorum est ea Religiosa Domus, eorumque *Collegia, Convictus* et *Domos.* An recte?

R. Si Religiosa Domus, cuius Rufinus est Superior, vere *Domus* sit *Religiosa* Clericorum Regularium, qui vere et proprie sint *Ordo Regularis,* Rufinus, et omnes mulieres, *clausuram* huiusmodi *regularium virorum violantes* ut in Casu, excommunicationem incurrunt art. VII. secundae Seriei Const. *Apostolicae Sedis.* Secus vero, si sit *Domus saecularis,* et non religiosa, vel Domus sit Clericorum Religiosorum alicuius *Piae Congregationis.* Verum in hac etiam hypothesi magna Rufini imprudentia est, et grave adest scandali periculum. Cf. Commentarium sequentem, | I. M. 1190. | remissive ad 3am Edit. Lion. Commentarier.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

INDEX CASUUM

De particularibus laicorum obligationibus

1. De provinciae praefecto . . . . . PAG. 3
2. De iudicibus . . . . . » ibid.
3. De syndico . . . . . » 5
4. De advocatis . . . . . » 6
5. De notariis . . . . . » 7
6. De testibus . . . . . » 8
7. De operariis . . . . . » 11

De particularibus clericorum obligationibus

8. De sancta clericorum vita . . . . . » 14
9. De clericorum caelibatu . . . . . » 16
10. De divino officio . . . . . » 19
11. De mercatura et negotiatione . . . . . » 26
12. De alienatione bonorum ecclesiasticorum . . . . . » 27

De Beneficiariis

13. De obligatione beneficiarii eleemosynam dandi . . . . . » 28
14. De episcopis . . . . . » ibid.
15. De canonicis . . . . . » 31
16. De parochis . . . . . » 36

De particularibus Regularium obligationibus

17. De obligatione tendendi ad perfectionem . . . . . » 38
18. De novitiatu . . . . . » 42
19. De professione . . . . . » 46
20. De religiosa paupertate . . . . . » 48
21. De castitate . . . . . » 57
22. De religiosa obedientia . . . . . » ibid.
23. De dispensatione votorum simplicium . . . . . » 58

De Sacramentis in genere

24. De mutatione materiae . . . . . » 60
25. De mutatione formae . . . . . » 62
26. De unione inter materiam et formam . . . . . » 66

27. De iteratione sacramentorum . . . . . PAG. 69
28. De ministro sacramentorum. . . . . » ibid.
29. De intentione ministri. . . . . » 70
30. De probitate ministri . . . . . » 73
31. De obligatione sacramenta ministrandi . . . . . » 75
32. Sacramenta deneganda . . . . . » 76
33. De simulatione sacramentorum. . . . . » 79
34. De subiecto sacramentorum. . . . . » 81
35. De intentione suscipientis sacramenta . . . . . » 82

De Baptismo

36. De baptismi materia . . . . . » 84
37. De forma baptismi. . . . . » 85
38. De ministro baptismi . . . . . » 87
39. De conditionata intentione baptismi . . . . . » 90
40. Baptismi iteratio. . . . . » ibid.
41. De caeremoniis baptismi . . . . . » 92
42. De spirituali cognatione . . . . . » 93
43. De subiecto baptismi . . . . . » ibid.

De Confirmatione

44. De confirmationis materia . . . . . » 98
45. De confirmationis forma . . . . . » 99
46. De confirmationis ministro . . . . . » ibid.
47. De confirmationis obligatione . . . . . » 100
48. De confirmationis caeremoniis . . . . . » ibid.
49. De confirmationis patrino . . . . . » 101
50. De subiecto confirmationis . . . . . » ibid.

De Eucharistia

51. De materia eucharistiae . . . . . » 103
52. De pane azymo et fermentato . . . . . » ibid.
53. De eucharistiae forma. . . . . » 104
54. De eucharistiae consecratione . . . . . » 105
55. De eucharistiae usu . . . . . » ibid.
56. De eucharistiae ministro . . . . . » 106
57. De ss. eucharistia asservanda . . . . . » ibid.
58. De eucharistiae subiecto . . . . . » ibid.
59. Ieiunium requisitum . . . . . » 108
60. De viatico. . . . . » 109
61. Pro quibusnam missa offerenda . . . . . » ibid.
62. Applicatio anticipata missae. . . . . » ibid.
63. De obligatione celebrandi ratione stipendii. . . . . » 110
64. De retentione partis stipendii . . . . . » 112
65. De obligatione celebrandi ratione fundationis . . . . . » 114
66. De reductione missarum . . . . . » 115
67. De obligatione celebrandi ratione beneficii . . . . . » ibid.
68. Missa pro populo . . . . . » 116
69. Taxa pro utensilibus . . . . . » 117
70. De missa coram SS. Sacramento . . . . . » ibid.

71. De missis de requie . . . . . PAG. 118
72. De invalida vini consecratione . . . . . » 119
73. De omissa consecratione hostiae . . . . . » 120
74. De consecratione parvarum hostiarum . . . . . » 121
75. Missa sine ministro . . . . . » 122
76. De precibus ante et post missam . . . . . » 123
77. De missa in aliena ecclesia. . . . . » 124

De Poenitentia

78. De materia remota poenitentiae . . . . . » 127
79. Contritio extra sacramentum . . . . . » 128
80. Contritio in sacramento. . . . . » 129
81. Contritionis motivum. . . . . » 131
82. Contritionis praecedentia . . . . . » 132
83. Doloris intensitas . . . . . » 134
84. Propositum implicitum . . . . . » 135
85. Propositi efficacia . . . . . » 136
86. Obligatio confessionis . . . . . » 137
87. Integritas confessionis . . . . . » 138
88. Peccatum recens ut antiquum declaratum. . . . . » 140
89. Peccatorum circumstantiae . . . . . » 142
90. Causae a confessionis integritate excusantes . . . . . » 144
91. Manifestatio complicis . . . . . » ibid.
92. Impositio poenitentiae . . . . . » 145
93. Adimpletio poenitentiae . . . . . » 146
94. Poenitentiae mutatio . . . . . » 147
95. Poenitentiae oblivio . . . . . » ibid.
96. Forma poenitentiae . . . . . » 149
97. Poenitentis praesentia . . . . . » ibid.
98. Absolutio conditionata danda . . . . . » 150
99. Absolutio conditionata declaranda . . . . . » 151
100. Confessarii approbatio . . . . . » 152
101. Parochi approbatio . . . . . » 153
102. Canonici parochi approbatio . . . . . » ibid.
103. Approbatio Ordinarii loci . . . . . » 154
104. Iurisdictio praesumpta . . . . . » 155
105. Iurisdictio dubia . . . . . » 157
106. Iurisdictionis limitatio . . . . . » 159
107. Iurisdictio ordinaria et delegata . . . . . » 160
108. Error communis . . . . . » 162
109. Iurisdictio in articulo mortis . . . . . » 164
110. Simplex sacerdos coram approbato in articulo mortis. . . . » 165
111. Iurisdictio regularium . . . . . » 167
112. Regulares quoad convictores . . . . . » 168
113. Reservationis ignorantia. . . . . » ibid.
114. Reservatio quoad peregrinum . . . . . » 170
115. An semper aperienda reservatio . . . . . » 171
116. Absolutio a casibus papalibus. . . . . » ibid.
117. Absolutio a casibus episcopalibus . . . . . » 172
118. Absolutio a reservatis pro impeditis. . . . . » 173
119. Absolutio a superiore petita . . . . . » 174
120. Obligatio poenitentes interrogandi . . . . . » 175
121. Confessarius interrogationum oblitus . . . . . » 176
122. Iudicium de peccatis faciendum . . . . . » 177

123. Absolutio danda . . . . . PAG. 178
124. De sigillo sacramentali . . . . . » 179
125. Sigillum post poenitentis revelationem . . . . . » 180
126. Usus scientiae confessionis . . . . . » ibid.

De extrema unctione

127. De materia extremae unctionis . . . . . » 183
128. De forma extremae unctionis . . . . . » ibid.
129. De viatico et extrema unctione . . . . . » ibid.
130. De infirmis visitandis in gravi periculo constitutis . . . . . » 184

De ordine

131. De simultaneo instrumentorum tactu . . . . . » 185
132. De immediato instrumentorum tactu . . . . . » 186
133. De litteris dimissoriis . . . . . » 187
134. De ordinatione extra tempora . . . . . » ibid.

De matrimonio

135. De tacitis sponsalibus . . . . . » 191
136. Sponsalia per verba de praesenti . . . . . » 192
137. Promissio aliam non ducendi . . . . . » ibid.
138. Sponsalia cum impedimento . . . . . » 193
139. De sponsalium obligatione . . . . . » ibid.
140. Matrimonii natura . . . . . » ibid.
141. De consensu ad matrimonium requisito . . . . . » 195
142. De matrimonio per procuratorem . . . . . » 196
143. De caeremoniis matrimonii mixti . . . . . » 197
144. De caeremoniis matrimonii haereticorum . . . . . » ibid.
145. Indissolubilitas matrimonii . . . . . » ibid.
146. Interpellatio reiteranda . . . . . » 198
147. Interpellationis dispensatio . . . . . » ibid.
148. Interpellationis omissio . . . . . » ibid.
149. De occultis impedimentis matrimonii . . . . . » 201
150. De impedimento ligaminis . . . . . » 202
151. Impedimentum consanguinitatis . . . . . » ibid.
152. Matrimonium fratris et sororis . . . . . » ibid.
153. Impedimentum affinitatis . . . . . » 203
154. Cognatio spiritualis compaternitatis . . . . . » 205
155. Spiritualis maternitas . . . . . » ibid.
156. Impedimentum legalis cognationis . . . . . » 207
157. Impedimentum publicae honestatis . . . . . » ibid.
158. Impedimentum voti . . . . . » ibid.
159. Matrimonium hebraei cum protestante . . . . . » 208
160. Hebraea conversa ad protestantismum . . . . . » ibid.
161. Matrimonium hebraei cum christiana . . . . . » ibid.
162. Impedimentum criminis . . . . . » 211
163. Impedimentum raptus . . . . . » 212
164. Parochi assistentia . . . . . » 213
165. Parochus originis . . . . . » 214
166. Parochi delegatio . . . . . » ibid.

167. Quasi domicilium . . . . . PAG. 215
168. Impedimentorum dispensatio per telegraphum . . . . . » 216
169. Facultas dispensandi in consanguinitate et affinitate . . . . » ibid.
170. Eadem facultas dispensandi cum conversis . . . . . » 217
171. Dispens. quoad matrimonium scienter cum imped. contracta . » 218
172. Notanda quoad eundem facultatem . . . . . » ibid.
173. Facultas dispensandi quoad ius petendi debitum . . . . . » 219
174. Facultas dispensandi in cognatione spirituali. . . . . » ibid.
175. De dispensatione quoad matrimonium civile . . . . . » ibid.
176. Dispensationis valor . . . . . » 220

De censuris

177. Catholicus assistens haereticorum officiis . . . . . » 223
178. De ephemeridum lectione . . . . . » ibid.
179. De immunitate personarum ecclesiasticarum . . . . . » 224
180. De complicis absolutione . . . . . » ibid.
181. De immunitate asyli ecclesiastici . . . . . » 226
182. Excommunicatio ob violationem clausurae. . . . . » 227
183. Usurpatio bonorum ecclesiasticorum. . . . . » ibid.
184. Emptio bonorum ecclesiasticorum . . . . . » 228
185. Cooperatio quoad usurpationem bonorum ecclesiasticorum . . » ibid.
186. Sollicitatio ad turpia . . . . . » 229
187. Excommunicatio ob raptum . . . . . » 230

De indulgentiis

188. De officio parvo B. Mariae V. . . . . » 231
189. Scapularium impositio . . . . . » ibid.

Appendix

De Instrumentorum tactu in ordinatione. — De dispensatione impedimentorum matrimonii, utraque parte nullitatis conscia. — De regularium virorum clausura . . . . . » 234
Commentarius de universali papalis clausurae lege . . . . . » 234

IMPRIMATUR

Fr. Raphaël Pierotti Ord. Praed. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Patr. Costantin. Vicesgerens

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY